APHORISMI
HIPPOCRATIS
GRÆCE ET LATINE:

Vnà cum GALENI *commentariis:*

NICOLAO LEONICENO
Vincentino interprete.

Necnon IOAN. SIGNORETI, Doct. Med. Excerpta Aphoristica, cum Symbola.

Accesserunt Adnotamenta marginalia, Indéxque alphabeticâ serie digestus.

Editio postrema prioribus multò castigatior.

LVGDVNI,
Sumpt. LAVRENTII ANISSON.

M. DC. LXVIII.

/IL. ROVILLIVS
IBLIOPOLA LVGD.
Beneuolo Lectori S.

VI multitudinis cuiuſpiam ſibi ſtudent animos allicere, in ipſos aliquod non vulgare beneficij genus conferre ſolent:id quod vt hac ſtate faceremus, nobis viſum eſt inprimis ium: qui facultatis Medica perſtudio- aliquid cùm gratum, tum perquàm offerremus, Aphoriſmos Hippocratis *vt vetuſtiſſimi, ita præſtantiſſimi, di- r emendatos non inuenuſtis nunc typis ndos curauimus. Quóque huius diſcipli- talibus neceſſaria candidis ſectatoribus forent vſui, acceſſerunt* Claudij Ga- *ri longè celeberrimi & locupletiſſima iſſima in eoſdem* Enarrationes, *qui- rula, quæ lucis egere videbantur, tam er, tam accuratè, tanto denique artifi-*

 cio

cio sunt explanata, vt nihil prætermissum esse quis, modò non sit mentis inops, iudicet, quod ad difficilium locorum tanti Autoris intellectum requiri videatur. Græcam quoque lectionem, in studiosorum gratiam, Latinæ interpretationi Nicolai Leoniceni *vtriusque linguæ peritissimi, non incommodè præposuimus: in qua restituenda quantum operæ, vigilantiæque sit adhibitum, his notum fore non ambigimus, qui huiusce nostri codicis exactam recognitionem cum reliquis hactenus in publicum emissis contulerint. Cui, quod hucvsque nunquam, aut parum fideliter integréque factum fuit, adiectæ sunt* marginales Adnotatiunculæ *subobscuros non paucos aut discrepantes locos dilucidè explicantes, varietatúmque rationes perpulchrè reddentes. Additus est item eximio huic operi* Index Alphabeticus *quarumcumque vocularum scitu dignarum, in eum nuperrimè digestus ordinem, qui prælongæ adóque molestæ inquisitionis tædio humanissimum quemque lectorem leuare possit. E Chalcographio nostro Lugd. Calend. Septembris, anno publicæ salutis* 1547.

ΑΦΟ

ΑΦΟΡΙΣΜΩΝ ΤΟΥ͂ ΙΠΠΟΚΡΑ΄ΤΟΥΣ τμῆμα πρῶτον.

GALENI IN APHORIMOS Hippocratis, COMMENTARIORVM LIBER PRIMVS:

Interprete Nicolao Leoniceno Vincentino.

APHOR. I.

Ὁ βίος βραχὺς, ἡ δὲ τέχνη μακρὴ, ὁ δὲ καιρὸς ὀξὺς, ἡ δὲ πεῖρα σφαλερὴ, ἡ δὲ κρίσις χαλεπή. Δεῖ δὲ οὐ μόνον ἑωυτὸν παρέχειν τὰ δέοντα ποιέοντα, ἀλλὰ καὶ τὸν νοσέοντα, καὶ τοὺς παρεόντας, καὶ τὰ ἔξωθεν.

Lib. de locis in homine, € 420.50.

Vita breuis, ars verò longa, occasio autem praeceps, experimentum periculosum, iudicium difficile. Nec solùm seipsum praestare oportet

† *opportuna facientem, sed & agrum, & assidentes, & exteriora.*

† Hanc orationem, siue vnus sit aphorismus, siue plures, esse procemium totius operis, pro confesso habetur apud omnes ferè eius expositores. Quid verò sibi Hippocrates volens, tali vtendum procemio censuerit: non parum sententiæ ambigunt. Fortè verò idipsum inueniemus, si singulas orationis partes priùs diligentiùs considerauerimus. Quòd igitur vitam quidem dixerit breuem artis comparatione, omnibus libri expositoribus est manifestum. Artem verò ipsam hac ratione arbitror longam existimare, quoniam omnium ferè operationum particularium occasionem habeat momentaneam, & ob id difficulter comprehensibilem: vt nemo eam possit agnoscere, nisi qui diu in hac fuerit exercitatus. At quum duo sint instrumenta ad artes inueniendas necessaria: alterum, scilicet experimentum, periculosum est: alterum verò, ex ratione iudicium, haudquaquam facile existit: imò, si quid aliud, maximam habet difficultatem. Est igitur occasio præceps, quia materia circa quam versatur ars, continuò fluit. Corpus siquidem nostrum valde mutationibus obnoxium est: neque à causis extrinsecis tantùm,

† Officio fungente. Gaza

† Alibi legitur ἔτι μὴν ἕτερος ὁ ἀφορισμός, *id est, hunc quidem aphorismum.*

tùm,ſed etiam † ab intrinſecis faciliter alteratur. Experimentum verò periculoſum, propter materiæ dignitatem, non propter tranſmutationis facilitatem: hæc enim in momentanea occaſione cõtinetur. Iudicium verò ſi quis (vt ego aſſero) pro ratione † audiat,liquet ipſam eſſe difficillimam, cùm ad hoc vſque æui ambigua permanſerit. Si verò (vt nõnulli,qui ſe ab experientia empiricos nominant,opinãtur) per iudicium intelligat eorum,quæ † ex experientia eueniunt,diiudicationem: ſic quoque non eſt obſcurum, eam ſummè eſſe perplexam. Sed autorem libri eſſe dogmaticum,in tota oſtenditur commentatione. Prima itaque proœmij particula ad hunc vſque locum terminatur. Secundam autem ſcribit non pronuntianti ſimilis, ſed cõſulenti: *Nec ſolùm ſeipſum præſtare oportet opportuna facientem, ſed & ægrum, & aſſidentes, & exteriora.* Quorum verborum vis talis exiſtit, quòd ſi debes exquirere, & eorum,quæ in hoc libro ſcribuntur,examinare veritatem,non modò teipſum Medicũ oportet omnia,quę conuenit,agere,ſed & ægrum, atque miniſtros: & præterea exteriora omnia in nullo delinquere. Prima itaque pars orationis † hoc vnum caput complectitur: *Vita breuis,ars verò longa.* Nam reliqua, quæ ſequun

ἐξ ἑαυτῆς, id eſt, ex ſeipſo.

† *Intelligat.*

† *Per experiẽtiam reperiuntur.*

† *Hanc vnam ſummã.*

sequuntur, artem esse longam demonstrant. Post hanc secunda pars quoddam veluti consilium affert, vel quoddam pactum ad eos qui librum lecturi sunt, ac diiudicaturi. Sed quidnam sibi vult statim in libri principio hoc scribens, breuem esse vitam, si ad artis magnitudinem conferatur? Nam & hoc ipsum indagare ab initio proposueramus. Sunt enim nonnulli qui volunt id egisse Hippocratem, exhortandi homines gratiâ ad artem gnauiter exercendam. Nonnulli contrà, dehortandi causâ. Quidam verò ad hunc finem, vt experiretur atque discerneret eos qui gnauiter, & eos qui secus, artem essent exercitaturi. Alij autem volunt ipsum causam attulisse, ob quã oportuit scribere commentationes. Quidam adiiciunt, aphoristicas. Quidam verò hoc sermone volunt ipsum causas assignasse, propter quas hæc ars sit coniecturalis. Alij autem ex quot causis contingat Medicos suo fine frustrari. Hi igitur, vt à postremis incipiam, mihi omnino videntur nihil consonum dicere. Quî enim hoc esset sapiens inuentum, aut dignum Hipp. sententia, statim circa initia operis docere, vel quòd ars quædam coniecturalis sit Medicina, vel quòd eius frustramur fine, siue hoc fiat ex nobis ipsis, siue ex magnitudine artis? Sed & verba illa,

Nec

Nec solùm oportet præstare seipsum opportuna facientem, sed & ægrum, & assidentes, & exteriora, contrarium omnino demonstrant. Hæc enim omnia illi magis scribere conuenit, qui profiteatur omnia, quæ in libro continentur, esse vera: quàm qui fateatur ob plurimas causas non sortiri finem. Neque enim dixisset, *Oportet autem*: sed post illa verba, *Vita breuis, ars verò longa, occasio præceps, experimentum verò periculosum, iudicium autem difficile*, hæc alia subiunxisset. Et Medicus ipse etiam delinquit, & ægri, & eorum ministri. Sed neque illi qui aiunt voluisse ipsum auertere lectores à studio Medicinæ, cùm dicat vitam esse breuem, artem verò longam, videntur mihi conuenientia dicere. Nam extremæ foret dementiæ simul scribere commentationes, & tradere posteritati ad vitæ vtilitatem, & simul ab initio non solùm à legendo atque discendo ea, quæ scripseris, dehortari: sed etiam ab arte vniuersa, cuius doctrinam profitearis, abalienare. Qui verò aiunt voluisse ipsum homines ad artem impensiori studio capessendam excitare (neque enim aliter potest tota tempore breui, cùm sit longa, perdisci) ij etsi aliquid veri dicunt, non tamen mihi videntur vel viri sententia dignum, vel iis quæ hoc in libro scribuntur,

procemium congruens satis ostendere: sicuti neque quicunque arbitrantur hoc genus sermonis fuisse ab Hippocrate vsurpatum tentandi gratiâ illos qui ad artem accedunt. Verum enim est, quod etiam à Platone dicitur, hac maximè viâ periculum fieri illorum animi, qui quamuis artem sunt percepturi, si magnam atque difficilem esse eius perceptionem ostendamus. At hoc haudquaquam per librum, sed per mutuos sermones agitur. Neque mihi congruens videtur præsenti commentationi: siquidem procemium oportet iis, quæ sunt in libro scribenda, consentaneum esse. Nisi fortè quis sentiat, omnium librorum primos esse legendos aphorismos, atque ideo in procemio commentationis communem fecisse de vniuersa arte sermonem: per hunc volentem ostendere, non posse vnumquenque pro suo arbitrio artem discere Medicinalem, quæ longa sit, sed illos tantùm quibus suppetat tempus ad discendum, & sint naturâ ad hoc aptiores. Quòd si omnino probabile appareat, hanc totius artis communem esse præfationem: neque illi sunt reprehendendi, qui aiunt Hippocr. caussam assignasse, ob quam commentationes scribere oporteat. Fecit autem & in libro qui κατ' ἰητρεῖον inscribitur, omnium lectionum commu

commune procemium, quemadmodum in eiusdem libri expositione fuit à nobis ostensum. Quicunque igitur vel doctrinæ modi, vel omnino commentationum necessitatis volunt causam in procemio assignari, mihi videtur eorum sententia præferenda. Nam forma doctrinæ aphoristica, quæ omnes rei proprietates quàm breuissimis verbis circunscribit, est illis vtilissima, qui volunt breui tempore artem docere longam. Atque hoc omnino, videlicet scribere commentationes, ob id quòd vita sit breuis, si ad artis magnitudinem conferatur, summam habet præ omnibus aliis rationem. Nemo enim nostrûm sufficiat ad artem simul & constituendam, & absoluendam: sed satis videri debet, si quæ multorum annorum spatio priores inuenerint, posteri accipientes, atque his addentes aliquid, illam aliquando compleant atque perficiant. Vel enim propter istorum alterum, vel propter vtrumque, mihi videtur tali esse vsus procemio, ac si ita scripsisset, Quoniam artis magnitudo vitam excedit hominis, adeò vt ab homine quantumuis diligenti, ac laborioso non possit & inchoari, & ad finem vsque perduci: propterea operæ precium est, quæ quisque cognouit, ea mandare literis, & tradere posteritati commenta

mentationes, quæ rerum docendarum naturam omnem diligenter ac citò, & sermone dilucido interpretentur. Quòd verò ars longa sit, verba hæc quæ subsequuntur, ostendunt: *Occasio præceps, experimentum verò periculosum, iudicium autem difficile.* Quasi ita dixerit, Vita breuis, ars verò longa: quoniam & occasio præceps, & experimentum periculosum, & iudicium difficile. Propter hoc enim & ars longa, quoniam occasio agendorum in ipsa est admodum præceps, hoc est angustissima, & † ferè momentanea. Et præterea quum sint duo instrumenta per quæ remedia inueniuntur, ratio scilicet, & experientia: hæc quidem est periculosa, ratio verò difficilis, hoc est, non facilior alterâ cognitu. Vera autem esse quæ dicuntur, non est difficile paucis ostendere. Occasio enim præceps est propter materiæ † fluxum: dico autem corpus, quòd continuè fluit, & momento temporis transmutatur. Experimentum autem & ipsum periculosum, materiæ ratione. Neque enim lateres, lutum, ligna, lapides, tegulæ, & coria, ita artis Medicinalis, sicuti aliarum materia sunt: in quibus multis modis impunè licet experiri, & circa materiam exercitari, & in omni theorematum meditatione versari: quod in lignis fabri lignarij

† ὀλιγοχρονιώτατος, i. breuissimi tẽporis.

† διὰ τὴν τῆς τέχνης ὕλην, propter artis materiam.

gnarij faciunt,in coriis coriarij.Ligna enim & corium si malè tractando destruxeris,nullum exinde periculum. In corpore autem humano illa experiri quæ non sunt experientiâ comprobata non est citra periculum, cùm mala experientia ad totius animalis interitum terminetur. Quinetiam iudicium, (est autem ratio ipsa iudicium,quoniam per ea, quæ sunt facienda , iudicantur) difficile est: verum inquam iudicium , seu vera ratio non facilè inuenitur: quod multitudo sectarum & opinionum in arte ostendit Medicinali. Neque enim si veritas esset inuentu facilis,tot ac tanti viri qui illam perquisierunt, vnquam fuissent in tam contrarias sectas dispartiti.Empiricis verò non videtur ratio dici iudicium , sed illorum quæ per experientiam inuenta fuêre,auxiliorum diiudicatio. Nam,vt verum fateamur,& hæc difficilis est, & propè inexplorata,quando multa remedia adhibita fuerunt ægrotanti, & aliquod illorum in causa fuisse dicatur, vt æger vel meliùs se habeat, vel deteriùs : quem si fortè contigerit primò bene dormisse, deinde vnctum fuisse,& posteà emplastrum adhibuisse, deinde clysterem , vel spontaneam habuisse ventris deiectionem, & deinde comedisse, & tales assumpsisse cibos , & post hæc omnia

sensisse

senſiſſe iuuamen vel detrimentum:non facile dictu eſt,quidnam eorum,quæ circa ipſum facta ſunt,aut iuuerit, aut nocuerit. His igitur ex cauſis omnibus iudicium perdifficile eſt. Iam igitur ſermonem totum vno capite colligamus Ars quidem longa ſit , ſi eam vnius hominis vitâ metiamur. Expedit autem relinquere poſteris commentationes, præſertim compendioſas atque aphoriſticas. Nam talis doctrinæ modus , & ad primam diſciplinam , & ad illa quæ didicerimus memoriâ retinenda ; vel ſi fortè obliuio interciderit , ad memoriam reuocanda vtiliſſimus eſt:Conſonant autem his & verba ſequentia. Nam vt quidem procemium fecerit ad commentationem, & ad ea quæ in ipſa ſcribenda erant,conuenienter ſubinferens hæc protulit verba , *Non ſolùm oportet præſtare ſeipſum opportuna facientem,ſed & ægrum,& aſſidentes, & exteriora.* Si quis,inquit,aliquando diiudicaturus eſt,quæ in hoc libro ſcribũtur,quantum habeant veritatis , non ſolùm ſe ipſum præſtare debet opportuna facientem , & nihil, quod ægro poſſit conducere,prætermittentem : ſed & ipſe æger parere Medico debet,& in nullo propriæ indulgere voluptati: miniſtri etiam idonei aſſideant,oportet,& vt exteriora omnia adſint apparata. Nam pro-

pter

pter illa plerunque vel præcognitionem, vel curationem, vel vtrãque interrumpi contingit. Exteriora autem ſunt habitationes idoneæ, vel turbarum plenæ, vel omni turbâ vacantes; & pręterea quæ nunciantur aut aguntur, quæ iram, triſtitiam, aut aliquem alium affectum infligunt ægrotanti, ſicuti & illa quæ ſoporem nocturnum abrumpunt aliquando: quæ propè infinita poſſunt contingere. Si igitur, inquit, hæc omnia bene & rectè ſe habuerint, nihil eorum quæ in hoc libro ſcribuntur, falſum eſſe inuenietur.

II.

ΕΝ τῇσι ταραχῇσι τῆς κοιλίης, καὶ τοῖσιν ἐμέτοισι, τοῖσιν αὐτομάτως γινομένοισιν, ἢν μὲν οἷα δεῖ καθαίρεσθαι καθαίρωνται, ξυμφέρει τε καὶ εὐφόρως φέρουσιν, ἢν δὲ μὴ, τοὐναντίον. οὕτω δὲ καὶ ἡ κενεαγγείη, ἢν μὲν οἵη δεῖ γίγνεσθαι, γίγνηται, ξυμφέρει τε καὶ εὐφόρως φέρουσιν. ἢν δὲ μὴ, τοὐναντίον. ἐπιβλέπειν οὖν δεῖ καὶ χώρην, καὶ ὥρην, καὶ ἡλικίην, καὶ νούσους ἐν ᾗσι δεῖ, ἢ οὔ.

In perturbationibus ventris & vomitibus ſpontinis, ſi talia purgentur, qualia purgari oportet, confert, & leuiter ferunt: ſin minus, contrà. Sic & vaſorum inanitio ſi talis fiat, qualis fieri debet, confert, & bene tolerant: ſin minus, contrà. Inſpicere itaque oportet & regionem, & tempus, & ætatem, & morbos in quibus conueniat, aut non. Non

Non de quantitate eorum quæ euacuantur, sermo ipsi est, vt nonnulli sunt arbitrati, sed de qualitate tantum, vt manifestant duo verba, *qualia* scilicet, & *qualis*. Nam in iis quæ sponte fiunt euacuationibus ita dixit, *Si qualia oportet purgari purgentur, confert, & leuiter ferunt*. In aliis verò quæ à Medico, *Si qualis fieri debet, ita fiat*. Atqui potuisset dicere. Si quantum purgari oportet, purgetur; & rursus, Si tanta fiat, quanta debet fieri. Hoc idem ostenditur & ex verbo *purgari*. Neque enim simpliciter dixit, Si qualia oportet euacuari: sed, *Si qualia oportet purgari*. Est autem purgatio, humorum qui sua qualitate molestant, euacuatio. In his itaque multi delinquunt expositores, qui neque verba neque hominis mentem rectè percipiunt. Adhuc autem magis peccant, cùm vasorum inanitionem alij pro inedia accipiunt, alij pro venæsectione. Hippocrates siquidem omnem euacuationem solet ab euẽtu nominare vasorum inanitionem: quoniam in omnibus euacuationibus contingit vasa inaniri. Sermo igitur nunc ipsi est de qualitate eorum quæ euacuantur. Sicuti autem semper adhortatur, vt quæ rectę à natura fiunt, etiam in artis operibus Medicus imitetur: sic & nunc idem agit, à spontinis

euacua

euacuationibus suam exorsus orationem: in quibus si qualia oportet purgari purgentur, (hoc est, ea quæ corpus infestant) confert, & leuiter ferunt. Quòd si aliorum fiat euacuatio, & non eorum quæ corpora nostra molestant, contrarium euenit: neque enim confert, & grauiter ferunt ægrotantes. Eodem pariter modo, si Medicus moliatur aliquam facere euacuationem, eorum esto quæ corpora nostra molestant, quemadmodum & in aliis locis humorem noxium præcipit euacuari, neque alterum illi in euacuatione præferri. Si igitur pituita superabundet, hanc omnino oportet euacuare: flauâ autem bile vel atrâ infestante, abstinendum est à pituita, & bilem infestantem euacuandum. Sic & si humor sanguineus in corpore modum excesserit, sanguinem euacuari oportet, sicuti & serosam eius partem, si hæc fuerit superabundans. Humorem autem superabundantem ex colore debemus coniectare, nisi aliqui fortè in profundum recesserint. *Color enim similis efflorescit humoribus, nisi intrò refluxerint.* In iis ergo præcipuè qui retrocesserunt, & non sunt æquâ portione per totum corpus diffusi, oportet inspicere regionem, & anni tempus, & ætatem, & morbos, in quibus conueniat, aut non: hoc est, in quibus

Lib. I. περὶ χυμῶν text. I.

bus conueniat aut non, talis, vel talis humoris facere euacuationem. Habet enim & vnusquisque humor in corpore superexcedens indicia propria: de quibus deinceps pleniùs dicemus. Perfectæ tamen gratiâ cognitionis, inspicere oportet tempus anni quod præsens est, & regionem in qua degunt ægrotantes, & eorum ætatem, & speciem ægritudinis. Sint enim, si ita contigerit, flauæ bilis in corpore abundantis indicia, simul cum ipsis inspiciendum erit, si tempus est æstiuum, si locus est calidus, si æger in ætatis vigore consistit. Eodem modo & in pituita considerandum, si adsit hyems, si regio frigida, si homo senex. Et præter hæc omnia ipsam morbi speciem inspicere oportet, veluti quòd tertiana (si ita contigerit) fit à flaua bile modum excedente, quartana ab atra, quotidiana à pituita, cancer ab atra bile, erysipelas à flaua, atque eodem modo singulas aliorum morborum species. Si enim hæc omnia distinxerimus, firmius atque stabilius ad noxij humoris euacuationem perueniemus. Illi autem expositores præ aliis (veluti absurda dicentes) repudiandi, qui putant ipsum de sola inedia quæ adhibetur in febribus, sermonem habere, cùm tamen febres non nominauerit, & sermo fiat de omnibus

nibus in vniuersum quæ sunt præter naturam, quorum nos docet † intentiones; ad quas respicientes nos oportet inuenire non quantitatem, sed qualitatem euacuationis. Nam de quantitate, sequens differit aphorismus. Quo autem morbi tempore aggredi oporteat euacuationem, & quo modo ipsa sit facienda, in aliis deinceps dicet aphorismis: quare neque nunc mihi de his dicere est necessarium. Sic enim nostra doctrina non foret sapientior, & nostræ commentationes ad immodicam & minimè necessariam prolixitatem peruenirent.

† *Scopes seu respectus.*

III.

Ἐν τοῖσι γυμναστικοῖσιν, αἱ ἐπ' ἄκρον εὐεξίαι σφαλεραὶ, ἢν ἐν τῷ ἐχάτῳ ἔωσιν. οὐ γὰρ δύνανται μένειν ἐν τῷ αὐτέῳ, οὐδὲ ἀτρεμέειν. ἐπεὶ δὲ οὐκ ἀτρεμέουσιν, οὐκέτι δύνανται ἐπὶ τὸ βέλτιον ἐπιδιδόναι, λείπεται ἐπὶ τὸ χεῖρον. τουτέων οὖν εἵνεκεν τὴν εὐεξίην λύειν ξυμφέρει μὴ βραδέως, ἵνα πάλιν ἀρχὴν ἀναθρέψιος λάβῃ τὸ σῶμα. μηδὲ τὰς ξυμπτώσιας ἐς τὸ ἔχατον ἄγειν, σφαλερὸν γάρ. ἀλλ' ὁκοίη ἂν ἡ φύσις ᾖ τοῦ μέλλοντος ὑπομένειν, ἐς τοῦτο ἄγειν. ὡσαύτως δὲ καὶ αἱ κενώσιες αἱ ἐς τὸ ἔχατον ἄγουσαι, σφαλεραί. καὶ πάλιν αἱ ἀναθρέψιες αἱ ἐν τῷ ἐχάτῳ ἐοῦσαι, σφαλεραί.

† *athletarum. Gaza.*

Habitus † exercitatorum, qui ad summum boni

bonitatis attingunt, periculosi, si in extremo constiterint: neque enim possunt in eodem permanere, neque quiescere. Cùm verò non quiescant, neque possunt proficere in melius, reliquum est vt decidant in deterius. His de causis, bonum habitum statim soluere expedit, vt corpus rursus nutriri incipiat. Neque compressiones ad extremum ducẽdæ, periculosum enim: sed qualis natura fuerit eius qui debet perferre, ad hoc ducere conuenit. Sic & euacuationes quæ ad extremum deducunt periculosæ. Et rursus refectiones, cùm extremæ fuerint, periculosæ.

Illum qui antecedit sermonem esse de eorum quæ euacuantur qualitate docuimus. In hoc autem & sequentibus vult de quantitate docere: & ab immoderata repletione atque euacuatione initium sumit, in hoc quoque aphorismo proposito, sicuti in alio præcedente, quoddam exemplum supponens, & ad hoc, vt consueuit, suum sermonem dirigens. Exemplum autem ipsi est exercitatorum bonus habitus. Vocat autem bonum habitum exercitatorum, illorum scilicet quorum hoc est totius vitæ institutum, assiduè operam dare exercitationibus, vt alios deiiciant, quales sunt athletæ. Qui enim simpliciter bonus habitus nominatur, quem plurimi agricolæ habent, in fodienda terra, metendis

tendis ſegetibus,& aliis ruralibus laboribus occupati, ad immodicam repletionem non attingit. Athletarum autem bonus habitus, non mediocrem hanc culpam habet, quòd ſtudent tumoris molem corpori adiicere, ſicuti etiam humorum multitudinem. Hi enim apparatus quidam ſunt totius corporis nutritionis,& niſi ipſi præſto ſint,fieri non poteſt vt corpora ad tumorem immodicum perducantur. Quare neceſſarium eſt huiuſcemodi diſpoſitionem eſſe periculoſam. Cùm enim vaſa cibis ac potibus fuerint ſupra modum repleta,periculum eſt ne diſrumpantur, aut calor natiuus ſtranguletur aut extinguatur:ſicuti & nonnulli athletæ, qui ad immodicam venerunt repletionem,eadem ex cauſa ſubitâ morte interierũt.Qui autem ad naturæ opera vtilis eſt bonus corporis habitus, nulli tali periculo obnoxius eſt, quia nunquam ad extremam peruenit repletionem: quare neque ipſum ſoluere oportet, ſicuti athletarum, cùm ad extremum peruenit. Hunc enim ſoluere oportet, haudquaquam morantes, ſed anticipantes ſolutione periculum.Cauſam verò ob quam ſoluere oporteat,talem ipſe ſubiecit, dicens, *Neque enim poſſunt in eodem permanere, neque quieſcere.* Nam cùm ſemper natura coctionem, ali-

menti distributionem, sanguinis generationem, adiectionem, agglutinationem, atque assimilationem operatur, quando nihil adiici solidis corporis partibus potest, neque venæ ampliùs habent conceptaculum, in quod alimentum distributum recipiatur, necessariò periculum imminet aut diruptionis alicuius vasis, aut mortis repentinæ. Vt igitur corpus rursus habeat locum quo nutriatur, bonum habitum oportet sine mora soluere. Eius autem solutio est euacuatio, vt liquet. Et hanc quoque oportet non vltra modum facere: cùm sit immodica euacuatio non minus immoderatâ repletione periculosa.

† *respectus.*

† Intentio autem quantitatis euacuationis, non solùm humorem respicit superabundantem, sed & naturam, id est, vires hominis qui debet euacuari. Alij enim minus, alij magis perferunt euacuationes. Hæc quidem ab ipso de bono habitu athletarum dicta fuere: quæ ipsa per seipsa possunt conducere iis qui tale vitæ institutum elegerunt: & sunt Medicis veluti exemplum sermonis postea subiungendi: Inquit enim: *Sic & euacuationes quæ ad extremum deducunt, periculosæ. Et rursus refectiones cùm extremæ fuerint, periculosæ.* In quo sermone toto summa sententiæ hæc est, quòd neque euacuare

cuare,neque replere ſupra modum oporteat: cuius rei documento eſſe poteſt bonus habitus athletarum, qui alioqui inculpabilis exiſtens (vt qui & bonis abundet humoribus,& vires habeat robuſtas)hoc ſolum malum perniaximum gerit, quòd ad extremam venit repletionem : quapropter ſtatim eum ſoluere oportet. Et ſicuti rurſus qui ſunt tali natura præditi, non ſunt ad extremam euacuationem perducendi: ſic & qui aliâ quauis egent euacuatione , non ſunt ſupra modum euacuandi.Nam vt in vniuerſum dixerimus, in omni euacuatione vires ægroti oportet attendere : & donec tolerat, & nondum laborat , tentandum eſt humorem exuperantem educere : cùm verò diſſoluuntur vires , etiamſi reſtent ſuperfluitates , cauere oportet earum euacuationem. Quod autem ait, *Et rurſus refectiones ſi in extremo conſtiterint, periculoſæ :* ſi quis debeat ſermonem hunc ad exemplum retribuere, ne ſit decurtatus, de vltima dictus repletione videbitur , quam iubeat caueri , & non vſque adeò refici corpora , vt ad extremam veniant repletionem. Si verò ſermonis figuram attenderis , vt nonnulli expoſitores fecere : de eadem re bis ipſum dicere , ſed aliter atque aliter, cogitabis. Cùm igitur ita

 dixerit,

dixerit, *Sic & euacuationes quæ ad extremum perducunt, periculosæ*: ex hoc ipso solùm putabis præcipere, fugiendas esse immodicas euacuationes, quoniam sint admodum periculosæ. Cùm verò subiungens dixerit, *Et rursus refectiones, cùm in extremo constiterint, periculosæ*: ob hoc vetare putabis immodicas euacuationes: quoniam & refectiones consequentes, haudquaquam securæ existunt, cùm sit natura iam facta imbecillis, & neq; iam possit sufficienter coquere, neque distribuere alimentum, neque assimilare. Verùm si quis ita sermonem acceperit, altera doctrinæ pars de superflua repletione relinquetur, & frustra exemplum de bono exercitatorum habitu erit allatum. Quid? quòd & hoc ipsum verbum, *rursum*, in tota adiectum oratione, sententiam quam diximus videtur manifestare, cùm ita dicat: *Et rursus refectiones cùm in extremo constiterint, periculosæ*. Vt enim qui de altera re sermonem faciat, ita verbum *rursus* apposuit.

I V.

Αἱ λεπταὶ καὶ ἀκριβέες δίαιται, καὶ ἐν τοῖσι μακροῖσιν αἰεὶ πάθεσι, καὶ τοῖσιν ὀξέσιν, οὗ μὴ ἐπιδέχεται, σφαλεραί. καὶ πάλιν αἱ ἐς τὸ ἔσχατον λεπτότητος ἀφιγμέναι δίαιται χαλεπαί. καὶ γὰρ αἱ πληρώσιες αἱ ἐς τὸ ἔσχατον ἀφιγμέναι χαλεπαί.

Victus

Victus tenuis atque exquisitus, in morbis quidem longis semper, in acutis verò, in quibus non conuenit, periculosus. Et rursus, qui ad extremum deuenit tenuitatis, grauis est. Nam & repletiones quæ ad extremum deueniunt, graues sunt.

Cùm in superiori aphorismo de qualibet immodica repletione atque euacuatione locutus fuerit, in hoc de ægrotantium victu sermonem habet, præcipiens nobis, in morbis longis semper victum cauere tenuem, in acutis verò non semper. Plurimi enim horum victum tenuem exigere videntur: quidam verò eorum etiam illum qui ad extremum tenuitatis deuenit. Esset autem victus tenuis in extremo quidem, qui per solam inediam vel melicratum, vsque ad crisim, siue iudicationem procedit. Tenuis verò, qui per pauca, aut parum nutrientia edulia, quale est prissanæ succus. Eius autem terminus est virium exolutio, quarum gratiâ nutrimus. In sanis quidem corporibus semper oportet robur seruare naturæ, vel augere alimentis, non demoliri. Et est quidem augere potens, alimentum quod plenum vocatur: conseruans verò, quod modicum existit: quod verò comminuit, tenue. Hoc igitur semper fugere

oportet: aliorum verò vtrolibet, vt præsentia exigunt, vti. In ægrotantibus autem † rarò quidem interdum robur corporis maius reddere quàm acceperimus, studemus. Magna verò ex parte properamus in longis quidem morbis fouere vires, in acutis verò parum debilitatas conseruare. Nam si eas tales, quales accepimus, properemus in istis seruare, vel etiam augere, semper addemus ad morbum. Qui verò sint morbi acuti qui victum exigant tenuissimum in extremo, & qui tenuissimum quidem, non tamen in extremo, qui etiam tenuem, in libro de victu acutorum (qui de ptissana à nonnullis inscribitur) plenius Hippocr. docuit: & nos in nostris in eundem librum expositionibus totum sermonem absoluimus. Nunc verò tantum dixisse sufficiat, quòd in omnibus morbis quibus maximus vigor & iudicatio primis quatuor diebus futura sit, modò natura sit fortior, integram inediam seruare debemus, quæ est victus extremè tenuis. In quibus verò non vltra primam septimanam protrahatur, forti existente naturâ, solo vtendum est melicrato: qui fuerit & ipse victus tenuissimus, non tamen in extremo. Quòd si naturæ robori non satis fidamus, ptissanæ vtemur succo.

Ratio

† *Alicubi græc. legitur*, σπάνιον μὴν ἐνίοτε δὲ, *id est, rarò quidem, nonnunquam tamen.*

Rationabiliter autem huiuscemodi victus, tenuis diceretur: sicuti qui per ptissanam hordeaceam, non est quidem tenuis exquisitè, nisi omnino pauca assumpta fuerit: non tamen propterea plenus, qualis qui fit per oua, & alicam, & pisces, atque alia huiuscemodi. Quod igitur adiectum est sermoni de acutis, in quibus non conuenit, haudquaquam dicitur propter peracutos: de his enim ipse mox inquiet: *Vbi igitur morbus peracutus est, statim & extremos labores habet, & victu etiam in extremo tenuissimo vtēdum est.*

V.

Ἐν τῇσι λεπτῇσι διαίτῃσιν ἁμαρτάνουσιν οἱ νοσέοντες, διὸ μᾶλλον βλάπτονται· πᾶν γὰρ τὸ ἁμάρτημα, ὃ ἂν γίνηται, μέγα γίνεται μᾶλλον, ἢ ἐν τῇσιν ὀλίγον ἁδροτέρῃσι διαίτῃσι. Διὰ τοῦτο καὶ τοῖσιν ὑγιαίνουσι σφαλεραὶ αἱ πάνυ λεπταὶ καὶ καθεστηκυῖαι καὶ ἀκριβέες δίαιται, ὅτι τὰ ἁμαρτανόμενα χαλεπώτερον φέρουσι.] Διὰ τοῦτο οὖν αἱ λεπταὶ καὶ ἀκριβέες δίαιται σφαλεραὶ ἐς τὰ πλεῖστα τῶν σμικρὸν ἁδροτέρων.

In tenui victu ægri delinquunt, quo fit vt magis lædantur. Quicunque enim error committitur magnus, maior in hoc fit quàm in paulò pleniori victu. Propterea etiam sanis periculosus existit valdè exquisitus victus & † constitutus, quoniam errores grauius ferunt.

† Certus & præscriptus.

runt. Ob hoc igitur tenuis victus atque admodum exquisitus, eo qui sit paulò plenior magis periculosus.

Huius initium aphorismi etiam aliter scriptum inuenitur, hoc modo scilicet, *In tenui victu magna ex parte † duo peccant, qui ægrotant: quo fit vt magis lædantur.* Et hanc scripturam plerique magis alterâ probant, hoc putantes Hippocratem voluisse dicere: quòd in tenui victu bifariam ægri delinquentes, magis læduntur. Nam insciis Medicis ob hoc ipsum coguntur cibari, quoniam tenui victu ab ipsis reguntur, & hinc maius detrimentum suscipiunt, quàm si victu tenuiore non regerentur. † Adhuc autem delinquunt, scilicet ob virium imbecillitatem, vt quæ antea alimenti inopiâ laborauerint. Mihi autem videtur prior scriptura melior, vt quæ hanc quoque complectitur, & sermonem facit generaliorem, cùm de omni delicto doceat, siue volentibus, siue inuitis ægrotantibus accidat, adeò vt talis sit sermo: Quicunque error accidit ægrotantibus qui tenui victu reguntur, hic maius affert periculum, tum quia natura à tali victu debilitatur, tum quia ad eum transitus est insuetus. Confirmant antedictam scripturam ea quæ de sanis dicuntur, in quibus tenuem ait victum

† Expl. quedã, ν detur habuisse, δύο μᾶλλον βλάπτοντες.

† Quod autem delinquunt manifestum est, quoniã vires habent imbecillas: hoc videtur velle impress. cod. Leonic. tamen videtur legisse, ἔτι δὲ

ctum esse periculosum, quoniam errores grauiùs ferunt: non quòd propter victûs tenuitatem cogantur delinquere. Quæ verò de aphorismo sequuntur, sunt manifesta.

ἁμαρτάνουσι δηλονότι.

VI.

Ἐς δὲ τὰ ἔσχατα νοσήματα, αἱ ἔσχαται θεραπεῖαι ἐς ἀκριβείην, κράτισται.

Extremis morbis, extrema exquisitè remedia optima sunt.

Extremos morbos nominauit Hippocrates summos, vltra quos non sunt alij. Quare præcipit in ipsis fieri exquisitissimam vniuersam curationem, & victum † pariter adhiberi tenuissimum. Sunt autem omnino morbi huiuscemodi peracuti. Vnde sequentem subiungens aphorismum, ait,

† Δηλονότι, videlicet.

VII.

Ὅκου μὲν οὖν κάτοξυ τὸ νόσημα, αὐτίκα τοὺς ἐσχάτους πόνους ἔχει, καὶ τῇ ἐσχάτως λεπτοτάτῃ διαίτῃ ἀναγκαῖον χρέεσθαι. ὅκου δὲ μὴ, ἀλλ' ἐνδέχεται ἁδροτέρως διαιτᾷν, τοσοῦτον ὑποκαταβαίνειν, ὁκόσον ἂν ἡ νοῦσος μαλθακωτέρη τῶν ἐσχάτων ᾖ.

Vbi morbus peracutus est, statim extremos habet labores: & extremè tenuissimo victu vtendum est. Vbi verò non, sed pleniorem victum contingit adhibere: tantum cibi indulgendum est, quantò morbus extremis est mollior.

† Sicuti

† Sicuti extremos morbos, summos is prius nominauit: ita & nunc extremos labores, summos appellat: labores autem, vel accessiones, vel simpliciter† casus vniuersos. Etenim accessiones, atque omnes simpliciter casus maximos possidet morbus peracutus statim in primis morbi diebus: nam in ipsos statim morbi incidit vigor: qui nihil aliud est, quàm morbi summum vtique inter symptomata. Et quidem morbus ille est peracutus, qui statim in summo vigore consistit. Statim autem est intelligendum circa primos quatuor dies, vel paulò vlterius. Idcirco autem extremè tenuiter victum adhibere conuenit, quoniam victus tenuissimus morbis iam consistentibus est necessarius: quemadmodum docuit in libro de victu acutorum, & in hoc ipso aphorismo. Consistit autem morbus peracutus statim in primis diebus. Quòd autem sit rationi consonum, in morbi vigore tenuissimo vti victu, alibi est à nobis plenius ostensum. Nunc id tantum dixisse sat erit, quòd si propter inflammationes, vel febres (quæ à morbis acutis sunt inseparabiles) quispiam veretur † effatu dignum afferre alimentum, hoc ipsum morbo in suo vigore consistente magis verebitur

† ὥσπερ ἔμπροσθεν, ait cod. antiq. id est, sicuti prius.

† Per, casus, vbique intellige symptomata: quod semel sit admonitum.

† Iustũ & sufficiens.

tur facere. Tunc enim phlegmasiæ maximè existunt, vt ipse inquit in *libro de victu acutorum*: siue qui per phlegmasias velit intelligere illas quæ propriè dicuntur inflammationes, siue etiam libeat febres vnà complecti, secundum antiquam vocabuli acceptionem. Accedit ad hæc, quòd melius est naturam permittere vacare circa morbi coctionem, morbo in suo vigore consistente, neque distrahere ipsam ad cibos recenter assumptos conficiendos. Hac quidem ratione, cùm morbus consistit, victu tenuissimo oportet vti. Hoc ergo supposito, in aliis quidem morbis qui suum vigorem sunt posterius accepturi, non licet offerre statim ab initio tenuissimum victum. Nam prius homo morietur, quàm morbus in vigore consistat. In quibus verò morbi vigor statim futurus est, hoc est in primis quatuor diebus, in iis possumus victu extremè tenuissimo vti. Cùm vires tolerent vel inediam meram, vel solius melicrati exhibitionem, vel paucum omnino ptissanæ, talis siquidem est tenuissimus victus. Qui verò hoc minus tenuis existit, quem etiam pleniorem nominauit, illis conuenit morbis qui posterius in suo debent vigore consistere, in quibus præcipit tantum à victûs

tenuita

tenuitate declinare, quantum morbus ab extremis recedit, hoc est à vigore summo. Hoc enim proximo existente: minùs pleniorem victum offeremus: longiùs verò distante, plus: & quanto tardiorem fore summum morbi vigorem expectabimus, tantum & victus figuram commutabimus.

VIII.

ΟΚόταν δὲ ἀκμάζῃ τὸ νόσημα, τότε καὶ τῇ λεπτοτάτῃ διαίτῃ ἀναγκαῖον χρέεσθαι.

Quando morbus in suo vigore constiterit, tunc victu tenuissimo vtendum est.

Hic pariter sermo pars quædam est artis, quæ docet victum conuenientem adhibere, qui à nonnullis seorsum scribitur per verba nuper dicta: ab aliis verò antecedenti annectitur aphorismo, eo modo quo anteà scriptus est. Docet autem nos, vtcunque scribatur, vnam & eandem victûs rationem, antiquo Magistro præcipiente, quòd vbi morbus in suo vigore consistit, victu tenuissimo vtendum est, tum propter casuum magnitudinem, tum propter morbi coctionem. Neque enim distrahere oportet naturam ad alteram nouam coctionem, cùm eo tempore vni humorum † noxiorum coctioni fortiter vacet, & haud ita multo post ipsos sit euictura. Sic enim ostendimus & in tractatione

† *Morbum facientium.*

ctatione de Crisibus. Nunc verò de iis tantum morbis sermo transigitur, in quibus omnino & curationem & victûs intendimus rationem. Ij verò sunt, in quibus post vigorem sequitur declinatio. Nam quorum summum vigorem excipit mors, in his parte artis vtimur solâ, quæ prognostica nominatur, id quod futurum sit prænuntiantes, ne euentus rerum nostrò adscribatur errori. Hæc igitur tibi sit vna indicatio, sumpta ex morbi temporibus ad victûs rationem; altera verò à viribus ægrotantis, quam in sequenti docet aphorismo.

IX.

Συντεκμαίρεσθαι δὲ χρὴ καὶ τὸν νοσέοντα, εἰ ἐξαρκέσει τῇ διαίτῃ πρὸς τὴν ἀκμὴν τῆς νούσου, καὶ πότερον ἐκεῖνος ἀπαυδήσει πρότερον, καὶ οὐκ ἐξαρκέσει τῇ διαίτῃ, ἢ ἡ νοῦσος πρότερον ἀπαυδήσει καὶ ἀμβλυνεῖται.

Coniectari autem oportet, an æger cum victu sufficiat perdurare donec morbus consistat, & nunquid prius ille deficiat, nec possit cum victu perdurare: vel morbus antea deficiat atque hebetescat.

Quia in superiori aphorismo tantùm iussit ab eo qui extremè tenuis victus nominatur, declinare, quanto morbus mollior extiterit quàm sit eius vigor: nunc in

hoc loco alteram adiicit intentionem, vt quantitatem declinationis exquisitè noſcamus. Eſt autem hæc intentio, vis ipſa ægrotantis: cuius gratiâ nutrimus. Neque enim morbi causâ. Cùm enim vis ita robuſta fuerit, vt ſperemus ipſam poſſe perdurare totum tempus intermedium vſque ad ſummum morbi vigorem, cum tali victûs forma: tunc exquiſitam habebimus declinationis, quam diximus, quantitatem. Quod ſi imbecillior † extiterit, adiiciendum aliquid victui, & plenior eſt adhibendus, tantum ſcilicet, quantum natura imbecillior expoſtulat. Quocirca aliquando in ipſo etiam morbi vigore, vbi caſus aliquis interuenerit, robur naturæ diſſoluens, nutrire cogimur. Eſt autem hic quoque ſermo, pars totius offerendi alimenti rationis. Vnde ſi quis & hunc, & priorem, atque ſequentem aphoriſmum vnum fecerit, non aberrabit. Ego verò in partes ſecans expono, quoad fieri poteſt, doctrinæ gratiâ clarioris.

† φαίνηται.

X.

Ὁκόσοισι μὲν οὖν αὐτίκα ἡ ἀκμὴ, αὐτίκα λεπτῶς διαιτᾶν. ὁκόσοισι δὲ ἐς ὕστερον ἡ ἀκμὴ, ἐς ἐκεῖνο καὶ πρὸ ἐκείνου μικρὸν ἀφαιρετέον. ἔμπροσθεν δὲ πιωτέρως διαιτᾶν, ὡς ἂν ἐξαρκέσῃ ὁ νοσέων.

Quibus

Quibus igitur statim morbus consistit, iis statim tenuis victus adhibendus est: quibus verò posterius debet consistere, iis & in ipso consistendi tempore, & parum ante illud, cibus subtrahendus: prius verò vberius alendum, vt æger sufficiat.

Hic pariter sermo eandem sententiam habet cum priore, nisi quòd est vniuersalior. Prius enim in peracutis morbis dicebat, quòd statim in ipsis tenuissimo victu vti oporteret. Hic verò simpliciter de omnibus morbis pronuntiat, quibus statim consistendi tempus futurum est, hoc est, non multo post primam accessionem: iubens ob id tenuem adhibere victum. Quæ verò sequuntur, sunt manifesta: cùm eidem hæreant sententiæ.

X I.

ἘΝ τοῖσι παροξυσμοῖσιν ὑποστέλλεσθαι χρὴ, τὸ προστιθέναι γὰρ βλάπτει. καὶ ὁκόσα κατὰ περιόδους παροξύνεται, ἐν τοῖσι παροξυσμοῖσιν ὑποστέλλεσθαι χρή.

In accessionibus abstinere oportet: nam cibum dare nocuum est, & quibus per circuitum fiunt accessiones, in ipsa accessione abstinere oportet.

Totius quidem victûs rationem in vnoquoque morbo à duabus intentionibus iuf-

sit assumere, ex summo totius morbi vigore, & ex viribus ægrotantis. Quomodo verò quispiam particulatim cibum offerat conuenienter, in hoc docet sermone, caueri iubens morborum accessiones. Ipse verò manifestus in *libro de victu acutorum* dixit, quòd neque cùm iam adsunt, neque cùm haud ita multo pòst affuturæ sunt accessiones, cibus dandus est, sed cùm declinant aut cessant.

XII.

Τοὺς δὲ παροξυσμοὺς καὶ τὰς καταστασίας δηλώσουσιν αἱ νοῦσοι, καὶ αἱ ὧραι τοῦ ἔτεος, καὶ αἱ τῶν περιόδων πρὸς ἀλλήλας ἀνταποδόσιες, ἤν τε καθ' ἡμέρην, ἤν τε παρ' ἡμέρην, ἤν τε καὶ διὰ πλείονος χρόνου γίγνωνται. ἀτὰρ καὶ τοῖσιν ἐπιφαινομένοισιν, οἷον ἐν πλευριτικοῖσι πτύελον, ἢν αὐτίκα ἐπιφαίνηται ἀρχομένου, βραχύνει. ἢν δ' ὕστερον ἐπιφαίνηται, μηκύνει. καὶ οὖρα, καὶ ὑποχωρήματα, καὶ ἱδρῶτες, καὶ εὔκριτα, καὶ δύσκριτα, καὶ βραχέα, καὶ μακρὰ τὰ νοσήματα, ἐπιφαινόμενα δηλοῖ.

Accessiones verò & constitutiones morbi indicabunt, & anni tempora, & circuituum successiua incrementa, siue quotidie, siue alternis diebus, siue per maiora interualla fiant. Sed ex iis quæ mox apparent, indicia sumuntur: quemadmodum in morbo laterali si circa initia statim sputum appareat, morbum breuiat:

uiat: si verò postea appareat, producit. Et vrina, & alui excrementa, & sudores, quæcunque apparuerint, vel bonam morborum iudicationem, vel malam, vel breues aut longos fore morbos ostendunt.

Si quæ prius dicta fuerunt ab eo de victûs ratione, ad memoriam reuocemus: eorum quæ nunc dicuntur, vtilitas fiet nobis manifestior. Quæ autem prius dicta fuerunt, hæc sunt: Totius victus figuram ad duas respiciens intentiones faciebat, quarum altera erat vis ægrotantis, altera constitutio morbi. Nam considerare, si morbus sit acutus, vel peracutus, vel longus, & quando maximè in vigore consistet: nihil aliud est nisi morbi constitutionem considerare. Particulares autem ciborum oblationes, ex accessionibus particularibus coniectabatur. Cùm igitur tres essent intentiones ad perfectam & indeficientem victûs rationem: prima quidem sumpta est ex viribus ægrotantis, secunda ex morbi constitutione, & tertia præter has ex particularibus accessionibus. Vires quidem sub primo statim ingressu comprehendere Medicus potest, ex pulsibus scilicet & aliis quæ ipse in libro prognostico latiùs scriptitauit: vnde nemo dixerit virium magnitudinem

esse incomprehensibilem. At si non possimus earum quantitatem † exquisitè cognoscere, posse tamen nos artificiosa quadam coniectura ad veritatem proximè accedere, nemo inficiabitur. Sed morbi * constitutionem, qualisnam sit, & particulares accessiones, multi Medici existimarunt non posse dignosci:non tamen idem sensit Hipp.sed & in hac parte, sicuti & in aliis, † sæpe quidem exquisitè, & vt quispiam dixerit, peritè atque scienter, sæpe verò coniecturaliter quidem,non tamen inartificiosè,neque longè à veritate, sed propè atque proximè peruenimus ad cognoscendum futurum consistendi tempus, & accessionum successiuas reciprocationes. Verùm hæc omnia latius & in libris qui Prognostica, & in aliis qui Epidemia inscribuntur, Hipp. docuit: & nos iuxta antiqui Magistri sententiam, ipsius verba cum decenti expositione apposuimus in libro primo de Crisibus: in quo ostendimus quomodo quispiam futurum morbi vigorem possit præcognoscere. Nunc verò omnia sunt ab Hipp. per capita tradita: & nos quàm breuissimè fieri poterit, ipsa dilucidabimus. Quibus verò curæ est omnem de his disciplinam diligenter perdiscere, ad librum de Crisibus à nobis scriptum, legendum accedat. Ipsi igitur morbi, accessionum

† *ἀκρι-βῶς, perfectè.*

* *ἰδέα, forma.*

† *Græc. exempl. manuscript. addunt ἁπάντων, id est, omnibus.*

ſimiles proportiones, & ſuas etiam conſtitutiones nihilominus oſtendunt : veluti in intermittentibus , * quòd tertiana quidem citò;† terminatur, quotidiana verò longa eſt, quartana autem etiam hac longior exiſtit. In continuis verò , † ardentes quidem acutæ ſunt : quæ verò typhodes , id eſt † ſuccendentes nominantur, longiores : mediæ verò † inter has , ſemitertianæ. Quomodo verò quiſpiam has omnes febres ſtatim inuadentes dignoſcat, ſecundo libro de Criſibus plenius edocuimus : quare non oportet ad hunc transferre ſermonem quæcunque bene dicere in aliis anticipauimus : neque enim ſæpius eadem in pluribus libris ſunt repetenda , ſed ſolùm ad memoriam reuocandum : quòd ſi poſſibile fuerit tertianam inuadentem ſtatim ,ab initio cognoſcere, ex ea comprehendere quimus,quòd citò terminabitur , & quòd per tertium diem fient acceſſiones,& hoc eſt quod ab Hipp. dicitur: *Acceſſiones autem , & conſtitutiones morbi indicabunt,*&c. Nos quidem cùm ſtatim prima die febrium quartanarum initia ſæpè cognouiſſemus:non expectatâ ſecundâ acceſſione,formam victûs ab initio conſtituimus, tanquam ad morbum qui longo pòſt tempore ad ſuum vigorem foret peruenturus.Sic

* *à causa.*

† Ταχυκρίσιμος, *id est, citi iudicij.*

† καύσωνες.

† *fumosa.*

in quotidiana & tertiana fecimus, tempus futuri vigoris in vtraque secundum proprium terminum metientes. Sicuti autem in febribus, itidem in aliis morbis est faciendum. Morbus enim lateralis, peripneumonia & phrenitis, morbi acuti sunt. † Angina autem, iuxtangina, & cholera, & † distentio neruorum, peracuti. Aqua inter cutem, melancholia, & suppuratio, & tabes, diutini. Et morbo quidem laterali, & phrenitidi, magna ex parte per tertium diem accessiones fiunt: suppurationibus autem & tabibus, quæ ventri eueniunt, aut hepati, quotidie, & præcipuè ad noctem: qui verò ex liene laborant, & omnino ex atra bile, per quartum. Quod autem deinde dicitur de anni temporibus, ad ea quæ anteà dicta sunt, habet relationem. Nam & morbi constitutiones, & accessiones possunt ab anni temporibus vnà cum morbo indicari. Neque enim sufficit hoc tantùm scisse, quòd quartana inuasit hoc die, vt ab initio præcognoscamus instituendam rationis victûs formam, vt ad morbum futurum diutinum: sed etiam si hyeme, aut vere, vel æstate, vel autumno suum fecit initium prospicere oportet: id cognoscentes, quod æstiuæ quidem quartanæ magna ex parte breues sunt, autumnales longæ, & maximè, quæ hye-

† *Synãche autem & Cynanche.*

† *Tetanus.*

2. aph. 25.

mem attingunt. Nam hæc eadem ipſe nos in ſequentibus edocebit. Quin etiam tertiana febris, cùm alioqui citò terminetur: citiùs tamen multo æſtate, quàm hyeme, & aliis pariter ſingulis morbis æſtas quidem addit celeritatem, hyems verò tarditatem Sed & acceſſiones tertio die quidem magna ex parte æſtate fiunt, quarto verò die autumno, ſingulis verò diebus aut noctibus hyeme. Sicuti autem in anni temporibus, ſic & in temperaturis ex proportione ſe habet: de quibus & ipſe Hippocrates ſæpe diſſeruit, non tamen hîc quidquam dixit, vt qui ex vno alia nobis ad memoriam reuocanda reliquerit. Quæ enim tempus æſtiuum, eadem & ægri temperatura, ſi fuerit calidior & ſiccior: & ætas ſi in ſuo vigore conſtiterit, & locus ſi calidus & ſiccus, vnà indicabunt, quemadmodum & vitæ genus, & conſuetudo eodem modo ſe habens, & præſens aëris nos ambientis conſtitutio: de quibus poſteà docebit. Sic & quæcunque de tempore autumnali ad morbi conſtitutionem, & acceſſionum reciprocationem aſſumebantur: hæc eadem & de ætate ægrotantis atque natura, & vitæ induſtria, & aſſuetudinibus, & regione, in qua ægrotat, & aëris ambientis, quæ tunc vagatur, temperatura, aſſumere licet. Ex

Vide rei rationẽ 2. *aph.* 25.

his quidē iam constare potest, quòd & morbi constitutionem & accessiones cognoscemus. Constitutionem quidem, si morbus fuerit peracutus, vel diutinus: quod ad consistendi tempus agnoscendum est necessarium. Accessiones verò, an tertio die, an quarto, vel singulis diebus, siue quâ horâ diei aut noctis sint inuasuræ. Quòd verò circa finem aphorismi scribit, deinceps videamus si ad eorum, quæ nos diximus, faciat declarationem. Sic enim Hippoc. inquit: *Et circuituum successiua incrementa, siue quotidie, siue alternis diebus, siue per maiora interualla fiant.* Clarum est autem ipsum intelligere per circuituum incrementa, accessionum augmenta, quæ in ipsis eueniunt: ex quibus & morbi† augmentum, & futuri vigoris tempus præfinitum maximè discere possis. Secundæ accessionis ad primam accrementū in hisce tribus conspicitur, in hora, quâ fit accessio, in longitudine accessionis, & in magnitudine. Nihil autem differt si etiam in vehementia dixeris: quia hęc duo nomina sunt apud Medicos vsitata, & sæpius ea de re eadem pronuntiant, cùm aliquando dicunt maiorē fuisse febrem eâ quæ præcessit, aliquando vehementiorem. Contingit autem hanc febrem vehementem, vel æquales horas cum præcedente obtinere, vel

Alibi nō χρόνον αὐξήσεως, id est tēpus augmēti, sed τρόπον, id est modum.

vel pauciores,vel plures : quod ad magnitudinem non pertinet siue vehemẽtiam accessionis, sed ad prolixitatem. Per accessionem autem te oportet nunc intelligere deterius tempus totius circuitus,quod est à primo insultu vsque ad tempus consistendi:sicuti reliquum tempus declinationis est melius.Cùm itaque accessio,siue per tertium,siue quartum diem,siue quotidie fiat, similẽ anticipauerit proportionem,atq;ita anticipãdo ad longius extenditur tẽpus,atque insuper vehementiùs afflixerit:tunc manifestum est morbi augmẽtum. Quantum autem augeatur,vnumquodque ex dictis sua quantitate mõstrabit,siquidem accessio pluri tẽpore anticipans,& longius atque etiam multo vehementius affligens † effatu dignum indicabit augmentum, & velocem esse morbi motum , atque haud ita multo pôst in suo vigore futurum. Neque enim fieri potest , vt magna incrementa suscipientibus accessionibus , non proxima sit morbi consistentia. Contraria autem accessio , quæ scilicet parua faciat incrementa omnium eorum quæ diximus : quantum ad hoc attinet , longiùs distare futurum morbi vigorem ostendit. Hoc igitur ipsum per circuituum incrementa discemus , coniecturâ scilicet assequi posse , post quantum tempus morbus

† Magnũ.

morbus in suo vigore consistet, ac præterea † horam præfinitam, quâ accessio inuasura sit. Conducit autem prius ad formam totius victus constituendam, posterius verò ad temporum particularium cognitionem, in quibus cibus est dandus: quorum intentiones ipse ab initio docere proposuit. Quòd autem circuitum vocet similem ad idem reditum, neminem puto dubitare. Porrò autem ex † iis quæ mox apparent, ait coniecturandum esse de accessione, & totius morbi constitutione. Siue autem casus, siue signa velit quispiam illa, quæ mox apparent, nominare, nihil retulerit. Illud autem de omnibus casibus signisve præstat cognoscere, quòd nonnulla quidem eorum significant passionem, * aliqua assident, aliqua * decernunt ac iudicant: aliqua coctionem, aliqua cruditatem; aliqua salutem, aliqua perniciem ostendunt. Passionis significatiua sunt, quæ vnà cum morbo inuadunt. Quæ verò assident, aliquando simul inuadunt, aliquando superueniunt, nonnunquam verò ne omnino quidem veniunt. Neque enim sunt à morbo inseparabilia, neque eius substantiam constituunt, sed proprias faciunt differentias. Quæ verò ab Hippocrate decernentia siue iudicantia vocantur,

† ἀκριβὲς τῆς θεωρίας *certum omnino tempus.*

† τὰ ἐπιφανόμενα, *id est*, τὰ ἐπιγινόμενα, *quæ cõsequuntur, & superueniunt.*

*ἐπιγινόμενα.

* ἐπιφαινόμενα.

cantur, ſymptomata: cum primo † exquiſitè morborum principio non ſunt apta naturâ inuadere. cum duobus aliis autem apta naturâ ſunt: de quibus paulò poſtea dicemus. Aliquando verò ne in his quidem, ſed cùm morbi augentur; aut iam conſiſtunt, apparent. Signa verò coctionis, ne ipſa quidem inuadunt vnquam in primo ſtatim morbi principio: terminant autem illud principium quod eſt pars totius morbi. Signa verò cruditatis, cum primo morbi principio ſtatim inuadunt: & nonnunquam poſteriùs apparent, ſicuti & mortis ſigna. Nam & horum generatio, morbi principium ſubſequitur. Morbi autem principium intelligi volumus, (vt in commentariis de Criſibus manifeſtauimus) tum primum eius inſultum, nullam habens latitudinem: tum id quod eſt ſicuti pars totius morbi, quando in principium diuiditur, augmentum, & tempus conſiſtendi, & declinationem, tum quod vſque ad tertium extenditur, diem. Sed & in eadem tractatione docuimus omnium dictorum caſuum poteſtates, & ſimul quæ expoſitione indigere videbantur, verba Hippocratis ad hoc pertinentia expoſuimus. Sed & nunc per modum compendij de ipſis à nobis dicetur. Qui verò

† *omnino.*

verò voluerit totam Hippocratis artem circa ista perdiscere, ad illam vadat tractationem. Ex apparentibus igitur totam iubet morbi constitutionem coniectari: deinde quandã morbi speciem in medium adducẽs, ita inquit: *Veluti in laterali morbo, si circa initia statim sputũ appareat, morbum inchoantem breuiat: si verò postea appareat, producit.* Quod autem scribit, possis discere manifestè, si tibi apposuerim ex tertio libro Epidemiorũ, quæ ipse de Anaxione scribit, morbum lateralem patiẽte: quem etiam ægrotum ego in primo libro de Crisibus, mea expositione patefeci. Verba autem Hippocratis hęc sunt: In Abderis Anaxiona, qui iuxta portas Thracias habitabat, febris acuta inuasit, lateris dextri dolor continuus, tussis sicca: neque primis diebus expuebat aliquid: sitibũdus, peruigil: vrinæ bene coloratæ, multæ, tenues. Sexto die delirauit: neque à calore quicquam relaxabatur. Septimo die magis laborabat, quia febris intendebatur, neq; dolores minuebãtur, & tusses infestabant, & difficulter spirabat. Octauo venam in cubito secui, sanguis plurimus fluxit, & qualem oportuit, dolores aliqua ex parte cessarunt, verùm tusses siccæ subsequebantur. Vndecimo die febres decreuerunt: parum circa caput sudauit: tusses,

&

& quæ à pulmone efferebantur, erant humida. Die decimoseptimo cœpit paucum quid coctum expuere. Vigesimo die sudauit; & desiit febricitare: Post crisin leuatus est, sed siti premebatur, & quæ ex pulmone expurgabantur, non erant bona. Vigesimoseptimo die febris rediit, tussiit, multa concocta educebat: vrinis inerat plurimum sedimen album, sitis cessauit, & bene spirabat. Trigesimo quarto die sudauit totus, & post crisin omnino ex febre conualuit. Hic igitur Anaxion ab initio morbum lateralem patiebatur, non tamen ab initio expuebat, sed & octauo die adhuc tusses siccæ subsequebantur, vt inquit Hippocr. Quare rationabiliter totius morbi solutio ad trigesimum quartum diem extenta est, cùm tamen magna ex parte lateralis morbus terminum suæ iudicationis habeat quartumdecimum: & si non hunc, saltèm omnino vigesimum. Quòd si ante tertium diem expuisset, circa septimum, vel nonum, vel omnino vndecimum diem iudicatio esset subsequuta: & si in ipso die tertio spuere cœpisset, quartũdecimum diem non transcendisset Hoc enim accidit in omnibus inflammationibus, quæ non teguntur operculo densiore, vt in iis quæ exteriorem occupant cutem, quandam † saniem resudare,

† ἰχῶρα.

dare,

dare,ab initio quidem tenuem,posteà verò,si coctionem accipiant,& ad melius proficiant crassiorem : & ex hac ipsa crassiore aliquam esse magis concoctam, aliquam verò minùs. Hoc idem in omnibus inflammationibus, quæ vel os, vel oculos infestant, licet intueri, nec minùs in quacunque alia corporis parte, quando pars aliqua interior, simul cum cutis totius diuisione, patitur inflammationem. Nam ex huiuscemodi vlceribus sanies profluit talis, qualem ego dixi. Quando igitur aliqua fuerit inflammatio cum tanta meatuum constrictione, vt nihil extrà effundatur, necesse est illam esse & coctu difficilem, & longo tempore perdurare. Hac igitur ratione & in morbo laterali (qui & ipse est ex genere inflammationum) attendere oportet signa coctionis. Nam crudissimus morbus est, in quo nihil omnino expuitur: secundum ordinem obtinet ille, in quo sanies tenuis est : tertium in quo crassior : & quartum, in quo perfectam habet coctionem. Verùm si hæc circa tertium, vel quartum diem apparuerit, non contingit morbum transcendere septimum diem. In aliis verò singulis necesse est,vt pro coctionis modo, mensura temporis consequatur. Sicuti igitur sputum perfectæ coctionis

ctionis signum est, quando album fuerit, & læue, & æquale,& consistentiâ neque nimis humidum, neque nimis crassum: * eodem modo summa cruditas significatur, cùm nihil omnino expuitur. Quòd si expuatur quidem, sed tenue adhuc fuerit, debilis coctionis est signum. Quod si impermistum fuerit, vel flauum, vel ruffum, haudquaquam bonum. Quod si liuidum fuerit, aut ærugini simile, aut nigrum, perniciosissimum existit. Cùm itaque à nobis distincta sint signa coctionis & cruditatis,& præter ea tertium genus exitialium: illud scire oportet, quòd signa coctionis quidem semper sunt bona, vt quæ morbi solutionem haud ita multo post futuram ostendant: sicuti & genus signorum exitialium, mortem ægri citam fore prænunciat. At verò signa cruditatis diutinum quidem ex necessitate morbum significant: sed quantum in ipsis est, neque moriturum, neque euasurum è morbo hominem ostendunt. Tibi verò priùs ratiocinanti & ægroti vires expendenti, etiam ex his illa licet præcognoscere. Aliud porrò est signorum genus, quæ crisima, id est, iudicatoria ab ipso nominantur: sunt autem hæc, sudores, sanguinis fluxus, & rigores, multum alui profluuium, & similis vomitus,

Vel crassa, nam crassities etiã cruditatem significat. Hippocr. in coacis pran. in medio.

dolor capitis repentè inuadens, difficultas ſpirandi præter rationem & vehemens, vel cordis morſus, hypochondria citra dolorem extenta, vigiliæ plurimæ, delirium, & nox abſque ratione moleſta, & acceſſio anticipans,& lachrymæ inuoluntariæ nihil patientibus oculis,neq; ex triſtitia prouenientes,rubor faciei,& labrum inferius agitatum, lucida vel obſcura & tenebroſa quædam ante oculos obuerſantia, & hallucinationes quædam,malæ,vel nares repentè rubeſcētes, parotides, aut omnino abſceſsûs alicuius in articulum decumbentis generatio.Hæc igitur omnia,& præter hæc alia multa huiuſcemodi ſecundum propriam eorum ſubſtantiam ſymptomata nominata;quatenus verò ſubitam mutationem oſtendunt, ſigna criſima,id eſt,iudicatoria appellata, duplicem tibi præſtabunt præcognitionem. Siquidem morbo iam cocto ſuperuenerint,futuram ſtatim ſanitatem denunciant.Si verò crudo adhuc morbo,iudicationem non bonam, quæ ſcilicet aut ad perniciem agat,aut in longum tempus morbum producat. Quòd verò alia ſit natura horum ſignorum, quæ criſima, id eſt,iudicatoria nominantur,alia verò eorum, quæ coctionem ſignificant,hinc diſcere poſſis:quòd in *primo lib. Epidem.* inquit Hippocrates:

crates: *Coctiones, indicationis celeritatem, ac securitatem salutis significant. Cruda verò & incocta, & quæ in abscessus malos conuertuntur, indicationum carentiam, dolores, vel diuturnitatem, vel mortes, vel recidiuas ostẽdunt.* Sic quidem in vniuersum collaudauit morbi coctionem. In *libro* autem qui *Prognostica* inscribitur, particulatim in hunc modum, simul docens ipsius indicia: *Vrina autem optima est, quãdo sedimentum album, læue & æquale fuerit in tempus omne donec morbus terminetur.* Significat enim salutis securitatem & morbum pauco tempore duraturum. Sic rursus laudauit vrinam monstrantem coctionem in venoso genere. Rursus autem cùm dicit, *alui excrementum optimum* esse, *quod molle & consistens, & horâ excretum quâ solet cùm sanitas adest*, indicia coctionum ventris simul collaudat & docet. Sic & eam quę fit in membris respirationi seruientibus coctionem simul collaudans ac docens, in hunc modum scribit: *Sputum oportet in omnibus doloribus qui pulmonem & costas infestant, celeriter ac facilè expui, flauitiémque fortiter sputo commistam apparere.* Coctionis igitur signa semper bona sunt, indicationis verò signa non semper. Sic ergo inquit: *Si signa crisima, id est indicatoria, non indicant, aliqua mortem, aliqua diffi-*

cilem iudicationem portendunt Et quidem cùm ait: quæ ad melius iudicant, non confestim apparere : per hæc verba eandem profert sententiam. Nam coctionis signa quocunque tempore apparent, bona sunt: semper enim eorum vniuersum genus, bonum existit. Non ergo repugnat illud quod nunc dictum est, in morbo laterali sputum statim apparere: illi alteri quo dicitur, signa iudicantia ad melius non statim apparere. Nam signa iudicatoria nonnunquam mala fiunt : signum verò coctionis nullum vnquam prauum fuit, sed omnia optima semper, & tantò citiùs ægrum sanitatem recuperaturum ostendunt, quanto citiùs apparuerint. Hæc dixisse sufficiat per modum compendij, quantum ad præsentem attinet locum. Totam verò de istis antiqui Magistri sententiam, in *libro de Crisibus* exposuimus. Vt verò ex me sermo, quem nuper dixi secundum diuisionem, perfectus habeatur: quomodo à dictis differant & quæ passionis significatiua, & quæ assidentia dicuntur signa, iam volo transigere, vnam in medio adducens pro exemplo passionem, hanc ipsam videlicet quam Hippocrates nominauit. In morbo igitur laterali, acuta quidem febris, vnà cum spirandi difficultate, & tussi, & do-
lore

lore lateris pungenti simili, signa passionis significatiua nominantur. Quòd autem dolor aut ad hypochondria, aut ad clauim perueniat, assidentia dicuntur: sicuti quod faciliùs in latus patiens, quàm in alterum decumbat æger, ad idem genus assidentium attinet. Scripta autem sunt à Praxagora Nicandri filio, duo volumina de assidentibus signis: de iis autem quæ superueniunt, alterum: ac si de mox apparentibus inscriberetur. Hæc igitur mox apparentia, inquit Hippocrates, & bonam morbi iudicationem, & malam: morbúmque vel longum, vel breuem futurum ostendere. Meminit autem non solùm sputorum, sed & vrinarum, & excrementorum alui, & sudorum: ea scilicet quæ sunt in libro prognostico scripta, nobis exemplo subiiciens, quæ ad hunc locum transferre foret superuacuum. Nam de his in libro de Crisibus diximus, & in commentariis in prognostica: in quibus adhuc magis Magistri antiqui sententiam explanauimus.

XIII.

Γέροντες εὐφορώτατα νηστείην φέρουσι, δεύτερον οἱ καθεστηκότες, ἥκιστα μειράκια, πάντων δὲ μάλιστα παιδία, τουτέων δὲ αὐτέων ἅπερ ἂν τύχῃ αὐτὰ ἑωυτῶν προθυμότερα ἐόντα.

Senes facillimè ieiunium ferunt, secundo loco, qui ætatem consistentem habent, minus adolescentes, omnium minimè pueri, præsertim qui inter ipsos sunt viuidiores.

Differentia etiam ætatum confert aliquid ad capiendam victûs rationem. Senes siquidem facilè ferunt inediã, pueri verò difficulter. Est autem facilitas in non appetendo, & nihil inde mali sustinendo. Difficultas autem ex contrariis oritur. Etenim pueri magis appetunt, & plus offenduntur in longis inediis. Mediæ verò ætates inter senes & pueros, quantò alteris ipsorum proximiores existũt, tantò minus aut magis molestantur atque offenduntur ex longis inediis. Huius autem aphorismi causam ipse in sequenti docet, qui ita incipit: *Quæ augentur corpora plurimum caloris innati habent.* Ita vt si quis velit ipsum priori adiungere, & cum *enim* coniunctione proferre, tunc sermo vnus fieret, simul & manifestus, in hunc modum se habens: *Senes facillimè ieiunium ferunt: secundo loco qui ætatem consistentem habent, minùs adolescentes, minimè omnium verò pueri. Quæ enim augentur corpora, plurimum caloris innati habent.* Appellat autem ætatem habentes consistentem, eos proculdubio, qui mediam ætatem habent inter iuuenes ac senes; ita

vt

vt ab ætate vigente quidem recedant, non-dum tamen ſenſum habeant vllum ſenectæ manifeſtum. Sic autem & Thucydides ap-pellat eos, qui ſunt in ætate conſiſtente. Verùm inter hanc ætatem & adoleſcentiam, altera quædam eſt, quæ ſicuti medium æta-tum obtinet ordinem, ita etiam facilitatis & difficultatis: ita vt neque ita facilè fer-re inediam poſſit, ſicuti qui in ætate ſunt conſiſtente, atque ſenili; neque difficulter, ſicuti adoleſcentes & pueri. Eius tamen non meminit Hippocrates: vt quam poſſit vnuſ-quiſque ex illis quas dixit, intelligere. Nam cùm inquit. *Præſertim qui ſunt inter ipſos viuidiores*, naturarum differentias manife-ſtat. Qui enim pueri calorem innatum † plu-rimum habẽt, promptiores ſunt ad cibos aſ-ſumendos, & ipſos magis poſſunt conco-quere: & ſi non aſſumpſerint, plus offendun-tur. Talis quidem eſt ſermo Hipp. Cæterùm indiget adhuc quadam paruâ additione ad perfectionem. De iis quidem qui ſunt in principio ſenilis ætatis, rectè dictum eſt: *Se-nes facillimè ieiunium ferunt*. De iis verò qui ad extremam peruenerunt ſenectutem, non rectè: quia neque hi poſſunt tolerare lon-gas inedias. Vel igitur addere oportet apho-riſmo breue aliquid, & hoc modo ipſum

† *Alibi legitur*, τὸ ἔμφυτον ἰσχυρότερον ἔχει πολὺ, *id eſt, qui calorem natiuum validiorem admodũ habent.*

pronunciare: *Senes facillimè ieiunium ferunt, præter eos qui ad extremam senectam peruenerunt: secundo loco, qui ætatem consistentem habent.* Vel verbum, ieiunium, in paucos cibos transponendum, atque ita dicendum: *Senes ciborum faciliùs tolerant paucitatem: secundo loco, qui ætatem consistentem habent.* Nam & qui ad extremam senectam attingunt, inuenientur, etsi non possint longam inediam tolerare, paucis tamen cibis indigere. Tale enim quid patiuntur, quale lucernis penè extinctis accidit: quæ continuam exigunt olei suffectionem, multam autem, & cumulatam nequeunt sustinere. Sic & in his exhibere oportet paucum in vniuersum, & illud paucum in multas partiri portiones: neque vna illis longa inedia est iniungenda.

XIV.

ΤΑ᾽ αὐξανόμενα, πλεῖστον ἔχει τὸ ἔμφυτον θερμόν. πλείστης οὖν δεῖται τροφῆς. εἰ δὲ μή, τὸ σῶμα ἀναλίσκεται. Γέρουσι δὲ ὀλίγον τὸ θερμόν. διὰ τοῦτο ἄρα ὀλίγων ὑπεκκαυμάτων δέονται· ὑπὸ πολλῶν γὰρ ἀποσβέννυνται. διὰ τοῦτο καὶ οἱ πυρετοὶ τοῖσι γέρουσιν οὐχ ὁμοίως ὀξέες. ψυχρὸν γὰρ τὸ σῶμα.

Qui crescunt plurimum habent calidi innati: plurimo igitur egent alimento: alioqui corpus absumitur. Senibus verò parum calidi innati

innati ineſt, paucis propterea fomitibus egent, quia à multis extinguuntur. Hanc etiam ob cauſam febres ſenibus non ſimiliter acutæ fiunt: frigidum enim eorum eſt corpus.

Dictum eſt à nobis pleniùs etiam in *commentariis de temperaturis*, quomodo nonnullis Medicis viſum eſt eos, qui in iuuentæ vigore conſiſtunt, nonnullis verò pueros eſſe calidiores. Habent enim illi quidem calorem acutiorem, hi verò abundantiorem. Nunc verò etiam neceſſarium eſt dicere, quantum ad præſentem locum conducit, ſermones longos, quoad fieri poteſt, † in pauca coniicientes. Hoc igitur verbum calidum, aliquando transferimus ad qualitatem, cuius proprium nomen eſt caliditas: aliquando verò denominatiuè totum corpus dicimus calidum, à qualitate: cuius modi loquendi, vel plurimus in omni vita vſus eſt: qui etiam fuit apud antiquos, veluti Theophraſtus oſtendit in eo libro qui *de calido & frigido* inſcribitur. Nam quum ſubſtantia corporea contrarias qualitates, caliditatem, frigiditatem, humiditatem, ſiccitatem viciſſim recipiat: ſecundum ſubſtantiam quidem recipientem cùm corpus calidum nominamus, multum vel paucum dicimus eſſe calidum, ad quantitatem ſubſtantiæ referentes.

† *Antiqui cod. habent, ἐν ὀλίγοις λέξεσι, id eſt, paucis verbis longos ſermones complectentes.*

ferentes. Et hoc dupliciter facimus, vno quidem modo in substantiis impermistis, alio autem in mistis. In impermistis quidem, veluti si duo haberent aquam æqualiter calidam in duobus inæqualibus labris contentam: alterum diceremus plus habere calidi, qui maius labrum possideret: alterum verò minus. In mistis verò, veluti si essent æqualia labra, sed inæquali mensura ex vino & aqua temperata: alterum ipsorum plus vini continere, alterum verò plus aquæ diceremus. Cui modo etiam ille esset persimilis, si duo labra inæqualia supponeremus æquâ proportione temperari. Nonnunquã verò non ad substantiæ multitudinem sermonem referentes, sed ad qualitatem solam, illi quidem dicimus plus calidi inesse, huic verò minus: sicuti si ex duobus labris parem habentibus ad vnguem magnitudinẽ, alterum quidem calidius, plus habere calidi diceremus: frigidius verò, minus: non tamen propriè verbo *plus* vtentes in hoc loco: cùm melius sit, vel magis, vel minus, vel vehementius, atque debilius, & similia vocabula, qualitatibus accommodare: Paucum autem & multum, in sola substantiæ quantitate seruare. Verùm non in hoc tantum huiusmodi fiunt nominum abusiones, sed in pluribus aliis, quæ per vitam sermone

vsurpa

vſurpamus,quod maximè fit in ipſa arte Medicinali. Omnes ſiquidem morbos, magnos aut paruos nominant , quamuis ſubſtantiæ non ſint : febrem magnam, febrem paruam: apoplexiam magnam, apoplexiam paruã: ſic & pleuritidem , phrenitidem , peripneumoniam,& omnes itidẽ alios morbos.Aduertere igitur oportet æquiuocationes,& conſiderare quid ſibi velit ſemper vnaquæque dictio dicentis.Si enim in altero ſignificato nomen protulerit, nos verò in alio accipientes, ſermonem redarguimus:non illum qui protulit (ſi verum fateri velimus)ſed noſtram potiùs exiſtimationem redarguimus.Quod nõnulli videlicet agunt hoc loco,qui Hippocrati ſtudent contradicere.Nam ad qualitatẽ,nomen calidi transferentes,conãtur oſtendere hanc eſſe vehementiorem iis,qui in ætatis vigore conſiſtunt.Verùm Hippocrates non ad hanc ſcilicet qualitatem , ſed ad ſubſtantiam in præſenti ſermone refert id nomen.Nam ſubſtantia innati caloris aërea eſt & aquea,ſicuti ex ſemine licet conijectare , quod paucam omnino terrenam ſubſtantiam participat, plurimum autem aëris calidi humidíque in ſeipſo continet,quemadmodum in *commentariis noſtris de ſemine* , oſtendimus. Quinetiam alterum noſtræ generationis principium,

pium, ſanguis menſtruus videlicet, humidum naturâ eſt. Cùm igitur magis terreſtre efficitur animalis corpus (tale autem quotidie efficitur, dum augetur) tunc licèt valdè vehementer calidum exiſtat & igneum, ſubſtantiam tamen innati caloris pauciſſimam habet: alioqui febricitantes diceremus plurimum habere calorem innatum: cui non modò plus, ſed ne priori quidem habent æqualem. Bene enim temperata eſt caloris innati ſubſtantia, ignea autem aduentitij. Quinetiam, fumoſi quidem, fuliginoſi, aridi & acres per totum corpus noſtrum effluxus, calorem acquiſititium conſequuntur: halituoſi verò, ſuaues ad temperati, natiuum. Et tu hæc potes tactu diſcernere. Nam ſanorum calor vaporoſus eſt atque ſuauis, & tactu conueniens, nihil triſte, nihil aſperum, nihil mordax præ ſe ferens. Eorum verò qui febricitant, & præcipuè hecticas febres, aut eas quæ ex putredine humorum ortum habent, patiuntur, acris eſt & inſuauis, ac mordax, & noſtrum corrodens tactum. Salubris verò eius qualitas in pueris exquiſita habetur: ſicuti plurimos eorum, qui in ætatis vigore conſiſtunt, inuenire contingit calorem habentes iam mordacem, & non ampliùs humidum ac vaporoſum,

porosum, neque aëreum. Neque mirum hoc videri debet. Oportet enim similem esse defluxum subiectæ substantiæ: vt quando humida atque aërea substantia existit, tunc quod ab ea defluit, vaporosum est atque suaue: cùm verò terrestris atque arida, tunc etiam quod effluit, fuliginosum est & acre: quod & in exterioribus euenit. Nam quæ ex aqua dulci & calida euaporant, bona sunt & vaporosa: quæ verò ex aliquo corpore solido exusto, fumea sunt & acria. Cùm igitur duæ substantiæ sint, & illa quidem suauem habeat caliditatem, hæc verò tristem: alteram quidem plurimam habent pueri, alteram verò ij, qui in ætatis vigore consistunt: vt ad totius videlicet corporis proportionem. Vt autem sermo sit naturalior, totum ad elementa transferens, in hunc modum transigam: Cùm quatuor sint elementa, ex quibus omnia corpora sunt temperata: puerile quidem corpus, multum in seipso continet aëreæ atque aquosæ substantiæ, minimum terrestris. Contrà verò eorum, qui in ætatis vigore consistunt, à terrestri siccitate obtinetur: deficit autem aquosa atque aërea substantia, adeò vt si quartum in vtrisque elementum, ignem scilicet pari portione posuerimus, atque æqualiter calida corpora

corpora esse voluerimus: non tamen similem substantiam calidam in ipsis esse dixerimus, cùm puerorum quidem substantia humida sit: eorum verò, qui in ætatis vigore consistunt, sicca. Humida siquidem est maximè innati caloris affinis, quia ex humido nostra est generatio: sicca verò aduentitij caloris est propria. Sic igitur infantes recenter quidem nati, substantiam calidam aquosam & aëream plurimam participantes, plurimum dicerentur habere calorem innatum. Qui verò ætate vigent,& qui iam declinant, quantum istæ quidem deficiunt, terrestris verò superabundat,tantum habere minorem substantiam natiui caloris & ipsi putarentur. Quòd verò ex aquosa & aërea substantia plus defluere sit necessarium, quàm terrestri, etiamsi ambæ sint æqualiter calidæ secundum qualitatem, neminem arbitror dubitare. Hoc tibi etiam in exterioribus liquidò licet intueri. Nam ex corporibus quæ ad similem perueniunt caliditatem non æqua portio videtur defluere,sed ex siccis quidem minimum, ex humidis verò plurimum. Vtpote,aquâ quidem & oleo mediocriter calefactis, plurimum defluit atque dissoluitur: ex ferro verò,& ære, atque lapidibus minimum: adeò vt si tibi libuerit

libuerit exponere ad ſolem ardentiſſimum aquam (ſi ita contigerit) & ferrum pari pondere: deinde, tranſacto die ambo perpendere: aquam quidem inuenies multò ſeipsâ minorem effectam, ferrum verò æquale. Sic etiam ſi velis oleum æri, & ferro, & lapidi comparare, illud quidem abſumptum inuenies: hæc verò æqualem ſubſtantiæ molem retinere. Hinc verò ad ceram, & picem, bituménque & reſinam tranſcendens, & quæcunque alia plurimam ſubſtantiam humidam obtinent, videbis hæc quoque ſub ſole calente multò magis abſumi atque defluere, quàm lapidem, æs, & ferrum, & alia admodum ſicca. Quare ſi neceſſarium eſt alimentum, vt quod effluxit ex corpore, ſuppleatur: ex humidioribus verò, & plus aëris participantibus, multo plus effluit: fit neceſſariò vt huiuſmodi corpora pluri egeant alimento. Puerorum verò corpus tale exiſtit, plus humidæ & aëreæ ſubſtantiæ obtinens: non ſicuti iuuenum & declinantium ac ſenum, ſiccæ atque terreſtris. Hippocrates igitur cùm hoc in libro propoſuiſſet compendioſam atque aphoriſticam doctrinam facere: non ita ſermonem ampliauit, quemadmodũ ego nunc, ſed loco illorum verborum: Quæ augentur corpora,

corpora, etsi æqualem habeant substantiam calidam atque igneam cum iis, qui in ætatis vigore consistunt, aquosæ tamen atque aëreæ substantiæ, plus habent: *Quæ augentur*, dixit, *plurimum habent innatum calorem*, simul memoriæ nobis subiiciens ipsorum substantiam, & simul etiam propositum suum demonstrans. Quia enim humidam & calidam habent substantiam quæ augentur, idcirco plurimum ab ipsis defluere est necessarium, plurimóque egere alimento: alioqui corpus inquit absumi: & rectè. Vbi enim id quod defluit, plurimum est; quod verò influit, paucum: hic necesse est subiectam corrumpi substantiam. Senibus verò paucum inest calidum, secundùm vtrumque appellationis significatum, siue quis ad qualitatem sermonem referat, siue ad substantiam. Nam & qualitas debilis, & substantia minima est, siquidem eorum meminimus, quæ suprà diximus. Ob hoc igitur, inquit, paucis fomentis indigent.

ὑπεκ-καύμα-τα.

Nam † *fomenta*, alimenta nominauit, suo & aliorum nobilissimorum Philosophorum dogmati consentaneè, qui eorum, quæ animalia constituunt, elementorum, calidum maxime vitæ esse causam existimarunt. Sicuti enim lucernarum flammæ, quarum tamen oleum est alimentum,

mentum, si quis id totum simul superinfundat, extinguuntur potius quàm nutriantur: eodem modo & in senibus calidum, sui fomentum quidem habet alimenta: si verò multis & confertis cumuletur, ac quodammodo stranguletur, periculũ est, ne extinguatur: sicuti etiamsi paruæ scintillę ignis, lignorum multitudinẽ superacerues. Quod autem subinfertur, *Et propterea febres senibus non similiter acutæ sunt*: signum est † & hoc ipsum quòd corpora senum frigida sunt, & quòd ob innati caloris maximè conuersionem ad igneam naturam, accenditur febris. Verùm tantam euenire senibus conuersionem, vt æqua sit ei quæ iunioribus accidit, vix fieri potest. Multum enim calidum promptè in immensum attollitur, paucum verò non facilè, sed maximam exigit causam quæ cogat ad hoc. Ob hanc igitur causam neque senes magna ex parte febricitant acutas febres, sicuti iuniores, & si quando rarenter talis his accidit febris qualis iuuenibus, omnino hæc ad interitum ægrotantis terminatur. Indicio enim est, immensam quandam esse causæ febrem facientis magnitudinem. Hæc sufficere possunt iis, qui secundum naturam se habent, ad intellectionem, & fidem eorum quæ scripsit Hippoc. Ad eos verò qui

† *Alibi pro* ὅτι *legitur* ὅπως *vt dicamus & hoc reuerà esse signum.*

2. aph. 34.

per calumniam Hippoc. reprehenderunt, è quorum numero vnus fuit Lycus, nos vnum integrum volumen ſcripſimus, aduerſus ea quæ contra aphoriſmum perperam obiiciuntur. Huic autem talem titulum fecimus: *Ad Lycum, quòd nihil erratum ſit in aphoriſmo cui principium, Quæ augentur plurimum habent innatum calorem.* Datus autem eſt mihi Lyci liber poſt ſcriptos à me hoſce commentarios: vnde ego poſtmodum his hæc verba ſubiunxi: quæ non ſunt in iis quæ priùs edideram. Seorſum autem in alio volumine defendi Hippoc. in iis in quibus fuerat à Lyco reprehenſus.

XV.

Αἱ κοιλίαι χειμῶνος καὶ ἦρος θερμόταται φύσει, καὶ ὕπνοι μακρότατοι. ἐν ταύτῃσιν οὖν τῇσιν ὥρῃσι καὶ τὰ προσάρματα πλείω δοτέον. καὶ γὰρ τὸ ἔμφυτον θερμὸν πλέον ἔχουσι. Τροφῆς οὖν πλείονος δέονται σημεῖον, αἱ ἡλικίαι, καὶ οἱ ἀτλῆται.

Ventres hyeme & vere naturâ calidiſſimi ſunt, & ſomni longiſſimi: quare per ea tempora alimenta copioſiora ſunt exhibenda. Etenim tunc calor innatus, plurimus eſt: vnde & pluribus egent alimentis: indicio ſunt ætates, & athletæ.

Non parum etiam tempora anni conducunt

cunt ad victûs rationem inueniendam. Nam hyberno tempore plus appetunt homines, & cibum faciliùs concoquunt : contrà in æstate : cuius rei causam ipse Hippocr. reddidit, inquiens, ventres hyeme & vere calidissimos esse. Quid autem sit quod naturâ dixerit, & quod non frustrà id verbum adiecerit in hoc aphorismo, ipse paulò pòst explanauit inquiens: *Etenim tũc calor innatus, multus: plurimo igitur indiget alimento.* Ventres itaque hyeme & verè calidissimi sunt, non simpliciter, sed calido naturali calidissimi: cuius substantiam anteà ostẽdi. Causam verò ob quam hic idem calor hyeme augeatur, etiã Aristoteles dixit. Refugit enim propter circumstãtem extrinsecùs frigiditatẽ: sicuti rursus æstate ad sibi cognatũ protenditur. Atq; ita contingit digeri quidem ac dissipari eius substãtiam tempore æstiuo: contineri ac cohiberi, & in profundum secedere hyemali. Ob hoc igitur & coctiones, & sãguificationes, & nutritiones, hisce tẽporibus sunt meliores. Addidit autem & aliud ipsis contingens, quòd videlicet somni longissimi fiunt: ob noctium videlicet longitudinẽ: quòd & ipsum non parum confert ad naturæ opera. Quod verò in fine adiicitur, *Indicio sunt ætates & athletæ:* pro augmento sufficiente ponitur, quòd plu-

rimum alimentum ſit neceſſarium, vbi calidum ſuperabundat. Pueri ſiquidem quia calidum plurimum habent, idcirco & pluribus indigent, & plura concoquunt. Athletæ verò quia exercitiis augent calorem natiuum, ob id multis frui poſſunt alimentis. Quæ igitur per aphoriſmum dicuntur, ſufficienter expoſuimus. Si quis verò de ipſis veritatem diligentiùs examinet: non ad omnia animalia ſermonẽ extendat, ſed ea excipiat quæ in latibulis degunt. Hęc enim cùm ſe recondunt, non egent plurimo alimento: vtpote quæ vel ſine cibo poſſunt perdurare. Et ſi ſuppoſuerimus ea tanto vti cibo, quanto antequam reconderentur: malè ipſum cõcoquerent. Quod enim hominibus contingit aquâ frigidâ lotis, id etiam animalibus accidit hyeme. Contingit autẽ hominibus qui aquâ frigidâ perluuntur, ſi debile corpus habuerint, refrigerari atq; offendi. Si verò robuſtũ, primùm quidem innatum calorẽ ad interiora refugere, & ſeipſum colligere, poſtea verò ad exteriora remeantem, multò quàm prius erat, fieri fortiorem. Sic & animalium quæcunque ſunt naturâ frigidiora, iis calor innatus à frigore hybernô ſuperatur, adeò vt ferè extinguatur: quare plurima ipſorũ, ſimilia mortuis apparent, cùm ſine ſenſu ac motu in latibulis iacent;

cent:quædam verò omnino in hoc ipſo affe-
ctu moriuntur. Quæ autem plurimo ſangui-
ne abundant atque calore , tale quid hyeme
patiuntur, quale accidit corporibus fortibus
aquâ frigidâ lotis.Nam calor eorum ad inte-
riora ſe colligit,non(per Iouem)carnibus ad
hæc,primâ ſede derelictâ, refugientibus , ſed
ſpiritu vnà cum ſanguine.Tria autẽ hæc erãt
corpora,quæ primæ noſtræ naturę ſubſtantiã
compleuerunt,ſpiritus,ſanguis,&† aërea hu-
miditas,ex qua in primo quidem ortu,veluti
in *libris de ſemine* diximus, fiunt partes ani-
malis ſolidiores,mox verò augmentũ & nu-
tritio in iſtis perficitur. Quòd igitur meliùs
hyeme cibum concoquimus,ſanguine ac ſpi-
ritu ad profunda corporis retrocedentibus,
vnicuique eſt manifeſtum.Non modò igitur
hoc ipſum dicit Hippocr. ſed quòd plura ac-
cipere confert.Hiſce enim tẽporibus,inquit,
hoc eſt hyeme & vere plures cibi dandi ſunt.
Atqui ſiquidem parum defuit ac difflatur hy-
berno tempore ad exteriora , plurimum ali-
mentum non eſt corporibus neceſſarium,ſi-
quidem nutritio eſt eius,quod euacuatur,re-
pletio.Oportet igitur alimẽti quantitatẽ eſſe
eius quod difflatur quãtitati proportionalẽ.
Verum igitur eſſe, quod quidam hyeme non
modò melius concoquunt cibum, ſed etiam

† *In aliquibus legitur* θρώδης *ὑγρότης, id eſt, ſeminalis humiditas: fortè rectiùs , in aliis* ἀερώδης, *id eſt , aërea : non* ὀρρώδης, *vt in impreſſ.*

quòd pauca assumentes refrigerantur,atque ideo offendũtur: si verò plura assumpserint, in nullos plethoricos incidunt morbos: ipse euẽtus ostẽdit manifestè:causæ verò inquisitio:in cõmune proponatũr.Neq; enim adeò Hippocratem , quantum omnes alios,huiusmodi inquisitio oppugnat. Nemo itaque est qui non cõsentiat difflari corpora animaliũ, eâ,quę fit per sensui occulta foramina,difflatione.Idcirco enim ad hoc deueniũt vt egeãt alimento,quoniã euacuantur.Quod si nihil à corporibus nostris efflueret,sed semper ęqua moles substantiæ seruaretur: nulla foret alimenti necessitas.Tu verò animaduerte,quod si hac in parte aliis quidem ,omnibus ratio est inexplicabilis,soli Hippocrati atque eius sectatoribus est explicabilis. Neque enim aliud quicquã animal ab initio efformauit, sicuti neque rursus adauxit,aut vsq; ad mortem enutriuit , prætérquã iste calor innatus, de quo nunc habetur sermo. Hic enim est omniũ operum naturalium causa.Quia verò plurimus est hyberno tẽpore,idcirco cibi appetentiam intendit,coctiones auget, & plus sanguinis cumulat, & crassius efficit corpus, & vt superfluitates excernãtur prouidẽtiam habet. At calor circumfusus non modò superfluitates , sed omnia euacuat æqualiter: materiam

materiam inutilem, & ea etiam quæ in corpore secundum naturam continentur, vnà digerẽs, per eam, quæ à Medicis occulta difflatio nominatur, quam calor innatus operatur. Neque enim aliud quicquam est natura animalium pręter hoc calidum, secundum Hippocratis opinionem. Ostensa autem à nobis est in *commentariis de viribus naturalibus*, non solùm appetens atque conficiens agglutinãsque singulis partibus propriũ alimentum natura: sed & huius digerens superfluitates. Et quantò fortius extiterit calidum innatũ, tantò magis difflatio effugit sensum. Et ob hanc causam Diocles inquit sudores esse pręter naturã: quoniã in omnibus quę ad corpus attinẽt, rectè administratis, & alimẽto à natura subacto, nũquã sensibilis humor per cutem excerneretur. Quæcunq; enim in balneis, vel vehemẽtibus exercitiis, vel propter æstiuum calorem exudant homines, ex causis violentis originem habent. Bene igitur omnia tẽpore hyberno in corpore animalis administrãtur, quãdo videlicet hyems mediocritatem seruauerit. Nam immoderatas intemperaturas, ipse quoq; Hippoc. in sequentibus dãnat. Quòd autẽ omnia bene hyberno tempore in corpore animalis administrentur, indicio nõ paruo sunt naturæ opera

 fortio

fortiora. Nam cibi in vẽtriculo bene concoquũtur, quoniã calor innatus plurimus est: & somnis lõgioribus superfluitates expurgantur: quæ quidẽ omnino extenuantur per cutem: quæ verò in vapores conuertuntur, per expirationẽ: quæ rursus multã habent crassitudinem, per vrinas. In his enim plus est sedimẽti, quàm per æstatẽ: præter id quòd etiã tota vrinarũ multitudo hyeme multũ augetur. Quinetiã nutriuntur quidem & carne replẽtur, & secundum carnẽ augentur corpora hyeme magis, & plus boni sanguinis cumulant, nisi malo omnino vtantur victu. Nam si consideraueris, quòd corpora nostra paucum habentia sanguinẽ autumni tempore, atq; extenuata, suscipiens hyems bonis implet humoribus & crassiora efficit: hinc (vt puto) percipies nos gubernãtis robur facultatis, quæ est calor innatus. Verùm nisi hic abũdans habeat, quo fruatur, alimentũ: primus ipse à circumstãte frigore superabitur, tam ab eo qui extrinsecùs ingruit, quã ab illo qui inspirationem attrahitur: cum ipso verò & coctio ciborum debilitabitur, & boni sanguinis generatio, & partium animalis enutritio, & superfluitatum euacuatio. Si verò quantum alimẽti potest peruincere, hoc copiosè perfruetur: ipse magis augebitur, atque omnia, quæ

anteà

anteà diximus, circa corpus animalis perficiet. Verùm quòd ex plurimo alimẽto oblato, quod non solùm bene in ventriculo conficiatur, sed etiam in venis & toto animalis corpore, vnumquodq; animal seipso carnosius multò reddatur, & plus sanguine abundet: habent homines satis ipsâ experientiâ compertum, non in seipsis tantùm, sed etiam in iumentis. Nam ante æstatis initium, circa vltimã veris partem, & sibi, & illis sanguinem detrahunt: quoniam ad memoriam reuocant quibus capiantur morbis, quando repẽtè calor æstiuus superuenerit. Hic enim ampliùs sanguinem extendit atque diffundit, & quodammodo efferuere facit: adeò vt quod hactenus modicum fuerat, non possit ampliùs in venis contineri, sed vel disrumpat ipsas, vel exedat: & quando immoderatiùs impetum fecerit ad aliquam corporis partem aliis debiliorem, in ipsa vel inflammationem, vel erysipelas, vel aliquod aliud tale morbi genus operetur. Nam multò plures ac grauiores morbi quã quibus plenitudo dedit occasionẽ, ex humorũ fiunt fusione. Hæc igitur omnia aliis adstipulantur quæcunq; in præsenti aphorismo Hippocrates docuit: & hoc quoque probant, non solùm posse calorẽ per id tempus multos coquere cibos, sed etiam

multis indigere. Semper enim oportet alimenta esse innati caloris multitudini proportionalia: nisi fortè aliquando ex aëris ambientis caliditate fusio adueniens (vt dixi) cogat subtrahere. Quare cùm de vere Hippoc. sermonem fecerit indistinctum, ego distinguam. Primùm, quod ver suum habeat initium hyemi temperaturâ simile, magis quàm æstati: at finem contrà. Deinde quod nonnunquam talem habeat frigiditatem, qualem tempus hybernum: aliquando talem qualem tempus æstiuum caliditatem. In primis igitur partibus eius, & siquando frigidum fuerit, hybernæ similem rationem victûs adhibebimus: in posterioribus autem, & siquando fuerit calidius, æstiuæ similem. Quòd si mediam seruauerit temperaturam, illi temperaturæ victum proportionalem instituemus. Hæc quidem omnia de victûs ratione quam sanis oportet adhibere, dicuntur: deinceps autem de illa quæ ægrotis conuenit, sermonem faciet.

XVI.

Ὑγραὶ πᾶσαι δίαιται, τοῖσι πυρεταίνουσι ξυμφέρουσι, μάλιστα δὲ παιδίοισι καὶ τοῖσιν ἄλλοισι τοῖσιν οὕτως εἰθισμένοισι διαιτᾶσθαι.

Victus humidus febricitantibus omnibus confert, maximè verò pueris, & aliis qui tali victu vti consueuerunt.

In

In præcedentibus aphorismis de victûs quantitate doctrinam nobis tradidit : nunc verò de qualitate transigit , multa & vtilia eorum quæ artis sunt , breuissimo sermone docens.Primùm quidem qualis sit adhibendus victus febricitantibus. Deinde quòd victus salubris indicationes in iis quidem,quę præter naturam sunt , contrarias : in iis autem,quæ sunt secundum naturam,similes facere oporteat.Febri enim,quoniam calida & sicca passio est , (est enim conuersio natiuæ caliditatis ad igneã) victum humidum consulit. Humidioribus verò naturis , siue propter ætatem,siue propter cõsuetudinem,non contrariam , sed magis familiarem seruandam statuit. Oportet enim naturam eorum fouere per humida, non eodem quo morbos modo demoliri. Qui verò aquam inter cutem,cui febris adiungitur, in medium adducentes , sermonem Hippocratis student per cauillum reprehendere : quoniam hic morbus non humidum exigit victum , sed magis siccum , ignorant ij artis curatiuæ caput inprimis necessarium:quod nos vberiùs in illa tractatione transegimus : quòd vnaquæque simplex ægritudo propriâ eget curatione : si verò inuicem copulentur,eatenus habebunt communem curationis indicationem , quatenus

tenus copulabuntur: vel nobis ſcilicet ad id quod magis vrget, obuiantibus, non tamen alterius curâ omnino poſthabitâ, vel omnibus pari ſtudio auxiliantibus. Quod autem de aqua inter cutem ſimul cum febre laborantibus meminere, non eſt abſimile morbo laterali, in quo ſanguis expuitur. Nam & in his, contrarias exigunt morbi curationes, eductio ſanguinis, & paſſio lateralis: quæ vbi cuipiam ſimul contigere, ad id quod magis vrget, obuiare oportet: non omnino poſthabitâ etiam alterius curatione. Sic itaque ſi quis ſimul febricitauerit, & eâ laboret: diſpoſitione, quæ aqua inter cutem nominatur, ad ambos effectus reſpicientes qui contrariam exigunt curationem, vtrique eorum ſolerter reſiſtimus, ſicuti & in aliis omnibus pari modo copulatis. Neque igitur ipſi tale quicquam dixerimus, neque alterum talia dicentem admiſerimus: verùm ſi quid expreſſis verbis Hippocrates in aphoriſmo non dixit, quòd tamen idem habeat iudicium cum iis, quæ ab ipſo dicuntur: hoc quoque fuiſſe dictum potentiâ, debemus exiſtimare. Nam & ætatis meminit, & conſuetudinis: tu verò & naturalis temperaturæ, & temporis anni, & regionis, non abſque ratione memineris, quæ & ipſe Hippoc. adiicit aliquando. Nonnunquam

nunquam verò vnius,aut duorum mentione factâ, reliqua, quæ ſunt eiuſdem naturæ atque ordinis,prætermittit. Fiunt autem & ab his indicationes, quemadmodum ſuprà & ab ætate, & à morbo fieri diximus,ſeruantibus nobis quæcunque inculpata ſunt per ſimilem victum temperaturæ: quæcunque verò improbanda ſunt,per contraria corrigentibus. Diximus autem pleniùs de omnibus indicationibus, in libris quibus ars curatiua docetur.

XVII.

KΑὶ οἷσιν ἅπαξ, ἢ δὶς, καὶ πλείω, ἢ ἐλάσσω, καὶ κατὰ μέρος. δοτέον δέ τι καὶ τῇ ὥρῃ, καὶ τῇ χώρῃ, καὶ τῇ ἡλικίῃ, καὶ τῷ ἔθει.

Et quibus ſemel, aut bis, & quibus pluráne, an pauciora, & particulatim oporteat offerre, conſiderandum. Condonandum autem aliquid tempori, regioni, ætati & conſuetudini.

Quoniam de quantitate & qualitate eorum quæ offeruntur, ſermonem habuit,mox docere proponit modum eorundem. Neque enim ſufficit hoc ipſum ſolum cognoſcere, quòd huic plus, vel minus ſit offerendum,vel quòd victu exſiccante,vel humectante vtendum ſit: ſed nunquid ſemel,aut ſæpiùs qualibet nocte, vel die cibum offerre oporteat, neceſſa

necessarium est considerare: & ad hæc ipsa à tempore, ab ætate, à consuetudine, sumere indicationem: sicuti in qualitate & quantitate sumebatur. Nam ad hæc primæ erant intentiones,& morbi ipsi, & vires ægrotantis,& prætereà ætas, & tempus, & consuetudo,& quæcunque his sunt proportionalia:& proptereà ipse Hippocr.illud adiunxit, ***Condonandum autem aliquid tempori,regioni,ætati & consuetudini***: liquidò ostendens per vocem, Condonandum autem aliquid, quòd neque totum,neque maximum à talibus accipit. Nam siue sæpius, siue raró,siue omnino nutrire oporteat,ab ægritudine & viribus primum & præcipuè accipitur: post hoc autem & ab anni tēpore,& ab ætate,& talibus. Si enim vires laborātis debiles fuerint,& ea, quæ in corpore est dispositio, sit ex corruptione humorū vel defectu,parum alimenti, & sæpius talibus offeremus. Parum quidem, quia virium imbecillitas non potest totam simul multitudinem alimenti sustinere. Sæpius autem, quoniam multis indiget dispositio. Defectus siquidem exigit adiectionem, corruptio verò contemperamentum. Si verò viribus debilibus, neque defectus aliquis simul adsit,neque corruptio,humores autem naturales se modicè habuerint, vel etiam

super

superabundauerint:his raró,& pauca offeremus, & multò magis istud agemus, si cum naturæ robore humores superabundauerint. Si verò cum humorum defectu, vel corruptione vires validæ fuerint: tunc multos cibos,atque multoties iis,qui ita laborauerint, dabimus:vtpote multos exigente dispositione, & naturâ robustâ, potente illos concoquere. Si verò accessiones, non permiserint, neque multas alimenti offerendi occasiones præstiterint,raró plura exhibebimus.At si vires validæ fuerint cum plethorica dispositione, raró & pauca offeremus. Nam etsi quod cibum debet concoquere, robustum habeamus:quia tamen dispositio multis non indiget, rationabile est vt raró & pauca offeramus.Sic quidem oportet,& à morbo,& à viribus ægrotantis ad ea, quæ proposuimus, sumere indicationes.A tempore autem,consuetudine,& ætate,& aliis quæ his sunt proportionalia,hoc modo:Æstiuo quidem tempore, quantum ad temporis rationem attinet, sæpe & pauca danda sunt, quoniam & pluri egent adiectione, vtpote qui digeruntur,& vires habent imbecilles. Hyberno verò tempore multa quidem propter robur virium, sed raró, quia non valde multâ indigent adiectione laborantes, vt quibus non multa

multa fiat euacuatio. Nam sanos quidem antea ostendimus multum hyeme euacuari, quoniam plus habeant innati caloris. Vere autem adhuc medio existente, atque adhuc magis æstati proximo, paucis, & ex longo interuallo nutriemus. Nam tempus id periclitatur ne proximè accedat ad plethoricam dispositionem, propter humorum, qui hyberno temporis frigore concreuere, fusionem. Quemadmodum ergo in plethoricis dispositionibus si vires validæ fuerint, paucum cibum, & ex longo temporis interuallo damus: sic & vere faciendum, præsertim in febricitantibus: de quibus nunc sermo habetur ab Hippocrate. Sanorum enim victum antea docuit. Autumnus verò morbis, qui ex corruptione infestant, assimilatur. Quapropter qui eo febricitant tempore, continuâ boni indigent adiectione: & si vires validæ fuerint, sæpe, & multa: si verò imbecilles, pauca & sæpius offeremus. Simili modo quispiam & ab ætatibus, & à consuetudine, & à regionibus sumeret indicationes, ad duas primas redigens intentiones. Singula enim quæ diximus, aut fortes, aut debiles vires efficiunt, & corpus reddunt aut superabundans bonis humoribus, aut sufficientibus carens, aut vitio humorum deprauatum.

Θέρεος.

XVIII.

Θέρεος καὶ φθινοπώρου σιτία δυσφορώτατα φέρουσι, χειμῶνος ῥήϊστα, ἦρος δεύτερον.

Æstate & autumno cibos difficillimè ferunt, hyeme facillimè: secundum locum ver habet.

Non bis, vt fortè quispiam existimauerit, de eisdem disseruit Hippocrates. Nam superiùs illum scripsit aphorismum, cuius principium est, *Ventres hyeme & vere calidissimi sunt naturâ*: *nunc autem rursus, quòd æstate & autumno cibos difficillimè ferunt, & ver secundum habet locum*: verùm quoniam & ad quantitatem victûs, & ad cibis vtendi tam in sanis quàm in ægris modum, quandam accipit à temporibus indicationem: non absque ratione in eorum vtrisque commeminit: illic quidem ostendens cibos plures sanis dari hyeme oportere, quoniam plus inest innati caloris, quem nutriri oportet: nunc autem quòd si semel etiam multum illis ciborum obtuleris, haudquaquam nocebis. Facilè enim † omnes ferũt ciborum multitudinem hyeme, difficulter verò æstate. Quapropter hyeme quidem rarò, & plurimum cibi offerri est concedendum: æstate verò, quia cibos ferunt difficulter (siquidem is, cui eos coquen

† *Alibi legitur* ἅπαν τὸ πλῆθος, *id est, omnem multitudinem.*

coquendi ac conficiẽdi officium natura tribuit, calor innatus ſcilicet, exiguus eſt) cauendum omnino eſt, ne totum ſimul cibum exhibeamus: ſed ſtudere oportet vt frequentiùs & pauca offeramus. Nam corporis diſpoſitio ſimilis iis qui ex humorum defectu morbis conſiſtunt, exigit adiectionem. Hyeme igitur & æſtate ſic ſe habent: reliquorum verò duorum temporum, autumnus quidem æſtatem ſubſequitur, ver autem hyemem. Et cauſa aperta eſt. Nam refrigerari & cogi in vnum, atque denſari corpora autumno: laxari verò, & rara fieri verno tempore incipiunt. Ob hanc igitur rationem, non idem bis de temporibus enunciauit: & ob illam etiam, quia in altero aphoriſmo de ſanis ſermo habebatur.

XIX.

Τοῖσιν ἐν τῇσι περιόδοισι παροξυνομένοισι, μηδὲν διδόναι, μηδ᾽ ἀναγκάζειν, ἀλλ᾽ ἀφαιρέειν τῶν προσθεσίων πρὸ τῶν κρισίων.

Iis qui per circuitus acceſſiones habent, nihil dare oportet, neque cogere, ſed ſubtrahere adiectioni ante iudicationes.

Cùm tria ſint capita, quibus victûs ratio comprehenditur, quantitas, qualitas, & vtendi ipſis modus: ad duo quidem priora capita ex acceſſionibus nullam habemus vtilitatem,

litatem, ad tertium verò ex illis aliquid sumere possumus. Quare non temerè Hippoc. earum in tertio capite meminit. Nam tempora commoda ciborum particularium pręcipuè docent accessiones: in morbis quidem in quibus ordinatim obueniunt, hoc est per circuitus: atque ideò Hipp. inquit: *Iis qui per circuitus accessiones habent, nihil dare oportet*: vt qui non ignoraret, alios esse quibus fierent in morbis accessiones, non tamen per circuitus, hoc est, non ordinatim. In hisce igitur ratio exquisita inueniendi temporis, quo cibus offeratur, haberi nequit. In quibus verò accessionum ordo seruatur, principia earum oportet obseruare, hoc est, ne eis iam factis, vel non multò post futuris, nutriamus. Quod autem dicitur, *Ante iudicationes*: id intelligas vel ante accessiones quascunque simpliciter, vel ante morbi vigores, vel ante illas quæ propriè iudicationes nominantur. Nam hic triplex intellectus, verus est. Primus autem magis videtur ad propositum pertinere: si videlicet ante accessiones intelligamus. Nam de morbi vigore consistentis, priùs dictum est: & si de hoc intelligatur, etiam de iudicatione intelligetur: quoniam magna ex parte morbo in suo vigore consistente fiunt iudicationes.

XX.

ΤΑ' κρινόμενα καὶ τὰ κεκριμένα ἀρτίως, μὴ κινέειν, μηδὲ νεωτεροποιέειν, μήτε φαρμακείῃσι, μήτ' ἄλλοισιν ἐρεθισμοῖσιν, ἀλλ' ἐᾶν.

Quæ indicantur, & indicata ſunt integrè, neque mouere, neque nouare aliquid, ſiue medicamentis, ſiue aliter irritando, ſed ſinere oportet.

Iam perfecto de victûs ratione ſermone, ad alterum caput tranſcendit: in quo docet quando ſit totum ipſi naturæ permittēdum, quod ad curã pertinet ægrotantis, nihil aliud nobis agentibus, niſi victum conuenientem inſtituentibus: quando etiam non ſit totum naturæ permittendum, ſed & aliquid nos oportet operari. Vbi igitur, inquit, vel integra iudicatio facta iam eſt, vel adhuc fit, totum naturæ permittere, & nihil nos nouare oportet: vbi verò non integrè iudicatur, id quod deficit, ſupplere nos conuenit. Hoc autem & ipſe dicebat in *libro de humoribus.* per hæc verba: *Quæ perfectè iudicantur, non mouere neque medicamentis, neque aliter irritando nouare quicquam.* Nam quod in aphoriſmis, ἀρτίως, id eſt integrè dixit, hoc cõmutans in illo libro, ἀπυρὴ, id eſt, perfectè nominauit. Eſt autem huius nominis ἀπυρὴ apud antiquos ſignificatum pro perfectè, integrè

tegrè & indeficienter, quæ omnia etiam hoc loco per ὀρθίως, id eſt, integrè, debemus accipere. Neque enim per id verbum dies pares oportet intelligere. Eſt enim in propatulo falſum, ſi quis in diebus paribus vel iudicatus eſt, vel iudicatur, nihil in his nouandum eſſe. Neque etiam hæc dictio ὀρθίως, hoc in loco ſignificat nuper: quod maximè oſtendunt verba ſequentia. Neque enim ſimpliciter dixit nuper iudicata, ſed *quæ iudicantur, & iudicata ſunt*, quorum alteri, ſcilicet iudicata, adulterium nuper, poſſit conuenire: alteri verò, iudicantur, nullo modo. Sed & hoc ipſa rerum euidentia demõſtrat. Neque enim ſi quid paulò anteà ſit iudicatum hoc nouari non debet: ſed ſi perfectè & indeficienter & integrè, tunc verum eſt quod dicitur. Si verò quicquã deficiat: id quod deficit, oportet adiungere. Nam quæ poſt iudicationem relinquuntur, faciunt recidiuas. Quænam igitur eſt perfecta & indeficiens iudicatio? an quæ ſcilicet per omnia bene fit, & cui nullus numerus deficit iudicatorius? Primùm enim melior eſt iudicatio, quæ fit per euacuationem inferiorem, quàm quæ per abſceſſum: deinde per quam humor noxius, aut redundans, quàm per quam alius quiſpiam euacuatur: tertio loco, quæ recto fit tramite,

quàm quæ non recto, sic enim ipse appellat, quæ recto fit ductu, & post has quæ facilè toleratur: deinde quæ cum coctione fit, & in decretorio die. Hæc enim omnia adesse conuenit perfectæ iudicationi: cui si quid horum desit, vel plura, neque absoluta, neque integra fuerit iudicatio.

X X I.

Ἃ Δεῖ ἄγειν, ὅκου ἂν μάλιστα ῥέπῃ, ταύτῃ ἄγειν, διὰ τῶν ξυμφερόντων χωρίων.

Quæ ducere oportet, quò maximè vergunt per loca conferentia, eò ducere.

Reuellere si non quà oportet repant humores: si verò quà oportet, aperire cõuenit, vt singuli repant, 6. epid 2. sect. 32.

Quænam illa sint quæ ducere oporteat: quæ videlicet neque iudicantur, neque integrè sunt iudicata: hæc igitur per quam partem sint euacuanda docet, duplicem nobis dans scopum: ipsam scilicet partis naturam, & humoris propensionem. Ad quem enim locum ex conferentibus vergit, eò ducere conuenit. Sunt autem euacuationibus conferentia loca, intestina, venter, vesica, vterus, & cutis vniuersa: ad hæc, palatum, & nares, quando videlicet, vel cerebrum expurgamus, vel per profluuium sanguinis è naribus fit crisis: & præcipuè si recto tramite, hoc est, per directum ad locum patientem. Nam quæ contrà fiunt profluuia sanguinis mala sunt. Motus verò humoris noxij ad loca inutilia

sunt,

sunt, si quando videlicet hæc ipsa loca aliquem habuerint suapte naturâ principatum, & maius ex ipsis damnum est subsecuturum, quàm morbus qui iudicatur, expostulet: vel nullam habeant effluxionem. Exempli gratiâ, vbi hepar humores infestant, quos oporteat euacuari, duæ sunt commodæ ipsorum inclinationes. Prior per ventrem, cuius illa melior est quæ per inferiora fertur, quàm quæ per vomitum: posterior per renes atque vesicam: at qui ad pulmonem atque thoracem & cor motus fertur, non est bonus. Oportet itaque Medicum naturæ motum animaduertere: & si quidem idoneus fuerit, ei conuenit adminiculari & cooperari: si verò contrarius & noxius, hunc prohibere, transferre, atque diuertere oportet.

XXII.

Πέπονα φαρμακεύειν καὶ κινέειν, μὴ ὠμὰ, μηδὲ ἐν ἀρχῇσιν, ἢν μὴ ὀργᾷ. τὰ δὲ πλεῖστα οὐκ ὀργᾷ.

Concocta medicari, atque mouere, non cruda, neque in principiis modò non turgeant: plurimùm verò non turgent.

Consueuit Hippocr. dicere medicari, pro vti medicamento purgante. Verbum autem, turgere, trāslatum est ab animalibus turgentibus, ad humores. Nam sicuti illa stare loco non

non possunt, quodammodo titillata atque impulsa concitáque à passione: sic & humores plerunque in motu vehementiore, atque transfluxu ab vna parte ad aliam, in morbi principio hominem infestant, mouentes, titillantes,& quiescere non permittentes,cùm & ipsi pariter moueantur, & transfluant: & tanto motu de loco ad locum, ægrum molestent.Tales itaque humores euacuare conuenit,hoc est qui agitantur,& de loco ad locum mouentur ac transfluunt. Eos verò qui sunt in aliqua corporis parte firmati: neque alio auxilio mouere oportet,neque medicari ante coctionem. Tunc enim naturam ipsam habemus euacuationi adminiculantem. Videtur siquidem ipsa post coctiones,humores discernere,& superfluitates expellere:quo in tẽpore fiunt etiã iudicationes. Sed cùm perfectè ipsa mouetur, medicamento opus non est:si verò mediocriùs atq; imbecilliùs agat, id quod dedcit,oportet nos medicando supplere, vt ab vtroque noxij humoris fiat euacuatio, naturâ quidem expellente, medicamento verò attrahente. Ostensum enim est à nobis in *commentariis de potentiis naturalibus*, naturam vniuscuiusque particulæ quatuor vti potentiis,attractiuâ proprij alimẽti, & eiusdem retẽtiuâ, & præterea concoctiuâ,

&

& quarta alienorum expulſiuâ. Singula verò medicamenta familiarem ſibi attrahunt humorem. Bene autem ſermoni addidit: *Plurima verò non turgent.* Et diſcere oportet hoc ab experientia, quòd videlicet humorum tranſfluxus ab vna parte ad aliam, rarò contingunt, ſed frequentiùs quietem habent: & in vna aliqua parte conſiſtunt: in qua etiam concoquuntur toto morbi tempore, vſque ad eius ſolutionem. Scire autem oportet, quòd in quibuſdam exemplaribus hic aphoriſmus ſcriptus non eſt: in *libro* autem *de humoribus* paſſim ſcriptus inuenitur.

XXIII.

ΤΑ' χωρέοντα μὴ τῷ πλήθει τεκμαίρεσθαι, ἀλλ' ὡς ἂν χωρέῃ οἷα δεῖ, καὶ φέρει εὐφόρως, καὶ ὅκου δεῖ μέχρι λειποθυμίης ἄγειν, καὶ τοῦτο ποιέειν, ἢν ἐξαρκέσῃ ὁ νοσέων.

Deiectiones non multitudine ſunt æſtimandæ, ſed ſi talia deiiciantur qualia conueniunt, & ægri facilè tolerant. Atque vbi vſque ad animi defectionem expedit ducere, faciendum, ſi æger poſſit tolerare.

Siue à natûra, ſiue à nobis euacuatio fiat, oportet omnino conſtituere quendam ipſius modum. Sicuti enim humorem moleſtantem pro qualitatis ratione oportet vacuare: ita vtique etiam quantitatem euacuationis

F 5 magni

magnitudini noxæ respondere. Sed qualitatis quidem indicia superiùs diximus, vbi illum aphorismũ exposuimus, cuius principiũ est, *In perturbationibus ventris*. Quantitatis verò nullum tale habemus indicium. Ob hãc igitur causam nobis dedit Hippocrates de eadem quantitate iudicandi viam ex facilitate tolerantiæ. Nam si humor superexcedẽs euacuetur, tunc ipsum seipso ægrotum fieri leuiorem, & meliùs tolerare est necessarium: quòd si aliquod etiam ex iis, quæ sunt secundum naturam, excernatur, dissolui ac debilitari ægri vires, & quandam sentire afflictionem. Quare non tam ad vnguem quantitatẽ eorum, quæ euacuantur, oportet examinare, sed duas, quæ dictæ sunt, notas: si qualia oportet euacuantur, & si facilè tolerãt. Quod autem posteà ab ipso subiungitur, *Atque vbi vsque ad animi defectionem expedit ducere*: rectè quidem ab ipso dictum est, sed adiici oportuit vsus signa. Quia verò ipse prætermisit: nos, quandoquidem ipsa experientia, & ratione videmur inuenisse, dispositiones, in quibus expedit vsque ad animi defectionem euacuare, dicemus. Et primùm vsque ad quam animi defectionem dictum ab ipso fuerit, distinguere oportet. Neque enim tales dicit animi defectus, qui expauescentibus aliquando

aliquando ægris † venæ sectionem, vel tale auxilium aliquod, solent accidere: neque verò quum in ore ventriculi humores mordaces, qui vel priùs in ipso coaceruati fuerunt, vel in ipso remedij vsu ad eundem defluxerunt, causam dederint animi defectionis. Solent enim tunc quoque pati animi defectionem: non tamen huiusmodi animi defectio est sufficiens mensura euacuationis, quæ nõnunquam antequam oporteat contingit: sicuti cùm febricitantes pleriq; vel inter surgendum, vel residendũ, animo defecerunt: ob quam causam decumbentibus ipsis secamus venam. Ea igitur animi defectio, quæ fit ratione euacuationis, nunc ab Hippocr. dicta est, esse mensura euacuationis, & in maximis inflammationibus, & in ardentissimis febribus, & vehementissimis doloribus. Oportet autem (sicuti & ipse inquit) viribus integris atque valentibus tantam moliri euacuationem, & nos sæpius huiuscemodi euacuationes prodesse plurimum, experientiâ didicimus. Nam & in ardentissimis febribus si vsque ad animi defectionem sanguis mittatur, statim totius corporis habitus refrigeratur, & febris extinguitur, & plurimis etiam aluus citatur, & sudores emanant, & quidã eorum ex his sanitati sunt prorsus restituti, alij adiuti

† *Alibi legitur, phlegmones, vel venæ.*

q. d. vsque dum deficiãt vires faciẽda est euacuatio.

iuti plurimùm vehementiam ægritudinis abſciderunt. In maximis verò doloribus nullum maius inueni remedium, quàm vſque ad animi defectionem euacuare, adhibitâ diſtinctione, an mittere ſanguinem, an purgare oporteret vſque ad animi defectionem, quemadmodum in *libro de vena ſectione* monſtrauimus.

Contrarium ait 1. ad Glauc. c. 14.

XXIV.

Ἐν τοῖσιν ὀξέσι πάθεσιν ὀλιγάκις, καὶ ἐν ἀρχῇσι τῇσι φαρμακείῃσι χρέεσθαι, καὶ τοῦτο προεξευκρινήσαντας ποιέειν.

In acutis morbis rarò, & in principiis, medicinis purgantibus vti, & hoc cum præmeditatione faciendum.

Paulò anteà dictum erat, *Concocta medicari, & mouere, non cruda, neque in principiis ſi non turgeant, plurimum verò non turgent.* Nunc autem, quòd circa principia acutarum ægritudinum tantùm aliquando contingit purgare vtiliter, nos docet Hippocrates. Nam in longis morbis ſemper oportet expectare coctionem, in acutis verò, cùm turgent, etiam ab initio poſſumus vti medicamentis purgantibus, & hoc ipſum cum multa cautione & præmeditatione facere. Vnde mihi videtur rectè Hippocrates adiecisse, *Et hoc cum præmeditatione facere.* Siue enim

enim per hoc verbum diligentem intelligat examinationem, siue ægroti præparamentum, siue recti iudicij expectationem, siue horum aliquid, siue omnia vnius vocabuli significatione comprehendantur: quantum sit circumspectus circa huiusmodi purgationes, manifestat. Neque enim periculum minimum, in morbo acuto malè vti purgante medicamento, cùm omnia id generis sint potentiâ calida, febris verò, quatenus febris est, & sui ratione, non modò non calefacientibus atque exsiccantibus, sed contrariis, hoc est, humectantibus & refrigerantibus egeat. Non igitur ob igneam febris caliditatem, purgationem adhibemus (hanc enim scimus sui ratione nocituram) sed propter humores illam efficientes. Quare maiorem oportet ex noxiorum humorum euacuatione fieri vtilitatem, quàm id quod necessariò consequitur ex purgantibus medicamentis detrimentum. Est autem maior vtilitas, si absque molestia omnis infestans ac molestans humor sit euacuatus. Vt verò hoc fiat, primò oportet considerare, nunquid æger idoneè se habeat ad huiusmodi purgationem. Nam quicumque multâ cruditate laborant, vel qui tenaces ac crassos cibos assumpserunt: sicuti etiam quibus hypochon

Calida & ignea vrina.

hypochondria distẽta atque inflata sunt: aut supra modum † calida atque ignea existunt, & hoc ipso in loco aliqua est viscerum inflammatio: omnes ij haudquaquam sunt apti ad purgationes. Hæc itaque abesse oportet, & humores, quàm maximè fieri potest, esse fluxui paratos, hoc est tenues, & nullum lentorem participantes, & aperta esse foramina, per quæ debet purgatio fieri, & nullam habere obstructionem. Nam & nos ista anteà paramus, cùm quempiam sumus purgaturi. Et hoc est quod ab ipso Hippocrate dicitur in illo aphorismo: *Corpora vbi quis purgare velit, oportet fluida facere.* Verùm in acutis morbis, circa principia statim, circa primum videlicet diem, vel non vltra secundum, si sumus vsuri purgantibus medicamentis, quãdo turgent, non datur facultas ista præparandi, nisi quis fortè arripiat occasionem propinandi melicratum, in quo decoctum sit aliquid hyssopi, vel origani, vel tragorigani, vel thymi, vel pulegij, siue quid huiusmodi vim habens humores extenuandi. Quare non sine ratione dixit, rarò circa principia morborum acutorum nobis venire in vsum purgationes: quoniam fere non turgent humores molestãtes in principiis: neque etiam si quid istorum adsit, satis æger est ad purgandum paratus:

paratus : neque etiam morbus dat nobis otium illius idoneè præparandi.

XXV.

HN οἷα δεῖ καθαίρεσθαι, καθαίρωνται, ξυμφέρει τε καὶ εὐφόρως φέρουσι. τὰ δ' ἐναντία, δυσχερῶς.

Si qualia oportet purgari, purgentur, confert, & facilè ferunt : si contrà, difficulter.

Non eſt dubium, hunc aphoriſmum in illo contineri, in quo dicebatur : *In perturbationibus ventris & vomitibus ſpontinis, ſi qualia oportet purgari purgentur, confert, & facilè tolerant : ſi verò non, contrà.* Verùm quia in hac libri parte de purgationibus à Medico factis loquebatur, & omnes ferè neceſſarias diſtinctiones commemorauit, non piguit ipſum hunc quoque adiungere aphoriſmum, in quo nihil noui edocetur, ſed ad memoriam reuocantur ea quæ priùs in alia libri parte enunciauerat de ſpontinis euacuationibus : vt hoc etiam in loco totus ſermo de purgationibus eſſet abſolutus.

Τμῆμα δεύτερον.

GALENI IN APHORIMOS Hippocratis,

COMMENTARIORVM LIBER SECVNDVS:

Interprete Nicolao Leoniceno Vincentino.

I.

ΕΝ ᾧ νοσήματι ὕπνος πόνον ποιέει θανάσιμον, ἢν δὲ ὕπνος ὠφελέει, οὐ θανάσιμον.

In quo morbo, somnus laborem facit, mortale. Si verò iuuat, non mortale.

Quòd quidem labor apud ipsum nunc læsionem significat, clarum est ex eo quod opponitur. Inquit enim: *Si verò somnus iuuerit, non mortale*. Cùm verò duplex sit ea, quæ ex somno fit, læsio, altera communis, quando in principiis accessionum, quas annotationes vocant,

vocant, ægrotantes dormierint: altera propria, vt in quibuſdam morbis, quando in aliquo alio tempore ſomnus nocet, de hac ipſum dicere eſt exiſtimandum. Altera enim neque mortem, neque aliquod aliud malum ſignificat: cùm naturam temporis conſequatur. In principiis ſiquidem acceſſionum, & calor naturalis totus, & humores in profundum corporis vergunt (quemadmodum ipſe docuit) & præcipuè in quibus horror quiſpiam, vel rigor, vel fortis partium exteriorum refrigeratio contingit. Et propterea, ſi in principiis dormierint, ſymptomata illis protrahuntur, & vix febres ad conſiſtentiam perueniunt. Siqua verò inflammatio ſit circa viſcera, meritò augetur: & ſi humores aliqui in ventrem confluant, non æquè atque in aliis ſomnis concoquuntur, ſed multò plures fiunt, incocti permanentes. Ob hanc ſcilicet cauſam, ægrotis vigilias præcipimus tempore illo, eam quæ fit per vigilias, ſpiritus, ſanguiniſve, atque caloris habitantis in eis ad exteriora motionem opponentes, tanquam maximum auxilium aduerſus illam quæ fit in acceſſionum principiis, ſanguinis, ſpiritus, & caloris naturalis ad interiora retractionem. Quare non ſine ratione dixerit quiſpiam, huiuſcemodi læſiones hoc tempo-

re accidere ex natura accessionis, at ex vigilia prohiberi. Cùm verò hac priuati fuerint ægrotantes, tunc damnum sentiunt manifestius, non quia altera læsio accedat ex somno, sed quia deest illa quæ ex vigilia habetur vtilitas. Hic igitur sermo ostendit, nullam fieri in accessionũ principiis ex somno læsionem; sed hoc ipsum tantummodò, carentiam scilicet vtilitatis: alter verò sermo concedens ex somnis fieri hoc tempore læsionem, ostendit nunc Hippocratem docere de iis qui in aliis temporibus dormiunt, in quibus magna ex parte manifesta vtilitas ex somno consequitur, præsertim vbi morbo declinante adhibetur. Nam & aliquando morbo iam consistente adhibitus manifestã affert vtilitatem, & quandoque in extremis partibus augmenti, quæ ad consistentiam copulantur. Sed manifestissima omnium vtilitas in declinationibus fit: & quidem somni qui nocent, minùs exitiales sunt iam consistente atque increscente accessione: præcipuè verò in declinationibus sunt perniciosi. Nam quo tempore quodque est vtilissimum, si præter id quòd nihil prodest, etiam nocet, mortem nõ sine ratione significat. E somno autem læsiones sunt, quæ sunt vtilitatibus contrariæ: quòd videlicet febres ab ipsis aut

non

non diſſoluuntur, aut etiam exacerbantur, & quòd dolores intenduntur, & fluxiones multiplicantur,& creſcunt inflammationes: Quidam verò ex ipſis inter dormiendum delira loquuntur:& vbi expergefacti fuerint, multo tempore in delirio perſeuerāt. Quoſdam † ſomnus grauiſſimus dormientes occupat, & vix cùm punguntur, excitantur. Hæc verò omnia contingunt propter humorum prauitatem:quos, vbi calor innatus fortior quidem exiſtit,per ſomnos concoquit: quando verò debilior,ſuccumbit, & ab illis viſcera aggrauantur, & dictis affectibus homo corripitur. Ipſe etenim Hippoc.vult hominem vigilantem extrinſecùs eſſe calidiorem, dormientem verò contrario modo ſe habere:id nos edocens (quod etiam quibuſdam aliis rerum naturalium ſtudioſis viſum eſt) ſomnum atque vigilias fieri ſecundum innati caloris motiones. Non abſque ratione igitur euenit,vt cùm in viſceribus iſte collectus, cauſas morbificas nequeat euincere, perniciem ſignificet. Si tamen euicerit, non proptereà certæ ſalutis eſt ſignum: niſi quiſpiam, quantum ad talem affectum attinet, ægrotum dixerit non periclitaturum,qui tamen ex alio poſſit interire. Nam ſiqua inflammatio aliquā ex partibus principalibus

† *Initiū comatis.*

6. Epid.

præoccupauerit, solutu difficilis, contingit ægrum, qui ita se habeat, interire. Quare securiùs pronuntiandum est, vbi ex somno læsio aliqua aduenit, lethalem esse notam: cùm verò prodest, non lethalem. Quòd verò ex somnis aliquæ accidant læsiones, ipse etiam in libris quos Epidemios inscripsit, ostendit his verbis: Inter hos multi erant † graui oppressi somno, & delirantes: nonnulli verò ex somno tales fiebant.

† Comate laborantes.

II.

OKꝫ παραφροσύνην ὕπνος παύει ἀγαθόν.

Vbi somnus delirium sedat, bonum.

Si ambos dixerimus aphorismos, & hunc scilicet & antecedentem, inuicem iungi, totus sermo talis vtique fiet: In quo somno morbus laborem facit, mortale. Si verò somnus iuuat, non mortale; vbi igitur somnus delirium sedat, bonum: vt quoddam veluti exemplum particulare subiungat sermoni antecedenti vniuersaliter dicto, tanquam si ita dixisset: Vbi igitur dolorem somnus sedat, bonum. Vbi igitur febrem somnus sedat, bonum. Vbi igitur inflammationem sedat somnus, bonum. Sed satis fuit ei tantùm periculosiorem morbum nominare. Nam veritas sermonum vniuersalium, ex huiuscemodi exemplis magis dilucet.

Ὕπνος

III.

ΥΠΝΟΣ, ἀγρυπνίη, ἀμφότερα τοῦ μετρίου μᾶλλον γινόμενα, κακόν.

Somnus, atque vigilia, vtrumque si modum excesserit, malum.

Nonnulli ex Medicinæ professoribus existimârunt vigiliam modum excedentem malum esse & signum,& causam : non tamen somnum : hunc enim semper bonum esse & signum, & causam, & nunquam fieri somnum modum excedentem : plurimos verò decipi, arbitrãtes initium dispositionémque comatis, somnum esse longum. Verùm hi à nobis discentes, quòd nondum coma nominatur,nisi difficilem habuerit expergefactionem, concedant rectè somnum longum nominari, quando solùm tempore excesserit modum naturæ conuenientem, & nondum habuerit difficilem expergefactionem. Fit autem huiuscemodi somnus refrigerato primo sensitiuo, hoc est cerebro ipso, quæ refrigeratio cùm fortis fuerit, mista quidem humiditati,facit lethargicas passiones : cum siccitate verò, eas quæ Græco vocabulo καταλήψεις, id est congelationes nominantur.Sic & vigiliæ fiunt quidem propter calorem primæ partis sensitiuæ, sed vel ex sola intemperatura, vel etiam ex humoris biliosi

abundantia. Horum verò talium omnium demonstrationes in nostris sunt scriptæ tractatibus, nunc autem sufficiat sola eorum capita tetigisse. Sicuti autem quidam fuère qui somnum semper fieri moderatum existimarunt,& nunquam extra modum existere : sic nonnulli rursus aiunt vigiliam nunquam esse moderatam,sed hoc nomen solam immoderantiam significare, obliti eius quæ in vsu vitæ seruatur consuetudinis,quoniam & mala nonnunquam mediocria dicimus magnorum comparatione. Sic igitur audire oportet vigiliam mediocrem, ac si significet paruam.

IV.

Οὐ πλησμονὴ, οὐ λιμὸς, οὐδ' ἄλλο οὐδὲν ἀγαθὸν, ὅτι ἂν μᾶλλον τῆς φύσιος ᾖ.

Non satietas, non fames, neque aliud quicquam,quod modum naturæ excesserit, bonum.

Rursus hic aphorismus, sicut & alter qui antecedit, quòd in vna materia versatur, idem apparet omnino. Nam, cùm sanitas commoderatio quædam sit, necesse est omnes immoderantias, quæ plurimùm à modo recesserunt, iam ægritudines esse ; quæ verò nondum id plurimum obtinent, ægritudinum generationem ostendere.

Κόποι

V.

KΟ'ποι αὐτόματοι φράζουσι νόσους.

Spontaneæ laſſitudines morbos prænunciant.

Non eius quæ fit ex motionibus immoderantiæ nomen eſt laſſitudo, ſed eius quæ aduenit in corporibus animalium diſpoſitionis. Neque enim laſſitudinum meminit, quæ ex talibus accidunt motionibus, ſed quæ ſponte contingunt. Cùm igitur abſque motu huiuſmodi euenerit diſpoſitio: non ſimpliciter laſſitudo, ſed laſſitudo ſpontanea nominatur. Sed cùm tres ſint laſſitudines, quemadmodum in *libris de ſanitate tuenda* declarauimus, prima quæ vlcerum, ſecunda quæ tenſionis, tertia quæ inflammationis ſenſum habet, quæ ex iſtis componitur: prima quidem ex vitiatis humoribus ortum habet, ſecunda ex plenitudine, tertia ex vtriſque ſimul coniunctis. Sic enim à nobis eſt demonſtratum in ea, quæ *de ſalubribus cauſſis* inſcribitur, tractatione. Quare non temerè dictum eſt, ſpontaneas laſſitudines morbos nunciare.

IV.

ΟΚόσοι πονέοντές τι τοῦ σώματος, καὶ τὰ πολλὰ τῶν πόνων οὐκ αἰσθάνονται, τουτέοισιν ἡ γνώμη νοσέει.

Quicunque dolentes parte aliquâ corporis, † omnino dolorem non sentiunt, iis mens ægrotat.

† Τὰ πολλὰ, ferè.

Dolores solet nominare nonnunquam dispositiones ipsas in quibus dolemus: in quem sensum dicebat in *libro Epidemiorum*, quòd in Cranone antiqui dolores frigidi, noui autem calidi: haudquaquam doloris calidos frigidósve, sed dispositiones ex quibus fiant, ita nominans. Et hoc in loco igitur eodem modo *dolores*, ipsas dispositiones nominauit, quæcumque cum dolore fieri sunt naturâ aptæ: quemadmodum erysipelas, inflammationem, & vulnus, & fractionem atque rupturam, & conuulsionem, & quodcunque tale aliquid: quod si adsit, & ab ægroto non sentiatur, mentem indicat ægrotare: Siue autem mentem, siue animum dixeris, nihil in præsentia refert.

VII.

TA' ἐν πολλῷ χρόνῳ λεπτυνόμενα σώματα, νωθρῶς ἐπανατρέφειν δεῖ, τὰ δὲ ἐν ὀλίγῳ, ὀλίγως.

Quæ longo tempore extenuantur corpora, lentè reficere oportet: quæ verò breui, breuiter.

Quæ enim pauco tempore extenuata sunt corpora, ob humorum & spirituum euacuationem,

tionem, non ex ſolidorum colliquatione id perpeſſa ſunt: quæ verò longo tempore extenuantur, iis carnes contabeſcunt, graciles etiam redduntur † aliæ partes per quas concoctio in animalibus, & diſtributio, & ſanguificatio atque nutritio perficitur: quare tantum non poterit concoqui alimentum, quanto indiget corpus. Quam ob cauſam talia corpora longiori tẽpore reficere oportet, atque paulatim, quod lentè nominauit. In quibus autem ſoli humores & ſpiritus ſunt euacuati, in iis celeriter, cumulatè & affatim licet reficere, cùm fiduciam nobis præſtet ſolidarum partium robur. In fine autem aphoriſmi duplex ſcriptura inuenitur, & idem vtraque ſignificat, ſiue *breui* caſu ablatiuo, ſiue *breui* aduerbialiter ſcriptum ſit.

† *Alibi legitur,* ὄργανα.

VIII.

ΗΝ ἐκ νόσου τροφὴν λαμβάνων τις, μὴ ἰσχύῃ, σημαίνει ὅτι πλείονι τροφῇ τὸ σῶμα χρέεται. ἢν δὲ τροφὴν μὴ λαμβάνοντος, τοῦτο γίγνηται, χρὴ εἰδέναι, ὅτι κενώσιος δέεται.

Si à morbo cibum aſſumens quis non corroboratur, pluri alimento corpus vti ſignificatur: quòd ſi non aſſumenti cibum hoc accidat, ſcire oportet, quòd indiget euacuatione.

Propter breuiloquium, & vſum quendam dictionis, qui etiam eſt apud nos in multis

ciuitatibus Asiæ, hic aphorismus habuit obscuritatem. Consuetum enim est nobis dicere, non assumere cibum, illos qui sunt sine appetitu: assumere autem, qui appetunt, & comedunt vsque ad satietatem. Quicunque igitur appetentes, & abundans alimentum accipientes, non possunt robur sanitatis recuperare, magis ex eo grauantur, & non nutriuntur. Qui verò ne quod satis quidem sit, possunt assumere, vitiosos humores habent; quos nisi euacuauerint, fieri non potest vt robur recuperent sanitatis. Hippoc. verò non hîc tantùm, sed & in aliis suis commentariis, quando inuicem proportione seruatâ humores omnes augentur, missione sanguinis auxiliatur. Vbi verò vnus aliquis ex ipsis superabundat, illi purgatorium dat medicamen. Tanquam igitur ista sentiens, & qui sæpius in suis commentariis eadem tradiderit, rectè duos sequentes aphorismos subiungit, in quibus de eadem docet dispositione, de qua etiam in proposito hoc docet aphorismo, inquiens: *Si verò non assumēti ægro hoc fiat, scire oportet, quòd indiget euacuatione.* Et ordinem quidem duorum sequentium aphorismorum, puto esse deprauatum in multis aliis exemplaribus: illa verò rectiùs se habent, in quibus alter scribitur prior, ille videlicet:

delicet: *Non pura corpora quantò magis nutries, tantò magis lædes*: vt totus ſermo talis exiſtat: Si verò non aſſumenti hoc accidat, ſcire oportet quòd indigeat euacuatione, non pura enim corpora quantò magis nutries, tantò magis lædes. Nos verò illum ſequentes ordinem, quem in plurimis exemplaribus ſcriptum inuenimus, ſic eorum fecimus expoſitionem.

IX.

TA' σώματα χρὴ, ὅκου ἄν τις βούληται καθαίρειν, εὔροα ποιέειν.

Corpora cùm quiſpiam purgare voluerit, oportet fluida facere.

Multi quidem volunt corpora fluida fieri, vbi per medicamenta vomitoria euacuatio eſt facienda, vomitum irritando: vbi verò per deiicientia, continuò aluum ſubducendo. Et ideò totam diſpoſitionem vtriſque illis quidem ad alui ſubductionem, his verò ad vomitum, faciunt habiliorem. Ego verò Hippocratem puto non minimum id, ſed aliquid aliud maius hoc in loco nos docere voluiſſe, quòd nos longâ experientiâ didicimus ita ſe habere. Si quis enim extenuet atque incidat craſſos, atque tenaces humores qui in corpore ſunt, & meatus, aperiat per quos iſti tranſmittuntur, atque trahuntur à medicamentis,

mentis, quæ vim purgatoriam habent, tunc purgatio in omnibus rectè procedit. Qui verò istud neglexerint, & vomitus, atque alui subductionem procurauerint, iis difficiles veniunt purgationes, non sine torminibus aliquãdo, & quadam vertigine, fastidio multo, & malo pulsu, imbecillitate & difficultate. Nobis verò qui extenuante vtimur victu, (de quo integrum scripsimus librum) nihil horum contingere consueuit, sed eorum omnium quæ in corpore præter naturam continentur, sine vlla molestia, ac celerrimè fiunt euacuationes. Idcirco Hippoc. dicimus suo adiecisse sermoni: *Vbi quis voluerit purgare corpora, oportet fluida facere*, ac si ita dixisset: Siue per vomitus, siue per alui subductionem purgare velis, fluidum totum corpus efficiens, sic purgabis optimè. Erit autem fluidum, vt diximus, omnibus meatibus quidem reseratis, humoribus verò incisis, abstersis, atque extenuatis, si quis fuerit humor in corpore crassus ac glutinosus.

X.

ΤΑ' μὴ καθαρὰ τῶν σωμάτων, ὁκόσον ἂν θρέψῃς, μᾶλλον βλάψεις.

Non pura corpora quantò plus nutries, tantò magis lædes.

Corrumpi

Corrumpitur enim aduenienѕ alimentum ab humorum prauitate, corpus iam obtinente, ita quòd ipſorum quidem quantitas augetur, qualitas verò ſeruatur. Hoc verò præcipuè fit, quando ventriculus quibuſdam humoribus vitioſis plenus extiterit, ex quibus paulò antea dictus, reualeſcentibus ex morbis accidit caſus, non poſſe videlicet cibum aſſumere.

XI.

Ῥᾷον πληροῦσθαι ποτοῦ ἢ σιτίου.

Facilius eſt impleri potu, quàm cibis.

Cùm ſermo ab ipſo de iis qui indigent corporis refectione, antea ſit habitus: propterea nunc ſcribit materiarum diuerſitates ex quibus renutriuntur. Scriptum autem eſt ab ipſo & in *libro de alimento* ſic: Quicunque indigent citiſſimâ adiectione, humidum remedium ad recuperandas vires optimum eſt. Vbi autem adhuc celeriore opus eſt, per odoratum. Oportet autem non ſimpliciter intelligere in vtroque libro, vel in illo *humidum*, vel hic *potum*, ſed humida & potus, quæ ſuapte naturâ apta ſunt nutrire corpus. Nam ſi † non ita nutriunt ſicuti ſolidiora, ſuperant tamen nutriendi celeritate: ſicuti vina craſſiora. Nam aquoſa (ſic autem nominant alba & tenuia) ſicuti aquæ ſimilem

† in impreſſ. deeſt negatio: in aliquibus verò manuſcript. reperitur.

ſimilem formam habent,ita etiam vim:quare vrinam cient, & minimè nutriunt: quæ verò & craſſa ſunt, & colore rubea, vinorum omnium maximè nutriunt. Ineſt autem eis hoc,quod citiſſimè repleant corpora euacuata, & ob hoc indigentia adiectione. Quod verò humidum alimentum, & præcipuè naturâ calidum faciliùs nutriat, manifeſtum iis,qui norunt quomodo & coctio, & diſtributio fiant.

XII.

TA' ἐγκαταλιμπανόμενα ἐν τῇσι νούσοισι μετὰ κρίσιν, ὑποστροφὰς ποιέειν εἴωθεν.

Quæ relinquuntur in morbis poſt iudicationem. recidiuas facere conſueuerunt

Hic etiam aphoriſmus antecedentibus iungitur.Nam cùm Hipp. dixerit: *Si à morbo cibum aſſumens quis non corroboratur, pluri alimento corpus vti ſignificatur: quòd ſi non aſſumenti cibum hoc accidat, ſcire oportet quod indiget euacuatione*, & ob hanc cauſam cùm deinceps de euacuationibus ſermonem habuiſſet, nunc cauſam aſſignat ob quam oporteat euacuare eos qui poſt morbum non appetunt, ac ſi totus ſermo ita ab ipſo tranſigeretur. [Quòd ſi non aſſuméti cibum hoc accidat, ſcire oportet quod indiget euacuatione. Quæ enim relinquuntur

tur in morbis poſt iudicationem, recidiuas facere conſueuêre.] Per ea quæ relinquuntur in morbis, malorum humorum reliquias intelligens: quas neceſſarium eſt tempore putreſcentes, febres accendere. Siquidem omnis humor alienus à natura corporis in quo continetur, aptus naturâ non eſt ad eius nutritionem: & in poſterum neceſſariò in putredinem conuertitur. Cùm verò etiam locus calidus erit, in quo fuerit collectus, tunc præcipuè, & celerrimè putridus fit.

XIII.

Ὁκόσοισι κρίσις γίνεται, τουτέοισιν ἡ νὺξ δύσφορος ἡ πρὸ τοῦ παροξυσμοῦ, ἡ δὲ ἐπιοῦσα, εὐφορωτέρη ὡς ἐπὶ τὸ πολύ.

Quibuſcunque criſis fit, iis nox grauis ante acceſſionem: quæ verò ſubſequitur, magna ex parte leuior exiſtit.

Iudicatio eſt ſubita in morbo vel ad ſanitatem, vel ad mortem mutatio. Fit autem naturâ ſeparante à bonis mala, & ad excernendum præparante. Non ſine cauſa igitur ob talem perturbationem grauiter ſe habent: & grauitas hæc noctu fit manifeſtior: nam hoc tempore dormire conſueuimus. Somnis ergo à turbatione interruptis, clariùs grauitas illa percipitur: licèt ſimilis fiat interdiu quandoque turbatio, quando noɛte

nocte sequente est iudicatio futura. Quod autem in fine aphorismi scribitur: *Quæ verò subsequitur, magnâ ex parte leuior existit.* in multis exemplaribus non habetur. Vult autem docere nos, quòd subsequens nox magnâ ex parte post iudicationem facilior, quàm præcedens, existat: quoniam plures iudicationes in bonum terminantur. Nouimus enim plures esse ex ægrotis sanatos, quàm mortuos, nisi sit pestilens constitutio.

XIV.

ἘΝ τῇσι τῆς κοιλίης ῥύσεσιν, αἱ μεταβολαὶ τῶν διαχωρημάτων ὠφελέουσιν, ἢν μὴ ἐς τὰ πονηρὰ μεταβάλλῃ

In profluuiis alui mutationes excrementorum iuuant, nisi ad mala mutatio fiat.

Mutationes excrementorum quæ multis humorum formis variantur, exquisitiùs corpus expurgant, nisi adsint signa colliquationis, aut putredinis: de quibus *in Prognosticis* dixit: vbi & pinguium & fœtidorum ac malolentium meminit excrementorum.

XV.

ὍΚου φάρυγξ νοσέει, ἢ φύματα ἐν τῷ σώματι ἐκφύεται, τὰς ἐκκρίσιας σκέπτεσθαι. ἢν γὰρ χολώδεες ἔωσι, τὸ σῶμα ξυννοσέει. ἢν δὲ ὅμοιαι

ὅμοιαι τοῖσιν ὑγιαίνουσι γίγνωνται, ἀσφαλὲς τὸ σῶμα τρέφειν.

Vbi fauces ægrotant, aut tubercula naſcuntur in corpore, excretiones inſpicere oportet. Nam ſi biliosæ fuerint, corpus vnà ægrotat. Si verò ſimiles ſanis, tutum eſt corpus nutrire.

Duos inuicem ſermones ex aduerſo ponens, in vtroque id quod conſequitur prætermiſit. Quare ſi vtrique id quod deeſt adiungatur, erit vniuerſa oratio huiuſcemodi: Vbi fauces ægrotant, aut tubercula naſcuntur in corpore, inſpicere excretiones oportet. Si enim bilioſæ fuerint, corpus vnà ægrotat, neque tutum eſt ipſum nutrire. Si verò ſimiles ſanis, neque corpus vnà ægrotat, & tutum eſt ipſum nutrire. Quare verò mihi videatur Hipp. ipſe ſibiipſi perſuaſiſſe in hunc modum ſcribere, iam dicam. Animalium natura nonnũquam ex principalibus membris humores malos euacuans alios per vrinas, vel vomitus, vel aluum inferiorem excernit, quoſdam verò pellit ad cutim; ſed cùm non poteſt euacuare propter eorum craſſitudinem, ibi deponit: atque hoc modo tubercula naſcuntur in corpore: ſæpiùs verò & fauces ex capite fluentes humores ſuſcipientes infeſtantur. Tunc igitur conſiderandum eſt

ac diſtinguendum, nunquid natura totam deponat in patientibus partibus ſuperfluitatem, an adhuc etiam corpus vniuerſum vitioſis humoribus ſuperabundet, quod excrementa indicabũt. Nam ſi omnino natura mota eſt ad expurgandum corpus, bilioſa apparebunt excrementa, quoniam tubercula ſanguine calefacto à bilioſo humore fieri ſunt apta. Et ideo priùs ſunt purganda, quàm nutrienda huiuſcemodi corpora. Non pura enim corpora quantò magis nutries, magis lædes. Si verò excretiones ſunt ſimiles ſanis, totum corpus bonos habere humores indicatur: & ſine vllo periculo nutriri poteſt.

XVI.

Οὐκ οὖ λιμὸς, οὐ δεῖ πονέειν.

Vbi fames, laborandum non eſt.

Fameſcere illos dicimus, qui ob ciborum inopiam ad extremam eſuritionem perueniunt. Sic enim Hippocrates ipſe *ſecundo libro Epidemiorum* dixit: *In oppido Aeno his qui ob famem leguminibus veſcebantur, crura debilitata ſunt.* Quinetiam omnem vehementem ciborum defectum, etiamſi citra penuriam ex libera voluntate vel iuſſu fiat, famem conſueuit appellare: veluti cùm ait: *Carnes humidas habentibus famem adhibere conuenit: Fames enim exiccat corpora.* Et

Aph. 59. ſ. 7.

cùm

cùm in Prognoſticis inquit, *Interrogare oportet, nunquid vigilauerit homo, vel aluus fortiter exinanita fuerit, vel fames obtinuerit ipſum*: pro defectu ciborum famem accipit. Et hoc etiam in loco ſic dixit: *Vbi fames, non oportet laborare*, ac ſi ita dixiſſet: Qui eſuriunt, illo die nullum laborem iis iniungere oportet. Hìc autem per laborem oportet intelligere vehementem motum, quem exercitium nominauit. In hanc enim ſententiam ipſe dicebat: *Labores cibum antecedant.* Eſt igitur ipſis ſermo communis ad ægros & ſanos. Sanis enim non ſunt præcipienda exercitia ſimul cum inedia: neque etiam ægris aliquis vehementior motus adhibendus vnà cum cibi abſtinentia: neque ſanguinem mittere oportet, neque citare vomitum, neque purgare, neque multâ vti frictione, neque in vniuerſum aliquo forti motu, vel corporis alteratione. In talibus ſiquidem motibus omnibus, vbi cibus defuturus ſit, vires diſſoluuntur, ſiue ægrotent, ſiue etiam ſani ſint homines. Vbique verò Hippocrates magnum ſtudium habet ſeruare fortem eam, quæ regit animalia, potentiam. Siue autem numero ſingulari potentiam dixerimus, ſiue plurali potentias, nihil refert. Et hoc ipſum in *lib. de alimento* Hipp. dixit, *potentia vna & non vna*:

genere quidem ostendens vnam esse potentiam, species autem plures habere.

XVII.

Ὅκου ἂν τροφὴ παρὰ φύσιν πλείων ἐσέλθῃ, τοῦτο νοῦσον ποιέει. δηλοῖ δὲ καὶ ἡ ἴησις.

Vbi cibus præter naturam plus ingestus est, hic morbum facit: ostendit autem sanatio.

Aph. 4. s. 2. Quod in *alio aphorismo* vniuersaliter dixit, hoc nunc in vna specie docet. Vniuersalis enim est hic sermo: *Non satietas, non fames, neque aliud aliquid, bonum, quod modum naturæ excesserit*: verùm propositus nobis aphor. de vna re, scilicet satietate pronunciat. Plus enim cibi quàm corporis naturæ conueniat, satietas nominatur. Semper igitur id quod plus est, ad aliquid dicitur. Verùm in nostris corporibus duplex est, vnum quãtum ad vasorum capacitatem, alterum quantum ad illam quæ nos gubernat naturam, de quo nunc Hipp. docens dicit, cibum largiorẽ esse præter naturam: ne eos qui ita cibo sunt repleti, vt venter extendatur, omnino ex hoc arbitremur sensuros læsionem: neq; eos quibus aliquid deest ad conceptaculi mẽsuram, pauca assumpsisse, & omnino illa bene concocturos. Nam priores contingit quæ pleno ventriculo continentur concoquere, si natura fortis eorum extiterit: secundos verò non posse

poſſe concoquere propter imbecillitatem, tunc præſertim cùm priores aſſumpſerint cibos concoctu faciles, ſecundi verò concoctu difficiles. Sic & in diſtributione alimenti, potentia ſanguifica illi proportionalis quæ in ventre cibum concoquit, nonnunquã præ imbecillitate non alterabit ſuccum ad venas diſtributum, etiamſi modicus eſſe videatur. Aliquando verò hoc multo largiorem promptè in ſanguinem tranſmutabit: tum ob ſuum robur, tum ob ſucci naturam ad coctionẽ idoneam. Eodem modo & tertium alimẽtum (quod maximè propriè alimentum nominamus) dum partibus animalis adiicitur, pro naturæ potentia, largior vel parcior eſſe dicetur: & aut bene concoquetur, aut non: & iuxta hoc vel ab ipſis vincetur, aut ñon victum corrumpetur, & morbum generabit. Vna igitur expoſitio hæc eſt: illud quod plus eſt, quantum ad potentiam à qua animalia reguntur, nobis intelligentibus: altera quantum ad qualitatem præter naturam, vera & ipſa. Nutritur ſiquidem pars vnaquęque ex proprio ſibi alimento, quod rectè diceremus eſſe illi ſecundum naturam. Si igitur aliquando ad ipſam peruenerit aliquis humor, qui alteri quidem particulæ ſit ſecundum naturam, ipſi verò

alienus & præter naturam:malum quidẽ hoc existit : non tamen ex necessitate sequetur morbus,vbi exigua portio fuerit. Nam cùm neq; illa medicamenta quæ naturam habent corporibus nostris exitialem,sicuti mandragora,papauer, atq; cicuta, possint sine quantitate nocere:multo minùs huiuscemodi humor , qui præter id quod non est exitialis, etiã alias partes enutrire potest : alioqui neque alimentum vocaretur, nisi tali esset naturâ præditus. Sicuti igitur si parum aliquid aëris per gulam ad ventriculam deferretur, aut potæ humiditatis pauxillum ad pulmonẽ per asperam arteriam dilaberetur, neq; ventriculus quoad hoc ægrotaret, neq; pulmo: eodem modo se res habet etiam in aliarum partium alimento. Quin etiam alia est *tertia* expositio dicta à quibusdam,qui nos intelligere iubent *præter naturã*, pro valde & exuperanter,ac si ita diceretur:vbi cibus exuperanter intrauerit,hunc facere morbum: nam cibũ paululum mediocritatem excedentem nondum posse facere morbũ, sed adhuc seruare corpus intra latitudinem sanitatis,vera quidẽ & hæc est sententia.Oportet siquidem cibum qui morbum facturus sit, non pauco aliquo excedere exquisitam mediocritatem. Verùm non est mos ob hoc sermonẽ distinguere.

guere. Solent enim ipſum tantūmodo genus enunciare, vel humorum corruptionem, vel exuſtionē, vel frigefactionem, vel cruditatē, vel laſſitudinē, & quæcunq; alia huiuſcemodi morbū facere dicentes, quaſi nos in ſingulis horum dictorū, magnam quantitatem ſubintelligamus. Eodem igitur modo & cibū largiorem dicunt facere morbum, non adiiciētes multò: cùm nos non lateat, quòd ſi quintadecimâ vnius drachmæ parte mediocritatem exceſſerit, nondum poteſt morbum efficere: verùm ſi hic exceſſus multiplicetur, faciet & ipſe aliquando morbum: ex genere enim cauſarum eſt vna, quæ morbos cōmittendi vim habent. Secundū hæc igitur tertia expoſitio, etſi quàm maximè vera ſit, mihi tamen videtur eſſe curioſior, quàm deceat veterum cōſuetudinem, præter id quod violentiùs exponit vocis illius, ***præter naturam***, ſignificatum. Verba autem quæ in fine aphoriſmi ſcribuntur, vbi ait: *Oſtendit autem ſanatio*, meliùs ſcriberentur cum cōiunctione, & hoc modo: *Oſtendit autem & ſanati*. Neq; enim ſola ſanatio ostendit cibum, vbi plus modico ingeritur, facere morbum: ſed & rei natura indicat, atteſtante ſimul etiam ſanatione. In omnibus ſiquidem artibus, iis quæ ſunt rectè excogitata, accedit etiā ex euentu

testimonium. Quodnā igitur illud est in præsenti sermone? ea, quæ sequitur ad noxiorum humorū euacuationes, sanatio, quam etiam Herophilus in *tritemporea significatione* vocata cōprehendit. Si quis enim plus cōsueto assumpserit cibi, æquali autem prioribus, aut etiā minori vtatur exercitio, mox aggrauato corpore cum rubore atque tumore venarum incipiat febricitare, nō absq; ratione quispiā illum ex multitudine febricitare existimauerit. Si igitur euacuatus inde iuuatur, statim existimatio de multitudine confirmabitur, & crescet audacia in eisdem simili modo euacuādi, non expectatâ empiricorum obseruatione, quam ipsi aiunt eorum esse quæ sæpiùs in eisdem eodem modo contigerunt. Fortè igitur & in aphorismo adiecta erat coniunctio [&] deinde aliquis tanquam superfluam abstulit. Fortè autem & ipse Hipp. ab initio simpliciter scripsit absque coniunctione: *Ostendit autem sanatio*, ac si ita dixisset: Iis enim, quæ priùs dicta sunt, ita se habentibus vt dictum est, hoc est, plurimo cibo præter naturam cōprehenso in corpore, vbi adhibitâ euacuatione ægrotus leuabitur argumēto erit morbum aduenisse ex multitudine cibi. Quòd autem *euacuationem* simpliciter Hipp. dicere consueuerit, quando humores omnes

æqua

æqualiter euacuantur; *purgationem* autem, quando prauâ affecti qualitate, meminiſſe oportet:& quòd præſens ſanatio,non à purgatione ſit facta,ſed euacuatione, atteſtatur illi,quæ fuit de multitudine, exiſtimationi. Euacuatio autem omnium humorum æqualiter (quæ quidem exquiſitiſſima eſt) fit per venæ ſectionem:proxima autẽ huic eſt, quæ per malleolorum ſcarificationem, vt nos facere conſueuimus, & quæ per exercitia, & frictiones,& balnea,& prætereà ex accidenti quæ per inediam. Dixi autem ex accidenti, quoniam non per ſeipſam media euacuat, vt ſingula anteà dicta: verùm euacuatio fit modo naturali tranſpirationis:nullo verò accedente alimento in locum eius quod fuit euacuatum, tunc ſenſu manifeſtè deprehẽditur, quæ tamen anteà latuerat. Hæc igitur ſufficiant ad aphoriſmi expoſitionem. Qui verò vult ſermonem de multitudine diligentiùs perlegere, vnum habet volumen integrum à nobis conſcriptum, cui titulus eſt, *De multitudine.* Nunc verò hoc tantùm ſufficiet adiungere iis, quæ priùs à nobis ſunt enarrata: quòd incipere quidem poteſt ea,quæ ad vires refertur multitudo, abſque corruptione,verùm non poteſt bona permanere: nam omnino neceſſe eſt, vt ſecundùm qualita-

tem transmutetur, & processu temporis corrumpatur. Verùm & si istud fiat, interim multitudinem ipsam nominabimus, donec ex superflui euacuatione residuum bonum fieri possit. Quod enim in vinis accidit acescentibus, tale quiddam & in sanguinis alteratione contingit. Quod autem in vinis accidit, tale est: Vbi ex toto acida facta sunt, non redeunt rursum ad vini naturam: paruo autem in ipsis facto momento, ita vt acidum quidem habeant saporem, nondum tamen acetum sint, multa sæpiùs ex his pristinam naturam recuperarunt. Hoc idem in sanguine euenit: nam & ipse, vbi magna in eo sit facta corruptio, non redit ampliùs ad habitum naturalem: si verò pauca fiat, vbi id quod est superfluum fuerit euacuatum, quod residuum existit ad suam naturam restituitur. Et quidem consuetum est, huiuscemodi dispositionem, non corruptionem, sed multitudinem nominare: illa (vt dixi) sola vocata corruptione, quæ tam magnam habet eam, quæ contra naturam est, conuersionem, vt non possit iterum per naturæ coctionem ad primam humoris redire bonitatem.

XVIII.

Τῶν τρεφόντων ἀθρόως καὶ ταχέως, ταχεῖαι καὶ αἱ διαχωρήσιες γίνονται.

Eorum

Eorum quæ vniuersim, & velociter nutriunt, veloces quoque fiunt excretiones.

Velociter quidẽ nutrire, intelligenda sunt ab ipso dici, quæ pauco post assumptionem tempore statim nutriũt, suæ naturæ ratione. quam in iis exploramus qui integrâ sanitate fruuntur. Vniuersim autem, quæ postquam alere cœperunt, exiguo tempore totum præstant corpori alimentum. Talia igitur, quantum ad hoc solum attinet, quòd vniuersim nutriunt, etiam veloces habebunt excretiones. Si verò aliqua adsit acritudo excitans ad excretionem, aut lentor ob quem magis retineantur: illa quidem velociùs ad excretionem prorumpent, hæc verò tardiùs. Celerrimè igitur & maximè vniuersim vinum alit, tardissimè autem & paulatim caro bubula, & cochleæ, & verticilli marini, † squillæ, cammari, atq; locustæ. Et (vt summatim comprehendam (quæcunq; durâ carne constant; eandem cum his naturam habent, & casei duri, carnes salitæ, lentes, ac bulbi, necnon oua vsquequo indurescãt elixata. Hæc enim omnia multo post assumptionem tempore, atq; paulatim nutriunt. Indicium autem tibi sit cibum assumptum iam nutrire, in pulsibus quidem, fortitudo ac magnitudo: in motibus autem voluntariis robur nutritis adiectum.

† καὶ ἀκρίδες, καὶ κάραβοι, καὶ ἀστακοί, *locustæ, carabi, & cammari.*

Ipsum

Ipſum verò præcipuè oportet explorare in illis, qui euacuatione aliqua ſenſibili ſunt debilitati, vel propter laborem ſuperfluum, vel propter inediam. In hiſce igitur quæ anteà diximus omnibus, tardæ fiunt alui excretiones, longo poſt aſſumptionem tempore: in cõtrariis verò veloces. Maximè autem omnium ipſis contrarium eſt vinum, celerrimè (vt diximus) nutriens: poſt ipſum verò per ordinem alia, de quibus ſermonẽ faciam, primùm de vinis ipſis percurrens. Etenim aquoſa ex eis, exiguum præbent corpori alimentum. Sunt hæc colore quidẽ alba, tenuia verò ſubſtãtiâ. Craſſa autẽ & flaua, his multo magis corpus alunt: tantum verò vincuntur à nigrioribus alimenti quantitate, quantum ſuperant nutriendo celeriter & vniuerſim. Quæcunque verò vina alba quidem ſunt, ſed etiam craſſa, minùs quidem his alunt, plus autem tenuibus & albis: ſed neque velociter neque vniuerſim alunt. Quantum verò in hiſce differunt, tantum etiam in excretione. Aquoſa enim celeriter per vrinã excernuntur, quia celerrimè tota ferè anticipant reficere. Ex aliis verò omnibus quãtum aliquid ventrem ſubierit, manifeſtè proportionalem nutritionis tẽpori habet excretionem. Hoc idem in aliis omnibus accidit. Nam ſuccus

ptiſſanæ,

ptissanę, non multo post assumptionem tempore videtur nutrire, non tamen multũ præbere corpori alimentum, id verò breui tempore præbere vniuersim. Alica verò neque paucum, neque vniuersim affert alimentum, sed multo tempore multum affert alimentum. Oportet autem ea quæ inuicem comparantur, esse secundum substantiam similia, nec esse aliud quidem extremè humidum, aliud verò extremè siccum. In ptissana igitur & alica, & huiuscemodi omnibus quæcunque parantur ex miliis, vel fabis, vel aliis frugibus, eodem modo se habeãt quæ comparantur secundum substantiæ qualitatem. In carnibus autem propria quidẽ est vniuscuiusque consistentia: comparare verò ipsas oportet secundum modũ quo parantur: idq; vel vtrisque assis, vel eodem modo elixatis. Auferre autem oportet, dum parantur mordaces humores, quemadmodum in brassica ac in leguminibus, si certam velis habere experientiam eius, quæ in ipsis alit, substantiæ. Auferuntur autem humores dicti, si, dum elixãtur, ab vna aqua ad aliam transferãtur. Si igitur adhibitâ distinctione diligentem omnium feceris inquisitionem, inuenies omnia quæ in pauco tempore nutriunt (hoc est vniuersim, & pauco post assumptionem tempo

tempore: hoc enim est velociter) etiam velocem habere excretionem, quãdo hominibus eodem modo affectis exhibentur: (nam hoc quoque in talibus omnibus oportet præfinire) at quæ contrariam naturam habent, tardè excerni. Causam horum inuenies ex iis, quæ demonstrata sunt in *commentariis de potentiis naturalibus*. In his enim ostendebatur ventriculis ante omnia cibis frui, familiarem sibi succum ex illis attrahens, & suis apponens tunicis: mox vbi hic esset saturatus, tunc ipsos emittere ad excretionem. In hoc autem tẽpore & hepar ostendebatur ex cibis attrahere, vbi indigeret alimento: nam si non egeat, illo, quod priùs aderat, perfrui: eodem autem modo, trahere rursus ex hepate totum corpus, quo tempore scilicet indiget alimento. Vnde in quibus totum corpus est vacuum, quispiam maximè possit experiri, qui cibi sint vniuersim & velociter nutrientes: quibus etiam illud inest, quòd celeriter tendant ad excretionem, quantum ad id attinet. Verùm nonnullli dixère eam, quæ fit ex toto corpore, euacuationem, ab ipso excretionem nominari, vt idem sit quod nunc docetur, ei quod dixit in *libro de alimento*, vbi inquit *Cibus qui difficulter alteratur, difficulter absumitur: qui facilè apponitur,*

nitur, facilè absumitur. Quod dictum verissimum quidem est, non tamen propriè videtur intelligi appellatione *excretionis*. Nam magis propriè dicitur solùm de ea quæ fit per ventrem: possumus tamen etiam ipsam intelligere de ea, quæ fit ex toto corpore. Differt enim, excretionem, vel subductionem dicere. Subductio enim solùm de iis dicitur, quæ per aluum deiiciuntur: contingit autem excretionis vocabulum ambobus esse commune. Carnes itaque suillæ, & quæcunque lentos ac crassos succos habent, in tempore faciunt ex toto corpore transpirationem. Olera verò, & pisces saxatiles, & simpliciter quæcunque tenuem habent succum, qui distribuitur, celeritate quidem distributionis atque appositionis exuperant, stabilem verò naturam non habent, sed facilè difflantur.

XIX.

Τῶν ὀξέων νοσημάτων οὐ πάμπαν ἀσφαλέες αἱ προδιαγορεύσιες οὔτε τοῦ θανάτου, οὔτε τῆς ὑγιείης.

Acutorum morborum non omnino sunt certæ prænunciationes, aut salutis, aut mortis.

Acuti morbi, præter id quod celeriter iudicantur, statim etiam magnitudinem habent. Nam febres diariæ, quas Græci ephemeras

meras vocant, licèt citò finiantur, non tamen acuti morbi nominantur. Duplex autem est acutorum morborum natura. Vel enim in humoribus calidis solis, qui nullum obsedêre locum, sed æqualiter in omnibus animalis partibus apti sunt ex sua natura generari: vel loco aliquo patiente fiunt, vt in morbo laterali, pulmonis inflammatione, angina, & omnino in acutis morbis sunt febres continuæ. Rari enim sunt quibus febres non adsint, vt morbus attonitus, quem Græci apoplexiam vocant. Morbi verò longi, ob crassos, lentos ac frigidos fiunt humores, qui non facilè concoqui possunt, & in patientibus partibus impacti sunt atque fixi: ita vt eorum dispositiones magis scirrhis quàm inflammationibus assimilentur; pauci verò ex ipsis fiunt per consensum, & absque loco patiente: in quibus venæ omnes, æqualiter habent humores putrescentes, vel atræ bilis, vel pituitæ naturam præ se ferentes. In his quidem omnibus videtur Hippocrates fidere præcognitionibus, in acutis verò non omnibus: verùm aliquando etiam falli præcognitionem confiteri. Hoc enim sibi vult negatio, *non omnino*, hoc est, non in omnibus: quod genus sermonis vsurpare consueuerunt, quando pauca ex multis volunt excipere:

cipere: vt cùm dicunt: Non omnes homines sunt mali. Qui enim hoc dicit, ostendit paucissimos esse bonos. Ita igitur & nunc Hipp. ostendit, inquiens non omnino certas esse in morbis acutis prænũciationes: cùm aliquando, quamuis rarò, contingat Medicum optimum aberrare: hoc autem fit propter subitam in iudicatione permutationem, quæ naturam humorum sequitur morbificorum, & quia nonnunquam humor noxius ex vno loco transfertur ad alterum.

XX.

Ὁκόσοισι νέοισιν ἐοῦσιν, αἱ κοιλίαι ὑγραί εἰσι, τουτέοισιν ἀπογηράσκουσι ξηραίνονται. ὁκόσοισι δὲ νέοισιν, ἐοῦσιν, αἱ κοιλίαι ξηραί εἰσι, τουτέοισι πρεσβυτέροισι γινομένοισιν ὑγραίνονται.

Quibus iuuenibus aluus humecta est, iis senescentibus exiccatur: Quibus verò iuuenibus aluus sicca est iis senescentibus humectatur.

Quòd quidem hoc ex magna parte fiat, & non semper, ostendit ipse inter sequentes hunc scribens aphorismum: *Quorum aluus humida est, si iuuenes fuerint, ij in melius commutantur, quam illi quibus est sicca, si verò senes, in deterius: nam magnâ ex parte senescentibus exiccatur.* Oportet autem

 humidas

humidas & ſiccas aluos intelligere non ſimpliciter,ſed eâdem victûs ſeruatâ ratione. Si quis enim in iuuentute Alexandrinorum victu vteretur, ſalſis vtens cibis,& porris, zythúmque ſuperbibens, in ſenectute verò nihil eorum aſſumeret, lentem autem eſitaret, & vinum auſterum potaret, quo pacto diceremus huius hominis deiectiones ætatis ratione permutari? Sic & qui in iuuentute lentibus veſceretur & meſpilis, & vinum auſterum potaret, in ſenectute autem victu vteretur Alexandrinorum, atque ita cum victu excretiones mutaret, non rectè ex deiectionibus iudicium fecerimus. Sed cùm omnia alia,non ſolùm quæ ad cibos attinent,paria agentur, & deiectiones commutabuntur, tunc rectũ fiet iudicium de iis quæ ab Hipp. in hoc aphoriſmo dicuntur. Variantur autem deiectiones ætatum ratione ſecundum eas quæ in corpore mutantur, diſpoſitiones, ex quibus aluus ſiccior humidiórve fit. Quænam verò ſint hæ diſpoſitiones vnum eſt ex iis quæ quæruntur: atque adeò longum mihi futurum ſuper hoc ſermonem exiſtimo, ſi proprias ſtuduero adhibere ipſi demonſtrationes, ita vt vnus liber integer ſit futurus neceſſarius. Sed hoc aliàs fortè à nobis fiet: nunc breui ſummas rerum perſequar, ea ſimul

mul vſurpans, quæ in *commentariis de potentiis naturalibus*, & *de cauſis ſymptomatum* demonſtraui. Pluſquam modo conueniat, fit aluus humida, quando cibus in chylum conuerſus, hepati parciùs diſtribuitur. Siccior verò rurſus, omni humore in ipſa contento ad hepar relato. Cauſa verò ob quam parciùs diſtribuitur, aliquādo eſt, quia plus cibi aſſumimus, quàm hepar indigeat, quandoque verò, quia citiùs deiicitur. Nam cùm cibus modum excedit, eius excrementum derelinquitur, vbi hepar tantum ad ſe attraxerit, quāto indiguerit. Cùm verò properat ad exeūdum, non præuenit hepar tantum attrahere, quantum ipſi eſt neceſſarium. Citiùs autem feſtinat ad exitum id quod excernitur, nonnunquam ob multitudinem bilis ad aluum defluentis, quæ irritat ad excretionem: nonnunquam verò ipsâ alui potentiâ retentiua facta debiliore, expulſiuâ verò eius atque inteſtinorum forti exiſtente. Plura igitur appetimus, cùm os vētriculi (in hoc enim vis appetendi præcipuè conſiſtit) frigidiorem habet temperaturam. Sic verò & hepar minus attrahit propter frigiditatem. Vim autem retentiuam habet ventriculus imbecilliorem, propter humilitatem, ſicuti expulſiuam fortiorem, propter ſiccitatem. Senum

igitur corpus cùm frigidum efficiatur; tantùm augeri contingit in ore ventriculi frigiditatem, vt appetitus deficiat: atque ita excrementa exiccentur inopiâ cibi, quantum ad distributionem. Sic & quicunque ob multitudinē, vel naturam humoris biliosi aluum humectam habent, ad contrarium transmutantur, cùm hic humor in senectute imminuatur. Quibus verò ob virtutis retentiuæ debilitatem aluus humectatur, non omnibus transmutatio aduenit, sed pro quantitate caloris adiuncti. Si enim statim ab initio frigidiorem habuerit aluus temperaturam, mox ad immodicam veniens in senectute frigiditatis intemperiem, virtutem retentiuam æquè habebit imbecillem: quoniam omnis immodica intemperies vires exoluit. Quod si exquisitè calida fuerit in multam vique ætatem, fortem habēbit vim retentiuam: vt quæ neutram habeat exquisitè intemperiem, neque eam quæ est secundum siccitatem (siquidem erat omnino humidior natura: alioqui non habuisset debilem virtutem retentiuam) neque eam quæ secundum caliditatem: hoc enim supponebatur. Liquet igitur quod ferè omnibus qui aluos habent naturâ humidiores, fit ad cōtraria senescentibus transmutatio. Qui verò ficciores, iis

fient

fient in senectute humidiores propter contrarias † temperaturas. Vel enim quia minus assumitur cibi, quàm potentiæ hepatis congruat, vel propter suctum, vel quia parum bilis confluit ad aluum, vel propter potentiæ retentiuæ robur, excrementa exiccantur. Quòd autem minus appetant, & citiùs impleantur, fit propter partium appetentium caliditatem. Quòd verò cibus assumptus exugatur, contingit vel modicè se habente hepate secundum temperaturam, vel modico paulò calidiore. Quòd verò pauca bilis confluat ad aluum, hoc ex eo accidit, quia etiam pauca generatur ob visceris frigiditatem. Fortis autem iuuenibus inest retentiua potentia, quoniam ad sicciorem vergunt temperaturam. Non absque ratione igitur in omnibus, quos diximus, senibus, fit ad contraria transmutatio. Nam qui non appetunt ob caliditatem, in progressu ætatis plus etiam appetent quàm possit hepar euincere. Quibus verò ob innatam siccitatem virtus retentiua fortior extiterat, iis senescentibus fiet imbecillior ob siccitatis excessum: & eâ ratione excrementa humectabuntur, ob ciborum properam deiectionem. Quibus verò propter bilis defectum tardante excretione, ob deiectionis moram plurimum

† Aliàs αἰτίας, id est, causas.

humilitatis exugitur; fieri poteſt vt eadem diſpoſitio perſeueret. Poſſunt etiam propter immodicam hepatis frigiditatem, diſtributione factâ iuſto imbecilliore, fieri excrementa humidiora. Hæc in præſenti dicta ſufficiant de cauſa earum quæ fiunt in ætatibus permutationum, quantum ad alui attinet humiditatem ac ſiccitatem: quæ propter breuitatem ſunt futura obſcura iis qui in nuper dictis commentationibus non ſunt exercitati. Sed pòſt aliquando vno volumine integro, de eiſdem clariorem doctrinam faciemus. Quantum autem ad vſum artis attinet, hoc ſolùm ſciſſe ſufficiat, quod eſt ab Hippocrate dictum, etiamſi cauſa non adiiciatur.

XXI.

Λιμὸν θώρηξις λύει.
Famem vini potio ſoluit.

Vini potionem *thorexin* nominare conſueuit. In *libro* enim *de natura hominis*, & *de victus ratione*, in hunc modum ſcripſit: *Liquet igitur, quòd victus cuiuſque noſtrûm, non eſt cauſa, quòd omnes ſubinde morbo corripiantur, iuniores ſcilicet ac ſeniores, viri ſimul ac mulieres, ſimiliter & thoriſſomeni, & aquæ potatores.* Cùm ergo aquæ potatores thoriſſomenis ex aduerſo opponat, hinc

hinc ostenditur, ipsum per *thorissomenos* vinum potãtes intelligere. Quare & thorexis, vini potus ab ipso dicitur: quem dicit famem soluere, non (per Iouem) quamcunque inediam, famem nominans, (sicuti nonnulli arbitrantur) ac ne eam quidem quæ cum appetitu fit, sed eam quam habent qui eo morbo laborant, qui vehemens & insedabilis ciborum appetentia dicitur: quam quidam Medicorum appetentiam caninam nominant. Talem enim famem, vini potio sanat, non eam quæ vel ex longa inedia, vel alui profluuio, aut fluxu sanguinis, aut aliqua alia facta est euacuatione. Nam qui ex tali aliqua esuriunt causa, non modò nullam ex vini potu capiunt vtilitatem, sed etiam plurimùm offenduntur: quoniam conuulsionibus atque deliriis confestim corripiuntur, si antequam cibos assumpserint, vinum potauerint. Qui verò famem quam diximus patiuntur, iis vini potus, non cibi multitudo, remedium est. Equidem multos ipse sanaui, qui indesinenter famescebant, vinum ipsis abundanter exhibens, ex eorum genere quæ multum calefaciunt. Neque enim acerba vina talem famem sanant, siquidem neque calefaciunt: sed quæ colorem flauum habent, vel rubeum absque astrictione, maximo sunt

 illis

illis remedio,qui canino,quem vocant,laborant appetitu.Oportet siquidē cùm ad prandium accedunt,primùm illis offerre pinguia edulia,atq;(vt ita dixerim)oleagina, & quæcunque alia ex multo parantur oleo: sed inprimis nihil austerum aut acerbum offeratur:posteà vnum aliquod ex vinis quæ diximus, etiamsi nondum sitiant, ad potandum dare.Statim enim sedatur ipsis fames: & talem longo tempore victum exhibendo, cessat omnino, & hoc mihi magis videtur in præsenti aphorismo Hippocr. docere. Cùm enim canini appetitus vel propter solam intemperaturam frigidiorem, vel propter humores acidos fieri consueuerint, quos exorbuit os ventriculi, (hæc verò ambo sanare potest vinum quod diximus) non sine ratione cessare facit caninos appetitus. Qui verò putant vehementem esuritionē,quam Græci bulimon vocant, fuisse nunc famem ab Hippoc.nominatam,non satis rectè mihi videntur sermonem accipere. Primùm quidem quia ipsum pro generali atque vniuersali faciunt specialem, ac particularem: deinde etiam mentiuntur:nam passio, bulimos nominata, est labefactatio facultatis à frigore externo,quæ à fame quidem inchoauit, sed non habet eam ampliùs adiunctam.

Ἀπὸ

XXII.

ἈΠὸ πλησμονῆς ὁκόσα ἂν νοσήματα γίνηται, κένωσις ἰῆται. καὶ ὁκόσα ἀπὸ κενώσιος πλησμονὴ, καὶ τῶν ἄλλων, ἡ ὑπεναντίωσις

Quicunque morbi ex repletione fiunt, curat euacuatio: & quicunque ex euacuatione, repletio, & aliorum contrarietas.

† Non, si quid factum est ex repletione, neque ipsa non ampliùs existente, si quid remanserit, curat euacuatio: sed quæcunque eo ipso quo fiunt tempore, curare aggredimur, euacuatione indigent. Quod quidem plenitudo morbum efficiat, antea dictum est: quòd autem euacuatio sit eius curatio, non opus est dicere, sicuti neque de omnibus aliis causis quæ morbos committunt, quod per contraria curentur. Neque enim aliud quicquam quimus excogitare præter contrarium causarum morbos facientiũ, sicuti in morbis ipsis iam factis rursus considerabimus: quemadmodum & in symptomatis quæ eos ex necessitate consequuntur. Sed nunc de iis qui adhuc fiunt morbis, sermo habetur. Liquet igitur, quòd vnà cum causis ipsos facientibus necessariò destruuntur. Causarum verò facientium abolitio fit ex contrariis. Si enim ex refrigeratione morbus fiat, curatio est per calefactionem

† *In antiq. exēp. ita legitur initium huius commētarij* οὐδὲ ὃ ἔτι γινόμενον, *id est, neque quod nondum à repletione fit, &c.*

ſi verò ex calefactione per refrigerationem. Sic etiam ſi propter repletioně morbus conſtituatur, tunc oportet repletionem euacuare: ſicuti & ſi propter euacuationem, reficere protinus conuenit. Atqui nonnullis videtur, nunquam fieri ab euacuatione morbum: exiſtimant autem (vt apparet) huiuſcemodi homines, ſolam febrem eſſe morbum : quòd ſi didiciſſent, quamlibet lædentem operationes diſpoſitionem, morbum eſſe, & quòd à vehementibus intemperaturis operationes lędūtur, haudquaquam dubitarent, an fortes euacuationes morbos efficiāt. Sanguis enim cùm ſupra modum aut ex vtero muliebri, aut ex venis, quæ hæmorrhoides appellantur, aut ex vlcere fluxerit, tunc vel omnes, vel plurimas operationes, ij qui ita affecti ſunt, offenſas habent. Nōnulli verò ipſorum non modò hæc patiuntur, verumetiam aquâ inter cutem corripiuntur. Longæ autem inediæ iis, qui calorem habent ad igneam naturam propenſiorem, præter alia mala, inſuper afferunt febrem. Quantum igitur veritas ipſa atque vtilitas exigebat, dictum à nobis eſt: ſed & his addamus aliquid propter deliros, quales ſunt quidam Medici recentiores, qui de nominibus altercantur, & putant ſe de rebus ipſis habere ſermonem. Hi autem ſunt

qui

qui aiunt causarum efficientium morbos abolitionem non esse curationem, sed præseruationem. Qui primùm quidem docendi sunt, quòd de nomine litigant, deinde quòd neque de hoc ipso rectè. Vbi enim causa non adest quæ morbum efficiat, hic sola curatio factorum relinquitur. Vbi verò ea quæ inest corpori causa, nondum aliquid facit, veluti quæ plethora, id est, plenitudo vocatur, ad præseruatiuam artis attinet partem huiuscemodi causarum demolitio. Cùm vero iam aliquid agit, mistum iam est quodammodo huiuscemodi opus, ex præseruatione ac curatione. Nam quod facturæ erant causæ illæ, prohibitum est fieri: & hoc ad artem attinet præseruatiuam: quantum verò morbi iam factum est, propriam exigit curationem. Quapropter cùm mista sint talia ex præseruatione ac curatione, proprio caremus nomine, atque idcirco aliàs aliâ vtimur appellatione, nōnunquam præseruari dicentes, ne morbus, qui iam incipit generari, ad complementum perducatur, nonnunquam verò curari: quemadmodum in iis quos canis rabidus momorderit. Quæ enim ipsis adhibentur medicinæ, duplicem habent appellationem. Nam & nonnunquam rabiei remedia dicuntur, ac si rabiem facientis dispositionis dicerentur.

Galen. 4. meth. cap. 3. & 11. meth. cap. 2.

rentur. Nonnunquam verò non remedia appellantur, ſed rabiei futuræ præſeruantia.

XXIII.

ΤᾺ ὀξέα τῶν νοσημάτων κρίνεται ἐν τεσσαρεσκαίδεκα ἡμέρῃσι.

Acuti morbi in quatuordecim diebus iudicantur.

Acuti morbi magnî ſunt, & ad ſuum vigorem celerrimè properant. Non abſque ratione igitur in pauco tempore magnas etiam faciunt permutationes: quod idem eſt quod iudicari. Huiuſcemodi enim permutationes quando vniuerſim in morbo fiunt, Hippocrates criſes vocat, id eſt iudicationes: in quibus nonnunquam ſubitò integra ſanitas reſtituitur, aut moritur æger: nonnunquam verò magna fit, vel ad ſalutem, vel ad mortem permutatio, non tamen aut ſubitò ſanantur, aut moriuntur: ita vt quatuor ſint in ipſis celeres permutationes, quas ipſe docuit *in primo libro Epidemiorum*, inquiens: *Ad ſalutem, aut mortem, vel inclinatio ad melius, aut ad peius.* Quod verò ſit neceſſarium, ob morborum magnitudinem, ac ſymptomatum vehementiam, vel citò vires proſterni, adeò vt homo moriatur: vel ſi ad noxiorum humorum excretionem impetum faciant, & quos inuaſerunt, exuperent, bonam

bonam sequi iudicationem: si verò exuperentur, malam: vnicuiq; fit manifestum. Propterea igitur est impossibile, vt in longum tempus iudicatio differatur in morbis acutis. Terminum igitur in hisce omnibus Hippocrates posuit duarum septimanarum; tanquam nullus eorum vlterius progrediatur, verùm ante quartumdecimum diem multi possint iudicari. Etenim vndecimus, nonus, septimus, & quintus, multos videntur iudicasse in *libris Epidemiorum*. Iudicat autem & sextus nonnullos, sed non bene, sicuti in *libris de iudicatoriis diebus* pleniùs ostendimus: in quibus † si quis debeat exercitari, illum volumus ea consectari quæ Hippocrates breui sermone perstrinxit. Quæcunque verò iudicationes sunt veluti imperfectæ, iis finem imponit aliquis alius dierum consequentium: qui qualesnam sint, in *libris Prognosticis* Hippocrates docuit, & de ipsis aliquid in *sequenti* docebit *aphorismo*. Est autem & harum imperfectarum iudicationum terminus quidam vlterior, post quem non ampliùs fieri progressus solet, dies quadragesimus. Quicunque igitur morbi intra diem quartumdecimum integrè iudicantur, hos solet Hippocrates acutos simpliciter nominare. Quicunque verò

† Duo in Græc. cod. videntur verba transponẽda, vt rectum Gal. sensum habeamus, vt sic legamus ἐν οἷς ἀξιοῦμεν γυμνάζεσθαι τὸν μέλλοντα, in quibus esse exercitatum dignum cẽsemus eum, qui velit consequi quæ &c.

verò † imperfectè iudicati, aliquo sequẽtium dierum iudicatoriorum vsque ad quadragesimum cum natura conflixerunt: hos non solet simpliciter acutos nominare, sed appellatione compositâ per hæc verba simul, ***acuti qui in quadraginta diebus iudicantur.*** Verùm manifestiùs illi declarant, qui eosdem morbos, acutos ex decidentia vocant. De his igitur *in Prognostico* scribit in hunc modum: ***Oportet autem existimare spirandi facilitatem valde magnam habere vim ad salutem in omnibus acutis morbis, quicunque febres habent † adiũctas, & in quadraginta diebus iudicantur.*** Nunc verò in *aphorismis* de acutis simpliciter præcipiens, ait eos intra quartum decimum diẽ iudicari: non (per Iouem) hoc dicens (quod nõnulli existimarũt) quòd quatuordecim sint numero dies, qui in his morbis faciant iudicationẽ. Nam secundum hanc expositionem, etiam illos dies, qui iudicant morbos acutos ex decidentia nominatos, dicemus esse numero quadraginta: cum idem loquendi sit modus in vtrisque, hîc quidem cùm ait morbos acutos in quatuordecim diebus iudicari: in *Prognosticis* autem, ***quicunque cum febribus sunt***, & ***in quadraginta diebus iudicantur.*** Verùm hi cùm non inueniant quî possint ostendere vtrosque sermones,

† ἀμειβόντως.

† ἐκ μεταπτώσεως, *ex trãsitione, trãsmutatione.*

mones, & hunc qui in aphorismis scribitur, & alterum qui in Prognostico, sibi inuicẽ esse concordes, hanc absurdam excogitarunt expositionem. Neque enim quatuordecim sunt vsque ad quadragesimum dies iudicatorij, sed cum intercidentibus quidem plures, absque illis verò pauciores, quemadmodum clarè in nostra ostenditur *de diebus iudicatoriis* tractatione. Sed & ipsa rerum natura suffragatur ei rationi quâ dicitur, acutos morbos habere terminum iudicationis quartumdecimum diem. Nullus enim inuentus est vnquam, qui ab initio velociter moueretur, hunc transgredi terminum, quin vnam aliquam ex dictis quatuor acciperet mutationem; adeò vt nonnulli debiles ac parui circa primos dies existentes, quarto aut quinto die continui, vehementes, & acuti fieri incipientes, ad decimumseptimum terminarunt. Alij verò sexto aut septimo die exacui incipientes, ad vigesimum terminarunt: adeo quòd morbi continui acerbitas nunquam potest plures quàm continentes quatuordecim obtinere dies. Ex iis verò qui motus habent inæquales, multi extenduntur vsque ad aliquem vlteriorem præfinitorum dierum. Dico autem inæquales habere motus, eos qui aliquot diebus fuère vehementiores,

riores, postea sine aliqua significatione torpuerunt, deinde rursus adaucti continuationem acceperunt. Si quis igitur, vt dixi, faciat in ægrotantibus obseruationem: omnes inueniet, qui per duas septimanas velociter mouentur, nunquam ad vlteriorem progredi terminum.

XXIV.

Τῶν ἑπτὰ ἡ τετάρτη ἐπίδηλος, ἑτέρης ἑβδομάδος ἡ ὀγδόη ἀρχή. θεωρητὴ δὲ ἡ ἑνδεκάτη, αὕτη γὰρ ἐστὶ τετάρτη τῆς ὑτέρης ἑβδομάδος. θεωρητὴ δὲ πάλιν ἡ ἑπτακαιδεκάτη. αὕτη γὰρ ἐστὶ τετάρτη μὲν ἀπὸ τῆς τεσσαρεσκαιδεκάτης, ἑβδόμη δὲ, ἀπὸ τῆς ἑνδεκάτης.

Septenorum quartus est index. Alterius septimanæ octauus principium. Est autem & vndecimus considerandus: ipse enim quartus est secundæ septimanæ. Rursus verò & decimus septimus considerandus, ipse siquidem quartus est à quartodecimo, septimus verò ab vndecimo.

Indices & contemplabiles † solet Hippocrates nominare dies, in quibus aliquod signum apparet futuræ iudicationis indicatiuum, in altero aliquo † iudicantium dierum, quos ipse *in Prognosticis*, vnamquamque septimanam in duas diuidens partes, per

† θεωρητὰς, considerandos, *Gal.* *Za.*
† *Aliàs* μελλόντων, *futurorũ.*

quater

quaternarios digessit. Primum itaque quaternarium, septimi diei ab initio indicem esse ait: vndecimum autem quartidecimi, quoniam & ipse secundâ septimanâ in duas partes diuisa, prouenit. Eadem ratione & decimusseptimus vigesimi est index: quoniam ex diuisione tertiæ septimanæ in duas partes efficitur: Verumtamen hanc tertiam septimanam secundæ coniungit, quamuis primam à secunda separauerit:nam eius initium diem octauum esse dixit, non tamen tertiæ quintumdecimum, quemadmodum nonnulli post ipsum existimarunt:quoniam neque vigesimumprimum pro termino statuit:sed principium quidem tertiæ septimanæ quartumdecimum, finem autem & terminum vigesimum. Cur verò duas primas septimanas secundum disiunctionem inuicem ordinauerit, tertiam verò secundæ secundum continuitatem, in *libro de diebus iudicatoriis* docuimus. Quantum verò ad præsentia, sufficiat etiam sine causa nouisse, quod experientia comprobat. Et ipse verò Hippocrates plurimos ægros tali ordine dierum iudicatoriorum, *in libris Epidemiorum* scripsit fuisse iudicatos. Dixi autem secundum talem ordinem, in quo primæ tres septimanæ ad vigesimum, sequentes

verò tres ad quadragesimum perducantur. Sic enim & sexagesimum & octuagesimum diem iudicatorios habebimus, hoc pariter ipsos experientiâ confirmante, quemadmodum in *libris de diebus iudicatoriis* ostendimus, illos qui in *libris Epidemiorum* notantur iudicati, secundum talem dierum ordinem adscribentes. Illos quidem ægros longum esset hoc in loco sermone complecti, sufficiet autem sola ex *Prognosticis* verba in hunc modum se habentia subscribere: *Febres iudicantur in eisdem numero diebus, ex quibus etiam homines liberantur & pereunt. Nam mitissimæ febres, & quæ tutissimis signis incedunt, quarto die finiuntur, vel prius: pessimæ autem, & grauissima signa præ se ferentes, quarto die interimunt aut priùs. Primus igitur earum insultus ita terminatur. Secundus verò ad septimum perducitur. Tertius ad undecimum: Quartus ad quartumdecimum. Quintus ad decimum septimum. Sextus ad vigesimum. Hi igitur per quatuor ex acutis ad vigesimum adiectionem finiuntur.* Hæc verba ostendunt manifestè, quòd tertiam septimanam per continuitatem secundæ annumerat, & quòd decimamseptimam iudicem facit vigesimæ.

XXV.

Οἱ θερινοὶ τεταρταῖοι, τὰ πολλὰ γίνονται βραχέες. οἱ δὲ φθινοπωρινοὶ μακροί, καὶ μάλιστα οἱ πρὸς τὸν χειμῶνα συνάπτοντες.

Æstiuæ quartanæ magna ex parte breues, autumnales longæ, & maximè quæ hyemem attingunt.

Non solùm quartanæ breues æstate fiunt, sed & ægritudines aliæ, propterea quòd humores excrementosi funduntur, & per totum corpus feruntur atque difflantur. In quibus igitur vires validæ sunt noxiis, humoribus euacuatis, morbi cessant. In quibus verò sunt imbecilles, dum noxij succi euacuantur, vnà etiam ipsæ dissoluuntur. Quare non absque ratione nulli morbi æstate sunt longi: Hippocrates verò de solo omnium longissimo fecit mentionem, veluti per exemplum de omnibus aliis ex isto præcipiens. Sicuti verò æstate & discuti humores, & vires dissolui contingit: ita hyeme contraria eueniunt, vt & humores intus remanentes, veluti latibulis incubantes, & vires seruentur robustæ. Neque igitur morbi soluuntur, manentibus iis, qui eos efficiunt humoribus, neque ægroti moriuntur, viribus interim sufficientibus.

XXVI.

ΠΥρετὸν ἐπὶ σπασμῷ βέλτιον γενέσθαι, ἢ σπασμὸν ἐπὶ πυρετῷ.

Febrem conuulsioni superuenire melius est, quàm febri conuulsionem.

Ipse Hippocrates, in sequentibus dicet, conuulsionem fieri ex repletione,& euacuatione. Cùm igitur aliquem sanum contigerit repentè conuelli;huiuscemodi conuulsionem fieri ex repletione est necessarium.Etenim nerui replentur frigidis, & glutinosis humoribus, ex quibus etiam nutriuntur:vnde conuulsionem patiuntur. Hisce igitur febris superueniens,solita est magna ex parte calefacere, extenuare atque digerere. Si verò ex febribus ardentibus totum corpus exiccetur, & neruis deinde ex siccitate conuulsio accidat, hoc maximum est malum & penè insanabile: quoniam longum tempus exigitur ad siccitatem neruorum remouendam, morbi autem acerbitas tempus non expectat: quin citò vires dissoluit,& subitò exitium affert.

XXVII.

ΤΟῖσι μὴ κατὰ λόγον κουφίζουσιν, οὐ δεῖ πιστεύειν, οὐδὲ φοβεῖσθαι λίην τὰ μοχθηρὰ γινόμενα παραλόγως. τὰ γὰρ πολλὰ τῶν τοιουτέων ἐστὶν ἀβέβαια,

ἀβέβαια, καὶ οὐ πάνυ τι διαμένειν οὐδὲ χρονίζειν εἰώθειν.

Hiis, qui ob iustam causam non leuiùs se habent, non oportet fidere, neque multum formidare mala quæ præter rationem eueniunt. Talium enim multa stabilia non sunt, neque multum durare & permanere consueuêre.

Sermo quidem integer de talibus omnibus in *libris de Crisibus* habitus est, nunc verò quantum ad propositorum expositionem sufficit, à nobis dicetur. Cùm morbus inuadit vehemens, deinde subitò quiescit: neque per sudorem, nec vomitum, neque alui excretionem, aut profluuium sanguinis corpore euacuato, ac nec apparente quidem vllo signo coctionis, signum infidum existimat talem morbi remissionem esse: sicuti etiam si quis præter rationem spiret difficulter, † vel deliret, vel vehementiùs febricitet, vel magno rigore corripiatur. Nam hæc quoque firmitatem non habent: tantúmque abest vt malum aliquod significent, vt nonnunquam bonum iudicium haud ita multo pòst futurum enuncient. Quomodo autem hæc oporteat discernere & præcognoscere, in *libris de Crisibus* diximus.

† ***Additur in Græco,*** ἢ παραφρονήσειν, ***id est, vel deliret.***

XXVIII.

Τῶν πυρεσσόντων μὴ παντάπασιν ἐπιπολαίως, τὸ διαμένειν καὶ μηδὲν ἐνδιδόναι τὸ σῶμα, ἢ καὶ συντήκεσθαι μᾶλλον τοῦ κατὰ λόγον, μοχθηρόν. τὸ μὲν γὰρ μῆκος νούσου σημαίνει, τὸ δὲ ἀσθένειαν.

Febricitantium non omnino leuiter permanere corpus, & nihil minui, vel etiam plusquàm ratio postulat contabescere, malum illud enim morbi longitudinem, hoc verò imbecillitatem significat.

Hæc verba, *Non omnino leuiter*, distinctionis gratiâ apposuit Hippocrates. Si enim simpliciter dixisset, *Febricitantium permanere corpus, & nihil minui, malum*: sermo careret veritate. Contingit enim, cùm in tempestate frigida quispiam ex plenitudine laborat, nõ collabi corpus, neque extenuari, cùm febres paruæ sunt: sed cùm maiores sunt, permultam quandam adesse repletionem significatur. Contabescere autem plusquam ratio expostulat, malum: etiam si non adiiciatur, *Non omnino leuiter*. Siue enim leuiter febricitanti, siue non, signum imbecillitatis est ea quæ fit præter rationem extenuatio. Neque enim putandum est verbo *contabescere*, in proprio significato nunc fuisse vsum, sed magis abusum. Rectè autem

dixit

dixit in secunda parte aphorismi, *Magis quàm ratio expostulat*: & melius est hæc quoque verba priori parti aphorismi adaptare, ita vt totus sermo talis sit: Febricitantium non omnino leuiter permanere corpus, vel etiam contabescere magis quàm ratio expostulat, malum: vt communiter de vtroque prædicetur, *Magis quàm postulat ratio*. Siue enim permaneant magis quàm ratio expostulat, siue extenuentur, malum. Melius autem fuisset, si hoc quod ait, *Magis quàm ratio postulat*, quibus finibus iudicetur, aperuisset. Sed quia hic doctrinæ modus est aphoristicus summám sequens breuitatem, nos exponentes verbum, *secundùm rationem*, ad febris magnitudinem referemus, & ad tempus ægritudinis, ætatem, & regionem, & tempus anni: & illam quæ tunc viget temporis constitutionem, & præterea ad sensibiles euacuationes, vigilias, curas, inedias, motus plures. Nam maiores febres magis & citiùs corpora extenuant ægrotantium, sicuti & diuturnitas morbi, & ex ætatibus puerilis atque decrepita: sed vtraque diuersa ratione: in pueris enim propter caliditatem atque humiditatem multum diffluunt atque vacuantur corpora: in decrepita verò ætate hoc idem patiuntur propter virium imbe-

cillitatē. Ex regionibus autem,& anni temporibus ac constitutionibus, calidæ quidem ac siccæ magis euacuant, humidæ verò ac frigidæ magis adstringunt, ac difflari corpora atque euacuari non sinunt. De sensibilibus autem euacuationibus quid dicere oportet? Neminem enim ignorare arbitror, quòd ex profluuio sanguinis multo, atque sudoribus plurimis, & vrinæ multitudine, vel vomitu, vel alui excretione, citò corpus extenuetur. Accedit autem & dictis causis inedia:& præterea vigiliæ,& curę multùm extenuant, sicuti & motus nimij: sed hi rarò febricitantibus adsunt, nam magna ex parte decumbunt quiescentes. Verumtamen aliquando contingit moueri aliquos, qui in itinere cœperint febricitare, vel vrgente necessitate, vel studio domum reuisendi. Quin etiam ex delirio quidam ægroti iugiter exurgentes & decumbentes, aut continuò partem aliquam corporis commouentes, aut etiam delira loquentes, intra paucos dies extenuantur. Hæc quidem omnia ægrotos reddunt macilentos, sicuti & contraria his corpus in maiori mole conseruant. Signum autem nullum ex his est virium imbecillium, sed singula sunt tantummodo causæ. Nam sicuti ab iis corpus non sine causa extenuatur, sic & vires

de

destruuntur. Absque his autem corpus præter rationem extenuari, signum esse virium imbecilitatis Hippocrates inquit: quam & in decrepitis pro causa assignantes, celerrime ipsorum corpus extenuari dicebamus. Neque mirum videri debet, in iis qui ita se habent, imbecillitatem quidem causam esse extenuationis, extenuationem verò esse signum virium imbecillitatis. Hoc enim contingit in omnibus agentibus & patientibus. Hæc quidem est sententia Hippocratis, semper existimantis, eam quæ est citra rationem extenuationem, signum esse imbecillitatis. Nos verò adiiciamus eius sermoni & aliam dispositionem, quæ causa est in febribus extenuationis. Est autem hæc, humorum quidem tenuitas, corporis verò raritas. Cùm enim hæc ambo conuenerint, celerrimè corpora euacuantur, per eam quæ difflatio insensibilis nominatur: sicuti & in dispositione contraria, crassitudine humorum, & corporis spissitudine, nulla fit humorum euacuatio, sed permanere corpus, & nihil tunc deteri de ipsius mole contingit. Hanc autem dispositionem ostendit Hippocrates in prima parte aphorismi, per ea verba, *Longitudinem morbi significat*. Alteram verò ipsi oppositam prætermisit: sed nos hanc quoque

adiicientes, iam totum ſermonem integrum proferamus, quàm fieri poteſt breuiſſimè. Febricitantium non omnino leuiter, permanere corpus, & nihil imminui, vel pluſquam ratio poſtulat contabeſcere, malum. Nam permanere, ex cutis ſpiſſitudine accidit & craſſitudine humorum: & propterea longitudo morbi ſignificatur. Contabeſcere autem nonnunquam contingit ob humorum tenuitatem, & cutis raritatem: nonnunquam verò & ob ſolam virium imbecillitatem.

XXIX.

Ἀρχομένων τῶν νούσων, ἤν τι δοκέῃ κινεῖν, κίνει· ἀκμαζουσῶν δὲ, ἡσυχίην ἔχειν βέλτιόν ἐστιν.

Cùm morbi inchoant, ſi quid mouendum videtur, moue: cùm verò conſiſtunt ac vigent, melius eſt quietem habere.

Cur Hippocrates hoc conſulat, ſequenti indicat aphoriſmo: quem ſi præſenti annexueris, totum ſermonem talem efficies. Cùm morbi inchoant, ſi quid mouendum videtur, moue: cùm verò conſiſtunt ac vigent, quietem habere melius eſt. Circa principia enim ac fines, omnia debiliora: morbo autẽ conſiſtente, fortiora. Oportet autem his adiicere, omnia ſymptomata: Nam de his verbum *omnia* protulit. Diſpoſitio ſiquidem

ex

ex qua hæc generātur, quam & morbum nominamus, non omnino dum morbus consistit est fortior: verùm in iis qui saluari debent melior multò, quàm in morbi principio: in quibus enim Hippocrates nunc consulit habere quietem, & in morborum initiis, si quid videtur, mouendum mouere. Nam in morbis exitialibus, non modò quando sunt suo vigori vicini, nihil mouere oportet, sed etiam in præcedentibus vigorem temporibus: recordantibus nobis, quòd deploratos non oportet attingere, sed magis abscedere, euentu morbi prænũciato. Circa initia verò illorum morborum, in quibus speratur ægrotus conualiturus, tentanda maiora sunt remedia: de quibus Hippocrates dixit: *Si quid videtur mouendum, moue.* Sunt autem hæc præcipuè quidem venæ sectio, nonnunquam verò & purgatio: quorum neutrum oportet morbo iam consistente adhibere. Vt enim in *libro de Crisibus* manifestauimus, coctiones morborum tunc maximè fiunt. Vt igitur hæ citiùs eueniant, melius est circa principia euacuare, quò minorem iam factam materiam faciliùs natura possit concoquere. Morbo autem consisteute, cùm iam natura † concoquit, superuacuum est vacuare, tum propter alia, tum quia vis animalis magnâ ex

† *Alibi legitur,* πέπεικεν*, id est, concoxit.*

ex parte eo tempore est defatigata, licèt duæ aliæ, vitalis scilicet ac naturalis, maximè fortes persistant.

XXX.

ΠΕρὶ τὰς ἀρχὰς καὶ τὰ τέλη πάντα ἀσθενέστερα. περὶ δὲ τὰς ἀκμὰς, ἰσχυρότερα.

Circa initia & fines, omnia imbecilliora: circa statum verò fortiora.

Symptomata omnia circa principia & fines ait esse imbecilliora, accessiones videlicet febrium & vigilias, atque dolores, & fastidium cibi & sitim: sicuti ipsas dispositiones in quibus hæc fiunt, vbi morbi consistunt, necesse est esse meliores, in iis qui debent sanitati restitui.

XXXI.

Τῷ ἐξ ἀῤῥωστίης εὐσιτέοντι, μηδὲν ἐπιδιδόναι τὸ σῶμα, μοχθηρόν.

Eius qui à morbo cupidè comedit, nihil proficere corpus, malum.

Oportebat & hunc aphorismum, & qui illum sequitur, adiunctum esse illis qui suprà scripti sunt, vbi dicebat: *Si quis à morbo cibum assumens non corroboratur.* In illo igitur aphorismo, pro verbo nunc dicto, cupidè comedit, inquiens cibum assumere, de symptomate aliquid docuit, scilicet non corroborari. Hic verò, cibum assumere commune

vtrisque

vtrisque seruauit: symptoma autem mutauit, quiddam illi scribens proportionale. Nam nihil corroborari, & nihil proficere corpus, similia quodammodo sunt. Illud enim potentiæ nostrum regentis corpus, hoc verò ipsius corporis affectio est. Fit verò hoc, vt scilicet corpus non bene alatur atque proficiat, nonnunquam ex potentiæ, quâ ipsum nutritur, imbecillitate, nonnunquam autem ex malorum humorum superabundantia.

XXXII.

ΩΣ τὰ πολλὰ πάντες οἱ φαύλως ἔχοντες, κατ' ἀρχὰς μὲν εὐσιτέοντες, καὶ μηδὲν ἐπιδιδόντες, πρὸς τῷ τέλει πάλιν ἀσιτέουσιν. οἱ δὲ κατ' ἀρχὰς μὲν ἀσιτέοντες ἰσχυρῶς, ὕστερον δὲ εὐσιτέοντες, βέλτιον ἀπαλλάσσουσι.

Omnes ferè qui malè se habent, circa initia cupidè comedentes, nec quicquam proficientes, ad postremum rursus cibum non appetunt: qui verò circa initia cibum valdè fastidiunt, posteà bene appetentes, ij in melius vadunt.

Hic etiam aphorismus de iis esse dictus videtur, qui ex morbo conualescunt. Non proficere enim, de his dicere consueuerunt

tum

tum alij, tum Hipp. ipſe. Si quis igitur bene ab initio comedens non renutriatur, qua de cauſa hoc illi accidit, ex eadem rurſus cibum faſtidiet. Cauſa verò ob quam bene ab initio appetentes nihil proficiant, eſt totius corporis vitium, cum partium appetentium firmitate. Verùm proceſſu temporis ob cibi multitudinem aucto in toto corpore vitio, ipſum etiam appetendi inſtrumentum malè ſe habebit: quare inappetentes fient qui priùs bene appetebant, quos rectè cupidè comedentes nominauit. Dixerat autem hoc ipſum in præcedentibus aphoriſmis, hoc modo: *Si verò cibum non aſſumenti hoc eueniat, ſcire oportet, quòd euacuatione indiget.* Porrò eos qui ab initio malè appetunt, adeò vt parum omnino aſſumant cibi, poſtea verò ad contrarium tranſeunt, in melius permutari inquit. Hoc verò euenit, naturâ, eo tempore quo parum cibi aſſumebant, ipſam, quæ cauſa erat inappetentiæ, diſpoſitionem concoquente.

XXXIII.

ἘΝ πάσῃ νόσῳ τὸ ἐῤῥῶσθαι τὴν διάνοιαν, καὶ εὖ ἔχειν πρὸς τὰς προσφορὰς, ἀγαθόν. τὸ δὲ ἐναντίον, κακόν.

In quouis morbo mente conſtare, & bene ſe habere

habere ad illa quæ offeruntur, bonum: contrà vero se habere, malum.

Neque cùm aliquid bonum dixerit eorum quæ ad corpus attinent, omnino existimandum est ob id hominem reualiturum: neque cùm malũ dixerit, omnino moriturũ. Nam fieri potest vt bonum signum à maiori malo superetur, & malum à maiori bono vincatur. Talia itaque pronuntiata intelligenda sunt de eo solo quod dicitur. Dicitur autem quòd signum est bonum, quantum in se est: & signum malum, quantum in se est. De morte autem & vita, oportet omnium signorum vires priùs bene perpendentes, ita pronunciare, quemadmodum & ipse *in Prognosticis* consulit: sic igitur & nunc, *Constare mente, & appetitum permanere*, bona signa sunt in quouis morbo. Quædã enim non in omni bona sunt, vt ipse consueuit nobis significare, inquiens: *Spirandi autem facilitatem putare oportet valdè magnam habere vim ad salutem in omnibus morbis acutis.* Quòd autem constare mente, bonum sit signum hinc cognosces: Quæ ad cerebrum attinent, atque membranas, & spinalem medullam, necnon & septum transuersum, & omnino partes neruosas, quæ præsertim sunt iuxta cerebrum, sana esse omnia significantur ex mentis

mentis constantia : sicut & quæ ad ventrem attinent, & hepar, & cor ipsum, vbi adest promptitudo ad illa quæ offeruntur alimenta. Cùm verò hæc omnia robusta sunt, non parua spes de ægroti salute haberi potest.

XXXIV.

Ἐν τῇσι νούσοισιν ἧσσον κινδυνεύουσιν οἷσιν ἂν οἰκείη τῆς φύσιος, καὶ τῆς ἡλικίης, καὶ τῆς ἕξιος, καὶ τῆς ὥρης ἡ νοῦσος ᾖ μᾶλλον, ἢ οἷσιν ἂν μὴ οἰκείη κατά γε τουτέων.

In morbis minus periclitantur, quorum naturæ, aut ætati, aut consuetudini, aut anni tempori magis congruit morbus, quàm vbi nulli istorum congruit.

Cùm natura multis dicatur modis, intelligenda est apud ipsum iuxta illud significatum, quo in multis aliis locis vsus est, & in toto *libro de natura hominis*, in quo eam quæ oritur ex primis elementis temperaturam, naturam nominat: ac si ita diceret : In morbis minùs periclitantur, quorum primæ corporis temperaturæ, vel ei quæ vel ratione præsentis ætatis, aut consuetudinis, aut temporis superuenit, magis congruit morbus, quàm quibus nulli istorum congruit. Calidæ enim naturæ, & ætati, & consuetudini, & tempori, & anni constitutioni, ac regioni morbi

morbi calidiores ſunt congruentes,frigidioribus verò frigidiores: eadem ratione & ſiccioribus ſicciores,& humidioribus humidiores. Contrarium autem à Diocle dictum eſt in *libro de ſeptimanis*, cuius autores opinantur incitari quidem à ſimilibus morbos, ſolui verò à contrariis: quoniam & ab ipſo Hippocrate ſcriptum eſt, contrariis morbis contraria eſſe remedia.Putant igitur febrem ardentem genitam hyberno tempore, faciliùs poſſe ſanari eâ quæ fit in æſtate: non animaduertentes quòd ob maximam cauſam febris ardens hyeme fiat:neque enim ab initio aliter genita eſſet, niſi cauſa potentior temporis contrarietatem ſuperaſſet. Cùm igitur anni tempus cohibere non potuerit cauſæ magnitudinem, cùm tamen haberet ſanitatem ſibi ſuffragantem: multo minus morbo iam facto ſuperauerit, non aſſiſtente ſanitatis robore.Sed & hoc eſt ipsâ experiētiâ compertum. Nam duarum febrium ardentium magnitudine parium, illa quæ aduenit hyeme, eſt pernicioſior. Nam dum in calidiori temporis conſtitutione ortum habuerit,& ſubita ad frigidiorem mutatio facta fuerit,non parum iuuatur hæc febris ardens ab ambientis aëris frigiditate: cùm ipſi duplex inſit commoditas,prior quidē temporis

constitutio, in qua morbus genitus est, tanquam signum: altera verò in qua solutus est, tanquam causa. Hæc igitur omnia magis comprobant, nec repugnāt sententiæ aphorismi: sicuti neque illud, quòd raucedines & grauedines in valde senibus non cōcoquuntur: licèt hi morbi senili ætati maximè congruant. Primùm etenim non idem est, non concoqui, & periculosum esse: deinde, non simpliciter senes dicit, sed cum adiectione, valde. Omnia enim in his sunt periculosa, ob virium imbecillitatem. Sed neque illud quod scribitur *in primo Epidemiorum, Et maximè moriebantur, quibus natura vergebat ad phthisim*: iis quæ dicta sunt, aduersatur. Neque enim eam quæ oritur ex elementis, ibi dixit temperaturam, sed corporis formam: est enim vbi & hæc *Natura* vocatur. Et sicuti verum est, calidam temperaturam minùs in morbis calidis periclitari: ita qui angustum pectus habent, non solùm magis incidere in phthisim, sed etiam vbi incidêre periclitari. Nonnulli autē qui aphorismos exposuerunt, talibus decepti suasionibus, illum congruere naturæ ægrotantis morbum dixerunt, qui sit temperaturá contrarius, quasi consentaneum dicas: permultum (vt ostēdimus) & à veritate ipsa, & ab Hippocratis sententia deerrantes.

E,

XXXV.

Ἐν πάσῃσι τῇσι νούσοισι, τὸ περὶ τὸν ὀμφαλὸν καὶ τὸ ἦτρον πάχος ἔχειν βέλτιόν ἐστι. τὸ δὲ σφόδρα λεπτὸν καὶ ἐκτετηκὸς, μοχθηρόν. ἐπισφαλὲς δὲ τὸ τοιοῦτον καὶ πρὸς τὰς κάτω καθάρσιας.

In quouis morbo, partes ad vmbilicum & imum ventrem attinentes crassitudinem habere, melius est: multùm verò extenuari ac contabescere, prauum. Sed & hoc quoque ad inferiores purgationes periculosum.

Partes omnes quæ ad epigastrium, id est, regionem ventris, attinent, omni vacare dispositione, quæ sit præter naturam, oportere, est manifestum. Et hoc *in Prognostico* dictum fuit, vbi his vtitur verbis: *Hypochondria optimum est absque dolore esse, & mollia, & æqualia.* Sed & ex his ipsis quædam sunt tenuiora, quædam crassiora, de quibus nunc sermonem habet: quæcunque quidem crassiora sunt, hæc meliora esse inquiens: quæcunque verò tenuia, mala: & tanquam signa videlicet, & tanquam causas. Signa enim sunt partium, quæ contabuerunt, imbecillitatis. Causæ verò, quòd ciborum concoctio bona non fiat in ventre, neque sanguificatio in hepate. Etenim membrum vtrumque

à crassitudine dictorum corporum concalefactum iuuatur. Tantum igitur, vbi contabuére, offenduntur eorum operationes, quantum integris ipsis iuuabantur. Quòd autem earum quas diximus partium tenuitas etiam ad inferiores purgationes sit periculosa, manifestum est. Oportet enim omnes, quæ infra sunt thoracē, partes robustas esse, vt bene purgationibus seruiant, alioqui magna incommoda patiuntur. Cur autem de solis inferioribus purgationibus fecerit mentionē, dignum est quærere. Superiores enim, hoc est, quæ per vomitum, sunt iis qui ita affecti sunt, periculosæ. An has quidē tanquam manifestas prætermisit, illarum verò commeminit, vt de quibus magis posset dubitari? ἦτρον autem propriè nominat & appellat partem ventris imam, quæ vmbilicum ac pudenda interiacet: ita vt in hæc tria totum epigastrium, id est, ventris regio diuidatur, in hypochondrium, regionem vmbilici, & partes ad pubem attingentes.

XXXVI.

OI ὑγιεινῶς ἔχοντες τὰ σώματα, ἐν τῇσι φαρμακείῃσι καθαιρόμενοι ἐκλύονται ταχέως, καὶ οἱ πονηρῇ τροφῇ χρεόμενοι.

Qui sanitate corporis fruuntur, medicamenta

menta purgantia assumentes, statim debilitantur : & qui prauo vtuntur cibo.

Qui sano sunt corpore, non sine causa citò labefactātur per medicamenta purgantia. Nam colliquefiunt, non purgantur. Qui verò vitioso vtuntur alimento, ob malorum humorum superabundantiam, facilè exoluuntur in purgationibus. Siue autem illud quod exteriùs assumitur, siue quod in corpore continetur, vitiosum alimentum nominet, vterque sermo veritatem habet : quoniam cibi vitiosi solent sanguinem gignere vitiosum. Sic ergo vitiosi dicuntur, per relationem ad sanguinem, qui debet ex eis generari.

XXXVII.

OI' εὖ τὰ σώματα ἔχοντες, φαρμακεύεσθαι ἐργώδεες.

Qui corpore valent, difficulter ferunt medicationes.

Non cuiuscunq; medicamenti assumptionem solet Hippocrates medicationē nominare, sed tali vocabulo in sola vtitur purgatione. Sed superior quidem aphorismus vnum, ex iis quæ ex ipsa progignuntur, symptoma indicat : citò enim inquit exolui in purgationibus eos, qui corporis habent sanitatem. In hoc autem generaliori dictione, de

iiſdem pronuntiat : inquiens hos difficulter ferre medicationem. Nam & vertigines & tormina patiuntur, & difficulter his purgatio procedit, & prætereà celeriter exoluuntur. Fiunt autem hæc omnia, purgante medicamento proprium quidem attrahere humorem appetente, vel flauam bilem videlicet, aut atram, aut pituitam, aut aquoſam ſuperfluitatem : quia verò ille non adeſt, ſanguinem colliquat ac carnes, vt ex ipſis proprium attrahat humorem.

XXXVIII.

ΤΟ' σμικρῷ χεῖρον καὶ πόμα καὶ σιτίον, ἥδιον δὲ, τῶν βελτιόνων μὲν, ἀηδεστέρων δὲ, μᾶλλον αἱρετέον.

Parum deterior potus aut cibus, ſuauior autem, melioribus quidem, ſed minùs ſuauibus. eſt præferendus.

Non ob id ſolùm hoc eſt faciendum, vt ægro gratificemur, ſed etiam quia vtilius ipſi exiſtit. Nam quæcunque cum voluptate aſſumuntur, iſta ventriculus amplexatur, & faciliùs concoquit : ſicuti illa quæ diſplicent, refugit. Vnde & nauſeæ, & flatus, & fluctuationes ſubſequuntur. Quod quidem cum in plurimis & bono ſucco præditis eueniat, aliquando cibus alioqui paulò deterior, etiam in iis qui cupidè aſſumunt, non ſolùm

lùm non eſt deterior,ſed etiam melior interdum euadit.

XXXIX.

Οἱ πρεσβύται τῶν νέων τὰ μὲν πολλὰ νοσέουσιν ἧσσον. ὅσα δ' αὖ αὐτέοισι χρόνια νοσήματα γίνηται, τὰ πολλὰ ξυναποθνήσκει.

Senes iuuenibus plurimùm quidem ægrotant minus: diuturnis verò morbis correpti, ferè commoriuntur.

Non omnes ſenes minùs ægrotant quàm iuuenes,neque enim omnes maiorem habent circa victum continentiam; qui verò non habent, magis ægrotant, vt qui iuuenibus ſint debiliores.Quod verò permulti ex morbis diuturnis commoriantur, clarum eſt, ſiquidem & facultas eſt imbecillis,ita vt morbos concoquere non poſſit, & omnes morbi diuturni frigidi ſunt: vnde & magis ſenibus quàm iuuenibus accidunt. Omnes ſiquidem congruentibus naturæ ſuæ morbis faciliùs corripiuntur.

XL.

Βράγχοι καὶ κόρυζαι τοῖσι σφόδρα πρεσβύτῃσιν, οὐ πεπαίνονται.

Raucedines & grauedines in valdè ſenibus coctionem non admittunt.

Si simul iunxerimus ambos aphorismos, vtriusque sermo talis erit: Senes iuuenibus vtplurimùm ægrotant minus; diuturnis verò morbis correpti ferè commoriũtur: Raucedines igitur atque grauedines in valde senibus coctionem non admittunt. Ita vt hic aphorismus sit veluti exemplum quoddam antecedentis. Neque enim hi soli morbi senes comitantur ad mortem, sed etiam nephritis, id est, passio renum, podagra, morbus articularis, coxendicum dolores, & quæ laxiori intestino ac spleni frigidę insunt dispositiones, & prætereà crebri anhelitus, (quos Græci ἄσθματα nominant) tusses, gibbi, vertebrarum luxationes, obliquationes, & quæcunque alia morborum genera ex frigidis humoribus ortum habent: quæ in quibusdam iuuenibus, nedum in senibus, difficulter coquuntur.

XLI.

OI' ἐκλυόμενοι πολλάκις καὶ ἰσχυρῶς ἄνευ φανερῆς προφάσιος, ἐξαπίνης τελευτῶσι.

Qui frequenter ac fortiter absque causa manifesta deficiunt animo, derepentè moriuntur.

Non omnes qui deficiunt animo, derepentè moriuntur, nisi tres distinctiones adieceris; vnam quidem primam, vt *sæpius* hoc

patian

patiantur; secundum, vt *fortiter*; tertiam vt *sine causa manifesta*. Nam mulier quædam per longum in balneo tempus commorata, frequenter animo deficiebat ob temporis diuturnitatem, & quoniam in balneo magna ex parte signa succedebantur vitiata: verùm non erat hoc † morbi signum, cùm causam haberet manifestam. Altera verò quam vteri affectus infestabant, hoc idem patiebatur. Quidam verò alter post longum ieiunium in balneo deficiebat animo. Alteri autem, si vel per horam lauabatur, idem accidebat, nisi priùs aliquid panis assumpsisset. Quibus omnibus aut debile erat, aut sensúm plurimum habebat ventriculi os. Quicunque verò ex nulla tali causa sæpius ac fortiter delinquuntur animo, ij ob virtutis † vitalis imbecillitatem hoc patiuntur: sicuti & ille, cui dum exolueretur, cor fortiter palpitabat, derepentè mortuus est: non aliter quàm illi qui acutissimis cordis affectibus, quos syncopas vocant, arrepti, subitò intereunt.

† *Fortè legendū.* θανάτου, *mortis.*

† ψυχικῆς, *animalis.*

XLII.

Λύειν ἀποπληξίην ἰσχυρὴν μὲν, ἀδύνατον, ἀσθενέα δὲ οὐ ῥηΐδιον.

Soluere apoplexiam fortem, impossibile: debilem verò, non facile.

In apoplexiis totum corpus derepentè sensu priuatur ac motu, sola restat respiratio: quæ si & ipsa prohibeatur, maxima est & acutissima hæc apoplexia. Quicunque verò respirant quidem, sed magna cum vi, fortis adest istis apoplexia. Fortis autem adest & illis, sed minùs, qui neque intentum neque violentum, inæqualem tamen atque inordinatum, ac præterea intermittentem habent anhelitum: sicuti in quibus aliquem seruat ordinem, debilior existit: & si omnia fiant quæ sunt necessaria, citò curatur. Omnes autem apoplexiæ fiunt vi animali non potente defluere ad partes infra caput existentes, idque aut propter aliquam dispositionem similem inflammationi quæ in ipso cerebro sit constituta, aut ventriculis ipsius oppletis humore pituitoso. Verùm causæ magnitudinem etiam morbi magnitudo consequitur. Magna autem ex parte curationem non admittit, propter respirationis læsionẽ. Ac mirari licet, quomodo omnibus aliis musculis motu carentibus in apoplexiiis, illi qui thoracem attollunt, quamuis difficulter, moueantur tamen plerumque. Videtur autem hoc fieri propter respirationis necessitatem, quæ neruorum vim excitat ad operationem. Et ob hanc ipsam causam magna ex parte musculi

musculi omnes in apoplexiis operantur, thoracem mouentes, etsi rarò prius omnes operarentur: quemadmodum & in vehementibus exercitiis, vbi anhelitus plurimus est necessarius. Verùm in apoplexiis non ob id, quòd sit adaucta necessitas respirationis, sed quia vis est imbecillis, ideò omnes musculi thoracis simul coguntur operari. Quemadmodum & in iis alioqui, qui cum febre vires habent imbecilles, ob hanc ipsam causam omnes mouere coguntur seipsos, in vnam ex omnibus operationis summam sufficientem seipsos colligentes.

XLIII.

Τῶν ἀπαγχομένων καὶ καταλυομένων, μηδέπω δὲ τεθνηκότων, οὐκ ἀναφέρουσιν, οἷσιν ἂν ἀφρὸς ᾖ περὶ τὸ στόμα.

Qui suffocantur & à vita deficiunt, nondum tamen mortui sunt, non referuntur in vitam, quibus spuma circa hos apparet.

Omnis spumæ generatio ex duarum substantiarum mistione conficitur, altera spirituosa, altera humida. Fit autem earum mistio, ambabus in multa perfractis, & in multis mutuo complexu paruis ampullis ab ipsis effectis. Cùm verò tenacem habet is, qui perfringitur humor, consistentiam (quo spiritum

tum circumplectente, ampullas cõtingit generari) nõ facilè dissolubilis, sed stabilis spuma perficitur, qualis maximè currentibus equis, vel irâ percitis apris, circa os aggregatur. Ambarum verò substãtiarum cõfractum, ac mistionem facit nonnunquam quidem motus violentus vel vtriusque, vel alterius tantùm, nonnunquam verò & fortis calor: nisi & hunc dixerit quispiam spumam per motum operari. Verùm homini ea quæ manifesta videntur consectanti: tutius est duplicem dicere spumæ generationem: vẽtis quidem vehementibus mare occupantibus, propter ictum fortiorem: in lebetibus autẽ ferventibus, caloris ratione. Sic itaque & in corporibus animalium, cùm adsunt ex morbo comitiali conuulsiones, vehemẽtia motuum solet spumam generare: in apris verò calor; in cursibus autem equorum vtraque causa vigorem habet. Nam dum continuò per respirationes aër intrò & extrà fertur, saliua per ipsas extenuatur, & aliquid etiam ex pulmone instar vaporis effertur, quod saliuæ miscetur, ac circumplicatur spumæ quæ generatur, substantiam ipsius vnà adaugens. Qui verò opinantur hanc spumam ex ventre prodire, errant. Neque enim fieri potest, vt affatim & cumulatè inde proueniat, cùm neque

neque eo tempore animal euomat, neque nauſeam vllam patiatur; citra quæ ſymptomata nihil è ventre poteſt efferri, tantum abeſt, vt vapor quiſpiam expirationi ſimilis attolli inde poſſit, cùm nulla huiuſmodi ſubſtantia è ventre efferatur, qualem pulmo expirat. Quinetiam ſanguis, qui quidem è pulmone educitur ſpumoſus, eſt ſimilis viſceri: qui verò ex ventre, ne tali quidem vicinus eſt. Sed quæ vnà cum ſanguine è pulmone educitur ſpuma, affatim & cum tuſſi educitur. Qui verò ex tali humore paulatim vapor expiratur, non excitat tuſſim. Vbi autem laqueus collo circumdatur, neceſſe eſt quidem cordi atque pulmoni vt fuliginoſam expiret ſuperfluitatem. Hoc enim à nobis oſtenſum eſt in *libro de vſu reſpirationis*. Prohibente autem laqueo, totam violenter impellit, quo fit vt pars propriæ humiditatis vnà expellatur, eo modo quo fit in ſanguinis eductionibus. Signum itaq; eſt hoc exitiale, quoniã pulmonis violentiam ſignificat, quam patitur dum animal ſuffocatur. Præcipuè verò hoc fieri rationabile exiſtit, propter eam quæ ex corde ad ipſum impellitur caliditatem: vnde & caloris efferueſcentiâ, & motu ſpiritus violento, & vehementi pulmonis conatu

natu ad educendum ſpuma enata, ſignum eſt mortale. Nonnulli tamen quamuis rarò, dum ſtrangularentur relati ſunt in vitam, quibus ſpuma circa os apparuerat: & fortè Hippocrates non tanquam ſemper intereant, ſed quòd contrarium rariſſimè eueniat, ita pronunciauit: quemadmodum & paulò antea oſtendit per alterum aphoriſmum, ita inquiens: *Quibus iuuenibus aluus humida, iis ſeneſcentibus exiccatur.* Nam ibi hanc diſtinctionem *magna ex parte* prætermiſit, quam in ſequentibus adiecit, vbi inquit: *Quicunque aluum humidam habent iuuenes dum ſunt, in melius procedunt quàm qui ſiccam habent; qui verò in ſenectute, in deterius pergunt: nam magna ex parte ſeneſcentibus exiccatur.*

XLIV.

Οἱ παχέες σφόδρα κατὰ φύσιν, ταχυθανατώτεροι γίγνονται μᾶλλον τῶν ἰσχνῶν.

Qui naturâ admodum craſſi ſunt citiùs intereunt, quàm qui graciles.

Eos qui à prima ætate craſſi ſunt, & graciles inuicem comparans, de craſſis pronunciat, quòd citò ad mortem perueniant, magis quā graciles. Optimū enim eſt bene carnoſum eſſe natum, hoc eſt, ita cōmoderatum, vt neque craſſitudo adſit, neque gracilitas. Tales

Tales enim possunt ad longam senectam perduci. Si verò à modo recedatur, melius est vt ad gracilitatem: nam malus est ad crassitudinem excessus. Angustæ enim sunt horum arteriæ ac venæ, atque ob id paucum omnino sanguinem habent spiritúmve: adeò vt cùm ætate processerint, citò ipsis vel paruam ob causam calor natiuus destruatur. Graciles autem hac quidem ratione non periclitantur: quia verò partes principales ita affectæ sunt, vt nullum habeant munimen, à causis exterioribus promptè offenduntur. Qui verò naturâ quidem mediocres erant, verùm victu delicatiore vtentes, postmodum crassi facti sunt, iis licèt caro atque pinguedo adnatæ sint, venæ tamen atque arteriæ latæ consistunt: atque idcirco in eis calor natiuus † minùs obnoxius est extinctioni.

† *Copiosior est*

XLV.

Τῶν ἐπιληπτικῶν τοῖσιν νέοισιν ἀπαλλαγὴν αἱ μεταβολαὶ μάλιστα τῆς ἡλικίης, καὶ τῶν ὡρέων, καὶ τῶν τόπων, καὶ τῶν βίων ποιέουσι.

Quicunque iuuenes morbo comitiali laborant, mutatione maximè ætatis, & temporum & locorum, & victuum quoque liberantur.

Morbus comitialis proximus quodammodo est morbo quem apoplexiã appellant,

cùm

cùm idem locus in vtroque patiatur,& idem humor in cauſa ſit. Verùm apoplexia ob omnimodam carentiam illius potentiæ,quæ ad neruos defluit; morbus autem comitialis propter motum vitioſum , generatur. Frigidus autem & craſſus eſt humor ambobus: atque idcirco adoleſcẽtium ætas calidam & ſiccam habens temperaturam,maximum affert auxilium iis qui morbo comitiali laborant:ſic & locorum proportionales mutationes,(dico autem proportionales, quando ad calidiorem ac ſicciorem cõmutantur) eodem modo & victuum. Neque enim horum mutatio quælibet morbum ſoluit, comitialem, ſed quæ calidiorem & ſicciorem corporis habitum efficit.Poteſt autem,etiam ſimpliciter,victûs mutatio intelligi morbo comitiali prodeſſe, quoniam magna ex parte victus deprauatus morbum generat. Itaque etiam mutatio victûs omnino ad melius perducit.

XLVI.

Δύο πόνων ἅμα γινομένων, μὴ κατὰ τὸν αὐτὸν τόπον, ὁ σφοδρότερος ἀμαυρεῖ τὸν ἕτερον.

Duobus doloribus ſimul non eundem locum infeſtantibus, vehementior alterum obſcurat.

Si

Si quis anguſtiùs eundem locum intelligat, nunquam duo poſſunt in eodem fieri dolores: ſi quis verò latè, poſſibile eſt. Dico autem latè, circa membrum maius, veluti circa brachium, vel cubitum, aut femur, aut tibiam. Verùm hi duo dolores ſimul augent loci afflictionem, ac neuter latet ægrotantem. Si verò ſint in locis diuerſis, alter quidem (ſi ita contigerit) in cubito, alter verò in tibia: tunc alterum ab altero obſcurari contingit, cùm vis ſenſibilis tota ad vehementiorem abducatur ac diſtrahatur. Nam & hoc nobis in mœroribus ſolet accidere, qui ſunt & ipſi veluti dolores quidam ſolius animi ſine corpore. Nam & horum qui ſunt vehementiores, occultant minores, ſiquidem non eadem ex re ortum habeant; alioqui & illi ſeipſos coaugent.

XLVII.

Περὶ τὰς γενέσιας τοῦ πύου, οἱ πόνοι καὶ οἱ πυρετοὶ συμβαίνουσι μᾶλλον ἢ γενομένου.

Dum pus conficitur, dolores ac febres accidunt magis, quàm iam confecto.

Pus ex ſanguine ortum habet, qui ſemimalam (vt quiſpiam dixerit) habet tranſmutationem. Nam mala ſimpliciter, cum putrefactione fit olida: ſicuti quæ ſimpliciter

 bona,

bona, est ipsa nutritio partium animalis: at quæ pus generat, medium inter has obtinet locum, neque à solo calore extra naturam, neque à solo calore secundum naturam procedens. Mistus enim quodammodo ex vtrisque est calor inflammationis. Fit autem dolor extenta simul ac calefacta præter naturam, inflammata particula: febres verò sequuntur † principio concalefacto: & hæc ambo contingunt ex quadam veluti ebullitione atque exustione sanguinis; qui vbi ex toto exustus fuerit, residuum eius fit pus, quemadmodum ex lignorum exustione cinis: atque ideò tempore illo dolores sedantur ac febres, præsertim cùm pus fuerit excretum: vtpote iam consumpta quidem materia, extincta autem ignea caliditate.

† *Aliàs* καρδίᾳ, *corde.*

XLVIII.

EN πάσῃ κινήσει τοῦ σώματος, ὁκόταν ἄρχηται πονέειν, τὸ διαναπαύειν εὐθὺς ἄκοπον.

In omni corporis motu, vbi laborare ceperit, quies statim lassitudinem aufert.

Verbum, laborare, significat etiam dolere; significat & fatigari: & in vtroque significato sermo verus est. Siue enim membra iam doleant ex multitudine motionum, siue sint fatiga

fatigata, vt vix iam agere aliquid possint, quies statim lassitudinem aufert.

XLIX.

OI εἰθισμένοι τοὺς συνήθεας πόνους φέρειν, κἂν ὦσιν ἀσθενέες ἢ γέροντες, τῶν ἀσυνήθων ἰσχυρῶν τε καὶ νέων ῥᾷον φέρουσι.

Consueti solitos labores ferre, etsi sint imbecilles aut senes, non consuetis, fortibus, atque iuuenibus faciliùs ferunt.

Alius alij labor consuetus est: illi quidem cursus, vel alius aliquis motus per crura factus, huic verò manus certâ mouere lege, siue quouis alio modo operari manibus, aliis fodere terram, vel remigare, vel arare, vel simpliciter quoduis aliud agere. Differunt autem omnes isti labores, quia vel plures, vel pauciores partes operantur, & quia vel magis, vel minùs laboratur: hoc tamen omnibus commune existit, quòd partes exercitæ fiunt robustiores, atque idcirco labores consuetos faciliùs ferunt.

L.

TÀ ἐκ πολλοῦ χρόνου συνήθεα, κἂν ᾖ χείρω, τῶν ἀσυνήθων ἧσσον ἐνοχλεῖν εἴωθε. δεῖ οὖν καὶ ἐς τὰ ἀσυνήθεα μεταβάλλειν.

Quæ ex longo tempore consueta sunt, etsi

 deterio

deteriora sint, insueta minùs molestare solent. Oportet igitur etiam ad insueta transire.

Non de solis exercitationibus hic sermo est, sicuti superior, verùm de omnibus simpliciter consuetis hic aphorismus pronunciat, cibis, potibus, balneis, illuuie, vigiliis, somno, calefactione, frigefactione cutis. Horum etenim singula minùs nocent, cùm fuerint consueta, iis quæ naturâ quidem minùs noxia sunt, sed nunquam in consuetudinem peruenerunt. Quod cùm ita se habeat, in exercitationibus quidem, ad partium quæ operantur robur refertur, vt anteà diximus: in reliquis verò quomodo fiat iam dicemus. Cibi ac potûs naturam aduentitiam efficiunt, maximè quidem in ventriculo, cùm hoc verò & in aliis partibus. Nam etsi maximè vincantur & transmutentur à corpore, ipsum tamen quodammodo pro sui natura disponunt, ita vt processu temporis multa fiat permutatio ac similitudo nutritorum ad nutrientia. Hoc enim ostensum est à nobis in *libro de consuetudinibus*: ostensum est etiam, quòd vnumquodque faciliùs à similibus alteratur. Ob hanc igitur causam quanto similius est, id quod transmutat, ei quod transmutatur, tantò citiùs alterat ipsum. Et quidem

quidem ab aliis omnibus quibus corpus adhæret,quodammodo afficitur: veluti in aëre frigido ac calido, vbi denſatur quidem à frigido, laxatur verò à calido, atque ideò conſueta faciliùs perfert,ab inſuetis verò moleſtatur.Si enim laxato corpori ob caloris adhæſum repentè frigus ſuperuenerit, in imas eius ſtatim partes ſubintrat, & maximè offendit. Cauſa itaque de omnibus conſuetis dicta eſt in *libro de conſuetudinibus*. Quod verò experientiâ notum eſt, id iam noſcimus: quod ſolùm ab Hippocrate ſcriptum eſt, qui cauſam adſcribendam non cenſuit. Nos verò ad eiuſdem inuentionem aliquas dedimus occaſiones. Hæc igitur dicta ſufficiant quantum ad primam aphoriſmi attinet partem. Quod verò in fine ſcribitur, in quo conſulit tranſire quodammodo ad non conſueta, ad vitandum valetudinis periculum,dictum eſt. Eſt enim vniformis quæque conſuetudo periculoſa,cùm omnes homines inopinatis rerum ſortibus ſubiiciantur. Ne igitur aliquando de repentè incidentes in nobis inſueta, magnoperè lædantur, ſatius eſſe inquit omnia tentare. Fiet autem hoc non inhærentibus nobis ſemper iis quibus aſſueuimus: ſed & nonnunquam contraria tentantibus.

LI.

ΤΟ' κατὰ πολὺ καὶ ἐξαπίνης κενοῦν, ἢ πληροῦν, ἢ θερμαίνειν, ἢ ψύχειν, ἢ ἄλλως ὁκωσοῦν τὸ σῶμα κινεῖν, σφαλερόν· καὶ γὰρ πᾶν τὸ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον, τὸ δὲ κατ' ὀλίγον, ἀσφαλὲς, καὶ ἄλλως ἢν καί τις ἐξ ἑτέρου ἐφ' ἕτερον μεταβαίνῃ.

Plurimum, atque repentè euacuare, vel replere, vel calefacere, vel refrigerare, siue quouis alio modo corpus mouere, periculosum: omne enim nimium naturæ inimicum: sed quod paulatim fit, tutum est, cùm aliàs, tum cùm ab altero ad alterum transitus fit.

Caussam ob quam affatim & repentè, vel euacuare, vel replere, vel calefacere, vel refrigerare, siue quouis alio modo corpus mouere, periculosum sit, ipse ostendit inquiens: *omne nimium esse naturæ inimicum.* Consistit enim naturæ substantia in elementorum commoderatione: quare non absque ratione, nimium omne (cùm destruat commoderationem) vnà substantiam animalis dissoluit. Paulatim autem, inquit, implere scilicet vel euacuare, & quæcunque alia subinde dixit, tutum est cùm aliàs, tum maximè cùm ab altero, cui assueuimus, transimus ad alterum

rum. Nam in antecedente aphoriſmo conſuluit ad inſueta tranſire. In hiſce igitur permutationibus, quòd affatim quidem atque repentè fit, periculoſum eſt valdè; quod verò paulatim, tutum.

LII.

ΠΆντα κατὰ λόγον ποιέοντι, καὶ μὴ γινομένων τῶν κατὰ λόγον, μὴ μεταβαίνειν ἐφ' ἕτερον, μένοντος τοῦ δόξαντος ἐξ ἀρχῆς.

Omnia ſecundum rationem facienti, ſi non ſuccedat ſecundum rationem, non eſt tranſeundum ad aliud, ſuppetente quod ab initio probaueris.

Non eſt mediocris prudentiæ, non diſcedere ab iis quæ recta viſa ſunt, etſi nondum manifeſta appareat vtilitas ex iis, ita factis, conſequi. Quemadmodum enim guttâ ſubiectam petram percutiente vix longo tempore ſenſibilis paſſio in lapide manifeſtatur: ſic accidit etiam in crudis, & quæ difficulter concoqui poſſunt diſpoſitionibus: in quibus cùm recta ratio inuenerit id quod conducit, non diſcedit ab illo, quod primùm faciendum exiſtimauit, etiamſi nihil ex illius vſu ſit effectum.

LIII.

ΟΚόσοι τὰς κοιλίας ὑγρὰς ἔχουσι νέοι μὲν ἐόντες, βέλτιον ἀπαλλάσσουσι τῶν τὰς ξηρὰς ἐχόντων. ἐς δὲ τὸ γῆρας, χεῖρον ἀπαλλάσσουσι. ξηραίνονται γὰρ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ τοῖσιν ἀπογηράσκουσι.

Quicunque aluos humidas habent, siquidem iuuenes sint, in melius commutantur iis qui siccas habent. Qui verò in senectute, eò deterius commutantur: nam senescentibus magna ex parte exiccantur.

Manifestus est hic aphorismus: & quicquid de eo dicere conuenit, priùs est dictum in eo aphorismo cuius principium, *Quibus iuuenibus ventres humidi sunt, iis senescentibus exiccantur.*

LIV.

ΜΕγέθει δὲ σώματος ἐνηβῆσαι μὲν, ἐλευθέριον, καὶ οὐκ ἀειδές. ἐγγηρᾶσαι δὲ δύσχρηστον, καὶ χεῖρον τῶν ἐλασσόνων.

Magnitudo corporis, iuuenta quidem neque indecens, neque illiberalis: senecta verò † inutilis & deterior paruitate.

† *Galen. legit,* δύσφορον.

Magnitudo corporis propriè quidem nominatur quæ longitudine, latitudine, profundita

funditate moderantiam exuperat. Iam verò & quod longitudine solâ ampliùs auctum est corpus, solemus magnum nominare: quanquam huic proprium nomen est, longum. Nam & aliquando quod secundum latitudinem ac profunditatem vltra modum corpus est auctum, dicunt esse magnum, quamuis hoc crassum proprio vocabulo nominetur. Si igitur magnitudinem corporis in proprio significato Hippocrates dixit, nihilo deterior est in senectute, quàm paruitas. Si verò vel longitudinem corporis, vel crassitudinem intellexit: hæ deteriores atque inutiliores senescentibus sunt: verùm neque crassitudo est iuuentæ decens, neque liberalis. In sola ergo longitudine quòd sit iuuentæ liberalis, senectæ verò inutilis, verè diceretur. Ex hac enim senescentes gibbi fiunt, & vix possunt opus perferre: quod Hippocrates inutile dixit.

Τμῆμα τρίτον.

GALENI IN APHORIMOS Hippocratis,

COMMENTARIORVM

LIBER TERTIVS.

In tertio hoc in Aphoriſmos Hippocratis commentario eorum, quæ de temporibus atque ætatibus ab Hippocrate ſcripta ſunt, expoſitionem faciemus: maximè quidem quicquid eſt in ipſis obſcurum, declarantes: (hoc enim eſt proprium expoſitionis opus) verumtamen ſingulis etiam quæ rectè dicta ſunt, demonſtrationem apponentes, quoniam hoc quoque fieri in commentariis conſueuit. Miror autem hoc loco Lyci inconſtantiam ſcribentis quidem (vt ipſe ait) expoſitiones Quinti præceptoris, nuſquam autem iis quæ de temporibus & ætatibus dicta ſunt, probationem demonſtratiuam apponentis, ſed ad experientiam & obſeruationem

nem omnia referentis, cùm tamen ipſe in aliorum Aphoriſmorum expoſitionibus rationalem adhibeat conſiderationem de ea quæ in ipſis continetur veritate, non ſola contentus experientia. Quòd verò ſola experientia non ſufficiat ad talem contemplationem aggregandam, ipſe Hippoc. oſtendit: & hoc in proceſſu ſermonis oſtendetur.

APHOR. I.

Αἱ μεταβολαὶ τῶν ὡρέων μάλιστα τίκτουσι νοσήματα, καὶ ἐν τῇσιν ὥρῃσιν αἱ μεγάλαι μεταλλαγαὶ, ἢ ψύξιος, ἢ θάλψιος, καὶ τ' ἄλλα κατὰ λόγον οὕτως.

Mutationes temporum potiſſimùm pariunt morbos: & in quibuſdam temporibus magnæ mutationes, aut frigoris, aut caloris, & alia pro ratione, eodem modo.

Mutationes temporum nonnulli exiſtimant dici, quibus inuicem commutantur, quaſi ſucceſſiones diceret. Nam hyeme in ver commutatâ, fit dictorum morborum generatio, de quibus ipſe deinceps loquetur. *Vere enim furores, melancholia, & morbi comitiales.* Vere rurſus in æſtatem deſinente, quòd eſt initium æſtatis, febres continuæ, inquit,

inquit,& tertianæ,& ardentes,& quæ ſubinde connumerauit. Et de autumno atque hyeme ſimiliter ſcripſit, vt inquiunt illi, qui pro eodem accipiunt mutationes & ſucceſſiones. Verùm, verbum, *potiſſimùm*, quod ſermoni adiectum eſt aphoriſmi, hanc expoſitionem non admittit. Nam† nonnunquam tempora inuicem commutantur: & ſicuti quidam morbi ex ea commutatione generantur, eodem modo etiam ſoluuntur: & hoc ipſe Hippocrates dixit. Quare nihilo magis ſucceſſiones temporum pariunt morbos, quàm ſoluunt. Quomodo igitur non ſat fuit ipſi dicere: *Mutationes temporum pariunt morbos*, ſed &, *potiſſimùm*, addidit? Melius itaque fuerit ob hanc adiectionem, per mutationes temporum intelligere eas, quę fiunt ſecundum illorum temperaturas, alterationes. Hæ ſiquidem ſunt quæ potiſſimùm generant morbos, quando multæ, alia poſt aliam, fiunt alterationes: quemadmodum *in Epidemiis* ſcripſit, & nunc etiam paulò pòſt dicet: † Si verò vnius temporis ſolius alteratio efficit morbos aliquos, non tamen potiſſimùm. Quando igitur fiunt morbi potiſſimùm ex vnius temporis alteratione? Quando contigerit magnam eſſe alterationem: & ob hanc cauſam ipſe inquit: *Et in quibuſdam* *tempori*

† *In antiq. exẽpl. non habetur* ἐνίοτε, *id eſt, nonnunquam.*

† *In antiq. exẽpl. habetur* εἰ, *id eſt, ſi. non* ἢ, *vt in impreſſ. & ſic legit Leonic.*

temporibus magna mutationes, vel caloris, vel frigoris, vel alicuius alterius rei, veluti humiditatis,ſiccitatis,aut ventorum,aut horum defectus. Hæc igitur expoſitio recta eſt in iſta ſcriptura.Inuenitur tamen & alia ſcriptura,quæ ita ſe habet: *Mutationes temporum pariunt morbos, & maximos: potiſſimùm autem & in quibuſdam temporibus magna mutationes.* Quæ ſcriptura nullam habet obſcuritatem, iis præſertim qui ea audierunt quæ à me ſtatim anteà dicta fuerunt. Sunt verò & aliæ ſcripturæ idem dicentes: quas intelliges, atque probabis, ſi illa quæ diximus, animaduerteris.

II.

TΩν φυσίων αἱ μὲν πρὸς θέρος, αἱ δὲ πρὸς χειμῶνα εὖ ἢ κακῶς πεφύκασι.

Naturarum, aliæ quidem ad æſtatem, aliæ verò ad hyemem bene, maléve ſe habent.

Naturas in hoc loco dixit Hippocrates ſecundum principaliſſimum & proprium ſignificatum, quod ſecundum ipſam maximè ſubſtantiam naturæ eſt. Dicebamus autem in præcedentibus ipſam eſſe temperaturam quatuor elementorum, humidi,ſicci, calidi, & frigidi. Et quidem oſtenſum à nobis eſt in *libris de temperaturis*: quòd vna quidem

eſt

est temperatura, bene temperata atque optima: malæ autem temperatæ & vitiosæ, numero octo: quatuor quidem secundum qualitatem excedentem, quatuor verò aliæ secundum duas: secundum vnam quidem calida, & frigida, sicca, & humida: secundum duas verò calida & sicca, humida & calida, frigida & humida, frigida & sicca. Ad æstatem quidem frigidæ & humidæ naturæ optimè afficiuntur: ad hyemem verò calidæ & siccæ: sicuti etiam malè afficiuntur calidæ & siccæ ad æstatem, frigidæ & humidæ ad hyemem. Quæ igitur in extremo sunt huiuscemodi, ad dicta tempora optimè ac pessimè afficiuntur; quæ autem mediocriter secundum quippiam ex temporibus vel iuuantur vel offenduntur: sicuti humida & calida æstate & hyeme: quoniam æstate quidem, quatenus humida est, meliùs afficitur: hyeme verò contrà, quatenus calida.

III.

ΤΩν νούσων ἄλλαι πρὸς ἄλλας εὖ ἢ κακῶς πεφύκασι, καὶ ἡλικίαι τινὲς πρὸς ὥρας, καὶ χώρας, καὶ διαίτας.

Morbi quoque alij ad alia bene vel malè se habent, & quædam ætates ad tempora, & loca & victûs genera.

Inordi

Inordinato quodam interpretandi genere mihi videtur vſus Hippocrates in hoc aphoriſmo. Nam meliùs vtique ita dixiſſet: Morbi & ætates, alij ad alia tempora, & loca, & victûs genera bene maléve ſe habent. Morbi igitur bene ſe habent ad tempora, quantum ad generationem quidem ſimiles, quantum ad ſolutionem verò, contrarij. Nos enim de hoc ipſo priùs determinauimus in expoſitione illius aphoriſmi, cuius initium eſt: *In morbis minùs periclitantur.* Ætates autem, quemadmodum & naturæ, frigidæ quidem ad calida, calidæ verò ad frigida: ſenum quidem ad æſtatem, iuuenum verò ad hyemem: eâdem ratione & ad loca non morbi tantùm, ſed etiam ætates afficiuntur. Nam morbi calidi, in locis calidioribus magis generantur, & minùs ſunt periculoſi: & magis ſanæ ſunt in frigidis regionibus ætates calidiores, & in aliis proportionaliter. Sic verò & ad victûs genera, alij ad alia bene maléve ſe habent morbi, & ætates. Nam calidiores ad frigidiora, frigidiores verò ad calidiora, & ſicciores quidem ad humidiora, humidiores verò ad ſicciora bene ſe habent. Et vt ſimpliciter dixerim, contrarij quidem ad contraria bene, ſimiles autem ad ſimilia malè, præterquam ſi ætas temperata, victui, & regioni, & loco tempera-

temperato comparetur: hoc enim ſolo modo ſimiles à ſimilibus bene afficientur. Quæ verò plus à commoderatione receſſerunt ætates, iis ſecundùm temperaturam contraria loca,& tempora, & victûs genera conferunt magis. Cùm verò omnes morbi à temperie & modo recedant, generatio quidem à ſimilibus locis atque temporibus,ſolutio verò à contrariis fit.

IV.

ἘΝ τῇσιν ὥρῃσιν ὅταν τῆς αὐτῆς ἡμέρης ὁτὲ μὲν θάλπος, ὁτὲ δὲ ψῦχος γίγνηται, φθινοπωρινὰ τὰ νοσήματα προσδέχεσθαι χρή.

In temporibus, quando eadem die modò calor modò frigus fit, autumnales morbos expectare oportet.

Rectè, neque enim appellationes temporum cauſæ morborum ſunt, ſed temperaturæ. Cùm igitur ipſæ conuariant, neceſſe eſt morbos conuariari.

V.

ΝΌτοι βαρυήκοοι, ἀχλυώδεες, καρηβαρικοὶ, νωθροὶ, διαλυτικοί. ὁκόταν οὗτος δυναστεύῃ, τοιαῦτα ἐν τῇσιν ἀῤῥωστίῃσι πάσχουσιν. ἢν δὲ βόρειον ᾖ, βῆχες, φάρυγγες, κοιλίαι σκληραὶ, δυσουρίαι, φρικώδεες, ὀδύναι πλευρέων, στηθέων

θέων. ὁκόταν οὗτος δυναστεύῃ, τοιαῦτα ἐν τῇσιν ἀῤῥωστίῃσι προσδέχεσθαι χρή.

Austri auditum hebetant, caliginem visui offundunt, caput grauant, tarditatem ac languorem inducunt. Quando (igitur) inualuerint, talia in morbis accidunt. Cōtrà, si aquilonia sit tempestas, tusses (vigent) faucium asperitates, alui dura, vrina difficultates, horrores, costarum dolores & pectoris. Quando igitur hac viget, talia in morbis expectare oportet.

Id quidem quod fit, declarauit, inquiens: *Austri auditum hebetant, caliginem offundunt, caput grauant, tarditatem motûs ac languorem inducunt.* Causam autem ob quam declarauit, adscribens, *Vbi hac tempestas viget, talia in morbis accidūt.* Semper siquidem oportet Medicum distinguere & separare id, quod ex causa extrinseca fit, & non morborum ratione, vt præcognitiones faciat certiùs. Causam verò ob quam austri reddant auditum grauiorem, & visum caliginosum, non est difficile ex eorum temperatura intelligere, quæ calida & humida natura est. Omnia etenim talia sunt apta replere caput Ob hoc igitur & sensuum instrumenta plurimâ implent humiditate, & capitis grauitatem efficiunt. Principio autem

neruorum humectato, necesse est & circa voluntarios motus pigritiam euenire, & veluti in seipso languidum hominem apparere. Contrà verò in aquiloniis (vt ipse inquit inferiùs) corpora fiunt robustiora, vegetiora, & ad motus promptiora, & meliùs audientia. Nunc verò hæc non opposuit iis quæ ex austro circa corpus contingunt, quoniam in hoc aphorismo de læsione tantummodò, quæ ex vtroque accidit vento, tractare proposuerat: vt hæc cognoscentes, ab illis separemus, quæ ex morborum natura contingunt. In aquiloniis igitur (vt inquit) fiunt tusses, propter videlicet instrumentorum respirationi obseruientium intemperiem, & propter faucium asperitatem, de qua nobis insinuauit, adiungens verbum illud, *fauces* vt subintelligeremus, patiuntur. Nam solet hoc modo loqui aliquando. Paulo pòst enim inquiet: *Autumno plurimi æstiui morbi* (fiunt) *febres quartanæ, & erraticæ, & lienes.* Licet autem etiam simul duo hæc coniungentes legère [fauces, alui duræ] vt nonnulli expositores legendum existimarunt. Nam fauces in aquiloniis constitutionibus apparent duræ, quoniam exiccantur ac refrigerantur: & venter inferior dura excernit, tum propter temporis constitutionis temperaturam, quæ vergit

vergit ad ſiccitatem, toto corpore exiccato; tum præcipuè, quia ad ſeipſum trahit humidiores partes alimenti; tum etiam fæces; quoniam in corpore diutius remanent nec excernuntur, omnino exuguntur & areſcũt. Vrinæ etiam accidunt difficultates, veſicâ flatu aquilonis ob frigiditatem offensâ. Eſt enim exanguis & frigida:& propterea à cauſis frigidis plus quàm aliæ partes, & promptiùs afficitur. Eadem aquilonis frigiditas etiam thoracis dolores efficit, communi cum aliis partibus noxâ, tum etiam reſpirationis accedente læſione quæ non pari modo pulmonem attingit & cor, ob ſui caloris multitudinem. Homines verò horridos fieri in aquiloniis conſtitutionibus, clarum eſt: conſentaneè videlicet aëris ambientis temperaturæ.

VI.

ὉΚόταν θέρος γένηται ἦρι ὅμοιον, ἱδρῶτας ἐν τοῖσι πυρετοῖσι πολλοὺς προσδέχεσθαι χρή.

Quando æſtas fit veri ſimilis, ſudores in febribus multos expectare oportet.

Quemadmodum paulò anteà dicebat: *Quando die eâdem aliquando frigus, aliquando calor accidit, morbos autumnales*

expectare oportet. Sic nunc rursus, *Quando æstas fit veri similis*, hoc est temperaturam habet commoderatam, *expectare*, inquit, *oportet multos sudores in febribus*: & hoc non sine ratione. Neque enim sine aëris ambientis calore multi sudores fieri possunt, neque absque hoc, quòd aliqua humiditas excrementosa in corpore contineatur. Horum verò alterum est in æstate, alterum verò in hyeme: autumno verò neutrum: vere autem vtrumque. Rationabiliter igitur æstas quidem, si arida sit, multum absumit atque resoluit humiditatem: si verò similis sit veri, ob caliditatem quidem attrahit ad cutim, ob humiditatem verò non potest per modum vaporis resoluere. Affatim igitur dum tota humiditas in morborum iudiciis excernitur, multos sudores facit.

V I I.

ΕΝ τοῖσιν αὐχμοῖσι πυρετοὶ ὀξέες γίνονται, καὶ ἢν μὲν ἐπὶ πλέον ἢ τὸ ἔτος τοιοῦτον ἐὸν, οἵην τὴν κατάστασιν ἐποίησεν, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ καὶ τὰ νοσήματα τοιαῦτα δεῖ προσδέχεσθαι.

In siccitatibus febres acutæ fiunt. Quod si amplius talis pergat esse annus, qualem fecerit constitutionem; tales plurimùm morbos oportet expectare.

Non

Non multas ait febres in ſiccitatibus fieri, ſed acutas: quoniam paulo pòſt inquiet. *Ex anni autem conſtitutionibus, ſiccæ omnino quidem pluuioſis ſalubriores ſunt, & minùs mortiferæ*: deinde hoc ſubiungens rurſus inquiet: *Morbi in pluuioſis quidem temporibus magna ex parte fiunt febres longæ.* Non abſque ratione. Nam aëris ambientis humiditas pituitoſos aceruat humores, & non paucas generat aquoſas ſuperfluitates: ſiccitas verò pauciores quidem humores efficit, ſed qualitate bilioſiores: & ob hanc cauſam febres numero quidem ſunt pauciores quàm in temporibus pluuioſis, ſed acutiores. Quę verò deinceps in aphoriſmo dicuntur, manifeſta ſunt.

VIII.

Ἐν τοῖσι καθεστῶσι καιροῖσιν ἢν ὡραίως τὰ ὥραια ἀποδιδῶσιν, εὐσταθέες καὶ εὐκρινέες αἱ νοῦσοι γίνονται. ἐν δὲ τοῖσιν ἀκαταστάτοισιν ἀκατάστατοι καὶ δύσκριτοι.

In legitimis temporibus, ac conuenientem ſeruantibus temperaturam, morbi legitimi & boni iudicij fiunt: in intempeſtiuis autem, non legitimi & mali iudicij.

Legitima tempora nominat, quæ tempore & loco ſuam recipiunt temperaturam.

Quem verò legitimum appellet annum, tibi licet discere ab ipso in *libro de aqua, aëre, locis, & regionibus*, ita dicente : *Siquidem pro lege naturæ appareant signa huiusce modi in ortibus & occasibus syderum; & in autumno si aquæ descendunt, & hyems mediocritatem seruauerit, neque valde serena, neque frigore excedens, & vere aquæ euenerint tempestiuæ, & æstate: sic par est annum fore salubriorem.* Postquam igitur qualis debeat esse legitimus annus, didicisti : facile est etiam non legitimum intelligere. Omnia enim quæ non seruant secundum aliquid anni legitimi ductum, ea nunc Hippocrates non legitima siue intempestiua vocat : & eos qui in ipsis accidunt morbi, similiter appellat. Ait autem & ipsos difficulter, hoc est malè iudicari. Vel enim cum symptomatis periculosis iudicia in his morbis eueniunt, vel statim sunt perniciosi, vel omnino faciunt recidiuam.

IX.

Ἐν φθινοπώρῳ ὀξύταται αἱ νοῦσοι, καὶ θανατωδέσταται τὸ ἐπίπαν. ἦρ δὲ ὑγιεινότατον, καὶ ἥκιστα θανατῶδες.

Autumno morbi acutissimi, atque exitiales, maxima ex parte. Ver autem saluberrimum, & minimè exitiale.

Cùm

Cùm tempora conuenientem seruant totam temperaturam, inter ipsa ver est saluberrimum, vt quod bonam habet temperaturam. Morbos autem acutissimos, atque mortiferos aliorum temporum comparatione autumnus afferet, quandoquidem ver temperiem habet. Autumno verò hoc in primis inest, quòd eâdem die aliquando calorem, aliquando frigus cõtinet. Deinde quòd æstiuum subsequitur tempus, in quo multis quidem humores assati sunt. quibusdam verò & vires sunt debilitatæ. Non solùm verò hac ratione autumnus malus est, sed etiam quia primùm quidem humores mouebantur ad cutem, atque difflabantur: autumno verò ab aëris ambientis frigiditate retruduntur, atque ad interiora impelluntur. Hæc quidem omnibus hominibus communia sunt: iis verò qui malo victu vtuntur, ex superabundanti fructus accedunt, quibus abundanter repleti, malorum humorum multitudinem generant.

X.

TO' φθινόπωρον τοῖς φθινώδεσι κακόν.
Autumnus tabidis malus.

Damnauit quidem etiam aliam ob causam autumnum in antecedente aphorismo: nunc autem præcipuè nocentem tabidis rursus vituperat. Vtrùm verò illos solùm nominet

tabidos, quibus pulmo est exulceratus, vel omnes quomodocunque extremâ confectos macie, non possumus coniectari. Liquet autem vtrisque autumnum esse malum, cùm sit siccus simul ac frigidus, & inæqualis.

XI.

Περὶ δὲ τῶν ὡρέων, ἢν μὲν ὁ χειμὼν αὐχμηρὸς καὶ βόρειος γένηται, τὸ δὲ ἔαρ ἐπομβρον καὶ νότιον, ἀνάγκη τοῦ θέρεος πυρετοὺς ὀξέας, καὶ ὀφθαλμίας, καὶ δυσεντερίας γίνεσθαι· μάλιστα δὲ τῇσι γυναιξὶ, καὶ ἀνδράσι τοῖσιν ὑγροῖσι τὰς φύσιας.

De temporibus: siquidem hyems sicca & aquilonia fuerit, ver verò pluuiosum & australe, necesse est æstate febres acutas fieri, & lippitudines, & intestinorum difficultates, præcipuè verò mulieribus, & viris qui naturâ sunt humidiores.

De temporum mutatione hîc docet, ab hyeme sicca & aquilonia initium sumens, vere autem pluuioso & austrino. Paruæ igitur quamuis sint tales mutationes, præter naturam tamen sunt: quapropter ad æstatem sequi aït hos morbos, febres acutas, & lippitudines, & intestinorum difficultates. Causam verò ob quam superabundant in tali constitutione huiuscemodi morbi, ipse explicauit in

in *libro de aquis, de locis & aëre* Verba autem eius se habent in hunc modum: *Si autem hyems quidem sicca & aquilonia fuerit, ver verò pluuiosum & australe, necesse est æstatem febribus abundare, & lippitudines, & difficultates intestinorum aduenire: quando enim æstate plenior ardor repente superuenerit, & terra madida ex pluuiis vernalibus & ab austro fuerit, necesse est æstum duplicari, tum à terra madida atque calente, tum à sole comburente, non constantibus hominum ventribus, neque exiccato cerebro. Neque enim possibile est tali vere existente, non † inflammari corpus ac carnem: vnde febres accidunt acutissimæ, tum reliquis omnibus, tum præcipuè pituitosis. Difficultates verò intestinorum mulieribus, & viris humidioribus conuenit fieri.* Hæc igitur Hippocrates in *libro de aquis, & locis, & aëre* dixit Nos verò latiùs eius sermonem explanabimus: & primùm quidem ob quam causam neque in hyeme, neque vere per talem constitutionem dixerit vulgari morbos. Atqui in *secundo Epidemiorum*, in ipso tempore vitiato ait apud Cranonem factos esse carbônes. Verba autem eius inibi hæc sunt. *Carbones æstiui fiebant in Cranone: Pluebat per æstus aqua larga vbique: fiebant autem austro magis.*

† σωντή-κεσθ. colliquari.

Manifesta igitur est ex iis quæ dixerat, causa, ob quam apud Cranonem facti sint æstate carbones. Neque enim paulatim mutata est temperatura naturalis, sed ad talem peruénit constitutionem, in qua facilè putrent quæcunque naturam habent vt putreant. Habiles enim sunt humiditates modum excedentes ad putrescendum: nam (vt ipse inquiet) *morbi in temporibus pluuiosis fiunt magna ex parte febres longa, & alui fluxus, atque putredines*: sed iis adhuc magis caliditates putrefacere possunt. Cùm autem in vnum conuenerint: ídque tam fortes & immoderatæ, quàm in Cranone, tempus secundum corpus non expectat, verùm anticipat in priore plurimùm offendi. Per hyemem verò siccam & aquiloniam, corpora quidem tali modo afficiuntur, quemadmodum ipse dixit per hæc verba: *Si verò aquilonia fuerit, tusses, faucium asperitates, alui dura, vrina difficultates, horrores, dolores laterum & pectoris*, non tamen magnus morbus contrahetur: nam præter alias, sicciores constitutiones sunt salubriores. *Ex toto* enim, ait, *siccitates pluuiosis temporibus esse salubriores, & minùs mortiferas*. Hyems verò Aquilonia & sicca ex opposito infestabit quidem homines per tusses, & alui suppressionem, & difficultatem vrinæ, atque

dolores

dolores locorum ad thoracem attinentium: non tamen febres, vel difficultates inteſtinorum, aut tale quiddam operabitur. Cur autem neque vere pluuioſo atque auſtrali exiſtente morbi vagantur? Quoniam anteceſſit multum hyems frigida ac ſicca. Ipſe verò dixerat, non ſimpliciter præſentes conſtitutiones fore conſiderandas, ſed etiam ex qualibus, ad qualéſve fiant permutationes. Exiccatum itaque priùs corpus per hyemem, cuius ſicca atque aquilonia fuit temperatura, non modò nihil ex vernis pluuiis patietur, ſed potiùs aliqua ex parte iuuabitur ad naturalem rediens mediocritatem. Si verò totum ver humidum fuerit, ad contrariam (cùm priùs eſſet ſiccum) ducetur corpus conſtitutionem, tranſcendens illam, quæ medium tenet, mediocritatem. Quare æſtas ſubſequens, paratum excipiet offenſioni, cùm terra adhuc humecta ſit: atque ob hanc cauſam † ſtrangulationem efficiet, vtpote Eteſiis nondum potentibus flare. Nam illi poſtea, & poſt Canem flare incipiunt. Quare totum tempus medium habebit febres acutas, propter caliditatem & humiditatem humoribus in corpore putreſcentibus, necnon lippitudines, & difficultates inteſtinorum, pro aptitudine partium quæ offenſionem recipere

† *πνιγμὸς eſt propter aëris craſſitiem plenior æſtus. Ariſto. prob. 8. 1.*

naturâ

naturâ aptæ ſunt. Aliæ enim aliis magis, aliæ minùs paſſibiles ſunt, ſecundùm corporum temperaturas. Nam lippitudines ferè omnes infeſtant repleto capite, quibuſdam exceptis, quibus oculi præualidi ſunt; difficultates verò inteſtinorum, ſicut ipſe dixit, eos qui naturas humidas habent, & mulieres, hæ ſiquidem viris ſunt humidiores. Si igitur totam conſtitutionem, tanquam noſtra putrefacientem corpora, damnamus, liquet quòd putredo magis humidis adueniet corporibus. Ipſum ſiquidem humidum, quod in noſtris putret corporibus, quædam veluti materia eſt à vi caloris patiens. Humiditas verò ambientis aëris, quatenus exiccari non ſinit humorum in corpore ſuperabundantiam, eatenus adiuuat vim putrefacientem. Nihil itaque mirum, ſi in talibus conſtitutionibus plus offenduntur naturæ humidiores: & propterea ait febres pituitoſis magis aduenire, hi ſiquidem neceſſariò ſunt humidiores. Manente igitur putredine in corpore, febres fiunt; ſi verò per ventrem euacuetur, difficultates inteſtinorum. Et hæc per totam æſtatem contingent, niſi fiat circa Canis ortum permutatio, de qua ipſe in *libro de aquis, locis, & aëre* tranſegit poſt verba paulò anteà ſcripta, poſt illa videlicet:

Difficulta

Difficultates autem intestinorum par est fieri mulieribus, & viris humidioribus. Nam sermonem continuans scribit in hunc modum: *Et si quidem superuenerit circa Canis ortum aqua & hyberna tempestas, & Etesiæ perflauerint, spes est quietis, & quòd autumnus salubris erit: alioqui periculum est ne pueri moriantur & mulieres, minimè verò seniores; & ne qui euaserint, in quartanam finiant, & ipsa quartana in aquam inter cutem terminetur.* Verùm de iis quæ adiecit in *libro de aqua & aëre, & locis*, cùm librum illum exponemus, diligentiùs considerabimus. De iis verò quæ in præsenti aphorismo proponuntur, sufficienter est dictum, exceptâ vnâ dictione, *ex necessitate*, quam non solùm apposuit in *aphorismo*, sed etiam in *libro de aquis, locis, & aëre*: ostendens per eam, quòd rei naturâ persuasus, & non ex aliqua obseruatione ista notauerit. Quoties enim par esset vidisse talem constitutionem, vel quot in locis, nunquid bis, vel ter, vel quater? Atqui nec si sæpius quidem videris, possis adhuc dicere quòd ita semper erit: sicut neque si ex medicina aliqua videris purgatos sex, vel septem homines, iam dicere certò poteris, quòd omnes posthac homines similiter purgabuntur. Quare pro manifesto relinqui

relinquitur, quòd rei naturam Hippocr. ſe-
quens, & non aliquam obſeruationem, in
ſcriptitauerit: *N ceſſe eſt æſtate febres acutas*
& lippitudines, & difficultates inteſtinorum
fieri.

XII.

Ἢν δὲ νότιος ὁ χειμὼν καὶ ἔπομβρος, καὶ εὔ-
διος γένηται, τὸ δὲ ἔαρ αὐχμηρὸν καὶ βόρειον,
αἱ μὲν γυναῖκες ἦσιν οἱ τόκοι πρὸς τὸ ἦρ ἐκ πάσης
προφάσιος ἐκτιτρώσκουσιν, αἱ δ' ἂν τέκωσιν,
ἀκρατέα καὶ νοσώδεα τὰ παιδία τίκτουσιν, ὥστε ἢ
παραυτίκα ἀπόλλυσθαι, ἢ λεπτὰ καὶ νοσώδεα ζῆν
ἐόντα. τοῖσι δὲ ἄλλοισι δυσεντερίαι καὶ ὀφθαλμίαι
ξηραὶ γίνονται. τοῖσι δὲ πρεσβυτέροισι κατάῤῥοι
συντόμως ἀπολλύντες.

Si verò hyems auſtralis & pluuioſa & ſe-
rena fuerit, ver autem ſiccum & aquilonium,
mulieres quibus partus in ver incidit, ex qua-
cunque occaſione abortiunt: quæ verò parient,
imbecilles & morbidos infantes pariunt: qua-
re vel ſtatim intereunt, vel tenues & valetu-
dinarij viuunt. Cæteris verò mortalibus dif-
ficultates inteſtinorum, & lippitudines ſicc[æ]
fiunt, ſenioribus autem deſtillationes quæ cit[ò]
interiment.

Contr

Contrario modo ſe habet temperatura in duobus, quæ in *ſuperiore aphoriſmo* ſunt dicta, temporibus, ad illas quæ in iſto dicuntur. Qualis enim erat hyems priùs in illo, tale nunc eſt ver. Quale autem erat in illo ver, talis nunc eſt hyems. Quòd igitur in illis non erat neceſſarium in vere morbos vagari communiter vehementes, ſufficienter dictum eſt. Nunc autem, quòd hyeme humida quidem ac calida, vere autem frigido ac ſicco, neceſſarium ſit in ipſo vere homines ægrotare, eſt demonſtrandum. Mulieres itaque quibus partus incidit in ver, ex quacunque abortiunt occaſione. Corpora ſiquidem humida, mollia & rara reddita per hyemem tepidam, ad intimas ſui partes aëris ambientis frigiditatem facilè admittunt: itaque quicunque infantes longo tempore aëris tepori aſſueuerunt, percuſſi vehementer à frigore, non abſque cauſa deprehenduntur alij quidem iam mortui in ipſo vtero, alij verò in ipſo partu mori. Qui verò ex iis viui in lucem eduntur, non ferentes ſubitam ad contrarium tranſmutationem, vel breui pòſt tempore moriuntur, vel imbecilles & morboſi cùm ſint, vix in vita perdurant.

rant. Aliis verò, ceu pituitosis, ac mulieribus difficultates intestinorum ait accidere, ex pituita à capite ad ventrem defluente. Hunc enim humorem par est in dicta constitutione plurimum generari: hyeme quidem capite repleto, subitóque refrigerato circa veris initia; quoniam cerebrum naturâ aptum est ad generandas pituitosas superfluitates: cùm refrigeratum non potest alimentum conuincere. Hoc autem etiam euenit pituitæ † generationi. Quæ enim à forti fit frigiditate, acida euadit: quæ verò à caliditate replente caput, salsa; sicuti & quæ à pauca fit frigiditate, vel paucam habet dulcedinem, vel nullam manifestam qualitatem. Ea igitur, quæ fit in præsenti constitutione pituita, propter hyemis caliditatem, salsa erit: & hac ratione maximè difficultatem intestinorum generabit, quando longiori tempore mordens atque abradens, intestinum offenderit. Nimirum propter lentorem in transitu per intestina inhærens ac tardans, sempérque aliquid deterens propter qualitatem, facit intestinorum difficultatem. His autem qui naturâ calidi sunt ac biliosi, inquit ipse Hippocrates, lippitudines siccas accidere: sic autem vocat eas

† *Alibi legitur* φύσει, *id est, natura.*

quæ

quæ ſunt ſine fluxu. Par autem eſt calidis ac ſiccis naturis, in ſicca ac frigida conſtitutione quæ calidam atque humidam excipit, tales lippitudines fieri. Caput enim priùs repletũ eſt in calida atque humida cõſtitutione, frigus autem ſuperueniens, veluti manus quædã extrinſeca capiens ac premens, quandam vti ſpõgiam, cerebrum, exprimit illam, quæ in ipſo continetur, humiditatem. Hæc verò delata aliàs ad alium locum, ex iis qui faciles ſunt ad patiendum, multos generat morbos, atque ita iis qui oculos habent naturá imbecilles, lippitudines accidunt. Nihil verò ex ipſis effluet extra, propter aëris ambientis frigiditatem denſantis ſuperficiem exteriorem. Quòd verò Hippocrates ipſe hæc omnia, quæ diximus, ad cauſas referat ante dictas, manifeſtum eſt ex iis quæ ſcripſit in *libro de aqua, locis, & aëre*, in hæc verba: ***Pituitoſis itaque par eſt difficultates inteſtinorum aduenire, & mulieribus, pituita à cerebro defluente, propter naturæ humiditatem: bilioſis autem ſiccas lippitudines ob carnis caliditatem ac ſiccitatem.*** Quod verò ſcribitur circa finem aphoriſmi, ***Senioribus verò deſtillationes, quæ ſubitò interiment***: ipſe in *libro de aqua, locis, & aëre* per hæc verba ſcribit: ***Valdè autem ſenibus***

O ***deſtilla***

destillationes propter raritatem, & venarum colliquationem, ita vt repentè intereant: quosdam verò contingit dextrâ aut sinistrâ parte stupidos fieri. Per hæc verba videtur Hippocrates indicare, non quas valdè communi vocabulo destillationes consueuimus nominare, quæ scilicet ex capite fluunt ad pulmonem per asperam arteriam, sed omnes quæ feruntur fluxiones per venas à capite ad partes inferiores: quare hoc, *citò int. rimentes*, bene videtur adiectum, quoniam hæ velociter terminantur, cùm aliæ diutiùs perdurent. Quidam verò expositores, per destillationes intelligentes illas, quæ à capite ad pulmonem fluunt per fauces & arteriam, cùm negatione, *non*, hunc scribunt sermonem, hoc modo: Destillationes accidere valde senibus, *non citò interim ntes*. Et rectè quidem. Neque enim frigidæ fluxiones in ipsis concoquuntur, ob ætatem. In quibusdam verò exemplaribus scriptum est: *Citò interimentes:* quoniam & in *libro de aqua, locis, & aëre*, ipse inquit: *Ita vt rep nte intere ant.*

XIII.

Ἢν δὲ τὸ θέρος αὐχμηρὸν καὶ βόρειον γένηται, τὸ δὲ φθινόπωρον ἔπομβρον καὶ νότιον, κεφαλαλγίαι ἐς τὸν χειμῶνα γίνονται, καὶ βῆχες, καὶ βράγχοι, καὶ κόρυζαι, ἐνίοισι δὲ καὶ φθίσιες.

Si

Si verò æstas sicca fuerit & aquilonia, autumnus verò pluuiosus & australis: dolores capitis ad hyemem fiunt, & tusses, raucedines atque grauedines, quibusdam autem & tabes.

Eandem temperaturam nunc apponit æstati & autumno, quam & paulò antea dixit de vere atque hyeme, cùm ita dicebat: *Si hyems sicca & aquilonia fuerit, ver autem pluuiosum & australe.* Verùm ibi quidem ob eam constitutionem, æstate dixit febres acutas, lippitudines, & difficultates intestinorum fieri: nunc verò hyeme dolores capitis, tusses, raucedines, atque grauedines. Non autem, vel ibi adiecit æstiuam constitutionem, vel hîc hybernam: vt qui vtrumque tempus naturalem seruare temperaturam supposuerit. Si enim ad hæc altera aduenerit aëris ambientis intemperies, erit aliquis propter illam à prædictis diuersus morbus, proprius intemperiei. Verùm in illa quidem constitutione, quâ dixit hyemem fieri siccam & aquiloniam, ver autem pluuiosum & australe, ipse subiecit causas, ob quas tales morbi æstate fiunt, in *libro de aëre, locis, & aquis.* De præsenti verò constitutione nihil dixit in illo. Nam post duas anteà scriptas constitutiones, alteram quidem in qua hyemem

aquiloniam ſimul & ſiccam vult fieri, ver autem pluuioſum & auſtrale: alteram verò in qua contrà pluuioſam & auſtralem hyemem, ver autem ſiccum & aquilonium: ſequentem ordine poſt illas tertiam, de qua præſens eſt ſermo, non adiecit, ſed loco huius alteram talem: *Si verò æſtas pluuioſa fuerit & auſtralis, & autumnus ſimiliter, neceſſe eſt hyemem fere inſalubrem.* Deinde per ordinem quaſdam alias, neque illas eodem modo, quo iſta nunc propoſita, ſe habentes. Sed de illis quidem, cùm ad earum expoſitionem peruenerimus, ſermonem faciemus. Nunc verò de ea, cuius ab ipſo mentio facta eſt in aphoriſmis, agamus, idem noſtro ſermoni initium facientes, quod parùm antea fecimus. Par etenim eſt ſeruare ipſam hyemem ſimilem ei quæ eſt naturalis, hoc eſt, frigidam atque humidam, quantum hæ duæ qualitates conueniunt temperatis orbis terrarum locis, de quibus ſermonem habet, & quæ nos paulo pòſt nominatim cõmemorabimus. Seruante itaq; hyeme ſuum temperamẽtum, nulla grauis in ipſa ægritudo conſiſtit, ſolùm autem capitis dolores, ac tuſſes, raucedines, atque grauedines, quæ ſunt repleti capitis ſymptomata. Si igitur, vt priùs diximus, in vtroque tempore, æſtiuo ſcilicet

atque

atque autumnali fieri pluuias australes contigerit, fortè & in ipsa æstate; sin minùs, saltē in autumno, omnino communiter vagabuntur morbi congruentes constitutioni humidæ & australi. Nunc quoniam æstatem siccam & aquiloniam fieri supposuit, autumnum autem humidum & austrinum, par est non solùm quosdam non incipere statim ægrotare, verùm etiam immodicæ per æstatem siccitatis non paruum esse remedium, humidam autumni constitutionem. Quia verò totus autumnus talis est subsequutus, necesse erit iis qui naturam habent humidiorem, supra modum repleto capite, nuper dictos † morbos hyeme aduenire, quibusdam autem eorum & tabem, qui scilicet ad hunc morbum apti naturâ sunt, vtpote qui angusto sunt pectore, & quibus à capite ad pulmonem fluxio defertur. Hi igitur tabidi fiēt. Aliis verò nullus quidem grauis morbus adueniet, sed tusses atque raucedines, & quæcunque alia huiusmodi symptomata fient: † tempore hyberno capita suscipiente austrinis pluuiis antè repleta, deinde in quibusdam hoc solùm efficiente, vt superfluitas in capite perseuerans sit ipsi † doloris causa, nullam siquidē plenitudinem in parte aliqua corporis digerit hyems: in quibusdam verò

† *Aliter, symptomata.*

† *Alicubi legitur νόσημα, id est, morbi.*

coacto ampliùs & compresso quodammodo capite, expressa materia inutilis ad loca capite inferiora descendit. Hoc itaque veluti purgatio quædam capitis est,& euacuatio.In quibus verò à multa materia grauatum caput antea laborauit, nec potuit hybernum frigus tolerare,in illis refrigeratum iam propter intemperiem, partibus subiectis maiorum defluxionum est causa.

XIV.

Ἢν δὲ βόρειον ᾖ καὶ ἄνυδρον, τοῖσι μὲν ὑγροῖσι ἐοῦσι τὰς φύσιας, καὶ τῇσι γυναιξὶ ξύμφορον, τοῖσι δὲ λοιποῖσιν ὀφθαλμίαι ἔσονται ξηραί, καὶ πυρετοὶ ὀξέες, καὶ † κόρυζαι ἐνίοισι δὲ καὶ μελαγχολίαι.

† Fortè leg. μακραί.

Si verò aquilonius & siccus, iis qui naturam habent humidiorem, & mulieribus conferet: reliquis autem erunt lippitudines siccæ, & febres acutæ, & grauedines, nonnullis verò morbi melancholici

Apparet sermonem nunc habitum non esse integrum aphorismum: sed partem secundam vnius aphorismi,cuius priorem partem nuper destitimus explanare. Nam manente communi vtrisque sermonibus suppositione, prior quidem pluuium & australem supponit autumnum, posterior verò ac præsens,

ſens, ſiccum & aquilonium. Quod verò nil differt, ſiue ſiccum, ſiue ſqualentem, ſiue inaquoſum dixerimus, vnicuique eſt manifeſtum. Ambobus ergo temporibus ſqualidis & ſiccis effectis, humidæ quidem naturæ non modò nihil offendentur ex tali conſtitutione, quin potiùs aliquam ſentient vtilitatem. Cauſam verò ipſe dixit in *libro de aquis, & locis, & aëre*, ſcribens in hunc modum: *Pituitoſis verò hæc omnia auxilio ſunt. Exiccantur enim, atque ad hyemem minimè humidi perueniunt, ſed exiccati. Reliquis verò qui non ſunt tali naturâ præditi, lippitudines ſiccæ, febres acutæ, atque grauedines accidunt, & nonnullis eorum morbi melancholici*: cauſam verò horum generationis, ipſe in *libro nuper dicto* per hæc verba inquit: *Bilioſis verò hic eſt inimiciſſimus, quia valdè exiccantur, & lippitudines his ſiccæ eueniunt, & febres acutæ, & diuturni morbi melancholici.* Deinde cauſam ſubinferens, inquit: *Bilis enim pars humidiſſima atque aquoſiſſima exiccatur atque abſumitur: craſſiſſima verò & acutiſſima relinquitur, & ſanguinis pariter eadem ratione: ex quibus hi morbi ipſis contingunt.* Hæc itaque à nobis ad propoſitas conſtitutiones dicta ſunt ſufficienter. Cur verò de his ſolis conſtitutionibus fece-

rit mentionem Hipp. cùm etiam plures aliæ ſint, non habeo dicere. Volo autem potiùs declarare viam ac rationem, quâ quiſpiam vtens, omnes conſtitutiones complectatur. Eſt autem talis: Primùm igitur incipere eſt neceſſarium, veluti ab elementis, à ſimplicibus aëris ambientis intemperaturis, atque ipſas diuidere in valde paruas, & valdè vehementes, ac media: deinde dicere de qualibet earum quæ dictæ ſunt intemperaturarum in ſingulis temporibus contingentium, quos ſcilicet morbos in vnaquaque natura generabunt: poſteà duorum temporum complecti inuicem intemperaturas, quemadmodum conatus eſt nunc & ipſe Hippoc. facere: iis verò tranſactis omnibus, deinceps trium temporum coniungere omnes ſigillatim intemperaturas: deinde quatuor. Sic enim fuerit integra atque perfecta † meditatio. Hæc igitur & nos fortè aliquando, ſi plus otij nacti fuerimus, ſeorſum ſcribemus. Sufficiat autem impræſentiarum hoc dixiſſe ſolùm, quòd paucos admodum intemperaturarum complexus ſcripſit Hippocrates, adeò vt hæ potiùs quoddam exemplum videantur, quàm pars aliqua iuſta huius diſciplinæ. Dicemus autem pleniùs de ipſis, quum *librum de aquis, & locis, & aëre, & de Epidemiis*

† *γυμνασία, exercitatio.*

miis primum exponemus. Quod verò paulò antea ſum me dicturum pollicitus, nunc adiungens in ipſo finiam orationẽ. Intelligere enim nos oportet omnes, quas ſcripſit Hipp. conſtitutiones, in orbis terrarum locis temperatis accidere: exceptis ab hoc ſermone Thraciæ locis quæ à mari diſtant. Hæc enim in frigiditate atque humiditate longiùs modum exceſſerunt: ſicuti & quæ ad Ægyptum ac Lybiam attinent, loca calida ſunt ac ſicca: exceptis & hic illis quæ mari adiacent locis. In frigidis enim, quales ſunt circa Thraciam ac Pontum locis, quoniam loca mari adiacentia humilia ſunt ob hanc cauſam calidiores habent temperaturas. In calidis verò, quales Ægyptus ac Lybia, quoniam æſtate à ventis ab Arcto flantibus refrigerantur, idcirco minùs ſunt calida iis quæ ad mediterranea receſſerunt. Zona verò exquiſitam habens temperiem ac media orbis terrarum, eſt quæ per Gnidum, & Coon, & quæcunque loca non multum ab his receſſerunt, vel ad Aquilonem, vel ad Auſtrum. Oportet autem quò temperatam zonam nominatam intelligas, vt quandam lineam rectam, extentam per ea quæ dixi loca ad Orientem & Occidentem, concipias: quod perfectè ex iis intelliges, qui talium habent peritiam. Quidam

autem Astrologi non zonas, sed parallelos, *id est, æquidistantes*, vocant tales in terra habitationum similitudines, quæ ab ortu ad occasum protenduntur. Sermo igitur ab Hippocrate habetur de iis præcipuè quæ diximus locis. Ordo autem temporum, sicuti ipse sæpius in *libris Epidemiorum* ostendit, & sicuti ij qui hoc studio excelluêre scripserunt, hic est: Ortus Pleiadum, principium est æstatis: post quas canis ortus oporam, id est fructuum generationem inchoat: quam & ipsam pro secunda parte æstatis ponunt. Post hanc Arcturus oriens, initium facit autumni. Deinde occasus Pleiadum, hyemis principium facit. Deinde quod hyemem sequitur æquinoctium, principium veris habet.

X V.

Τῶν δὲ καταστασίων τοῦ ἐνιαυτοῦ τὸ μὲν ὅλον οἱ αὐχμοὶ τῶν ἐπομβριῶν εἰσιν ὑγιεινότεροι, καὶ ἧσσον θανατώδεες.

Ex anni autem constitutionibus, in uniuersum siccitates imbribus sunt salubriores, & minus mortiferæ.

Quòd melius fuisset inter anteà scriptos aphorismos, in quibus agit de temporum constitutione, hunc primum scribere aphorismum,

rissimum, quem nunc præ manibus habemus, ex ipsis rebus didicimus, quoniam ad confirmandos priores aphorismos hoc etiam eguimus. Et hoc ex necessitate didicimus, quoniam prius est naturâ atque doctrinâ simplex composito. Post illum igitur aphorismum cuius initium, *Austri hebetant auditum, caliginem visui offendunt, caput grauant, tarditatem & languorem inducunt:* primo loco ponemus illum, cuius principium, *Quotidianæ constitutiones, aquiloniæ quidem, corpora in vnum cogunt*: secundo loco nunc propositum: in quo ex omnibus anni constitutionibus siccitates imbribus anteponit, nec sine ratione. Nam in siccitatibus, superfluæ humiditates digeruntur, per imbres autem intra corpus collectæ putrefiunt, nisi quis singulis diebus collectas exercitiis expurget. Quæ enim fit per balneas euacuatio, parua est, & solam ferè cutem euacuat. Quæ autem sunt per carnem & partes profundas ac solidiores dispersæ superfluitates, haud sufficienter balneis euacuantur. Imò ne ea quidem quæ fit per purgantia pharmaca superfluitatum euacuatio idonea est. Nam valdè indigẽtibus, & ex longo tempore, vtilis est: earum verò quæ quotidie generantur in corpore superfluitatum

euacua

euacuatio minor eſt quàm pro medicamenti purgantis efficacitate. Si verò quiſpiam voluerit bis menſe, aut ſemel omnino ſaltem eâ vti, veritus ne ſuperfluitatum multitudo aggregetur, præter id quod nocebit, corpora etiam in malam trahet conſuetudinem. Alimenti ſiquidem pars vna velut ſeroſa eſt & humida, quæ ipſi gratiâ diſtributionis admiſcetur. Altera verò eſt veluti fuliginoſa ſuperfluitas, quæ in pluribus cibis deterioribus continetur: & naturæ operationem ſubterfugit, vt neque aſſimilari corpori, quod nutritur, neque agglutinari queat. Hæ igitur omnes diebus ſingulis ſunt euacuandæ: verùm magis in ſiccis conſtitutionibus euacuantur, quàm in humidis: atque ideò has dixit eſſe ſalubriores.

XVI.

Νοσήματα δὲ ἐν μὲν τῇσιν ἐπομβρίῃσιν ὡς τὰ πολλὰ γίνεται, πυρετοί τε μακροὶ, καὶ κοιλίης ῥύσιες, καὶ σηπεδόνες, καὶ ἐπίληπτοι, καὶ ἀπόπληκτοι, καὶ κυνάγχαι. ἐν δὲ τοῖσιν αὐχμοῖσι, φθινώδεες, ὀφθαλμίαι, ἀρθρίτιδες, στραγγουρίαι, καὶ δυσεντερίαι.

Morbi in pluuiarum multitudine magna ex parte fiunt, febres longæ, alui profluuia, putridi

putredines, morbi comitiales, & apoplexiæ, & anginæ. In ſiccitatibus autem tabitudines, lippitudines, articulorum dolores, ſtillicidia vrinæ, & difficultates inteſtinorum.

Febres quidem longas ex multitudine fieri humiditatis, minimè mirum: ſiquidem ægroti ad morborum ſolutionem egent coctione: plures autem humiditates non niſi in longo tempore concoqui poſſunt. Accedit ad hoc, quòd frigidiores & magis pituitoſi generantur humores in multitudine pluuiarum: ſicuti contra in ſiccitatibus bilioſiores: Quare in temporibus pluuioſis propter id febres erunt diuturniores: in ſiccitatibus autem acutiores. Neque extra rationem eſt, quòd alui profluuia in temporibus pluuioſis eueniant, quum humorum ſuperabundantia per aluum expurgetur: ſicuti etiam quòd eiſdem temporibus putredines fiant: quoniam perſpicuum eſt, humida ſiccis magis eſſe putredini obnoxia: morbi autem comitiales & apoplexiæ ex pituita ortum habent. Angina autem fit nonnunquam ſuperfluitatum multitudine ad fauces collectâ: fit etiam magna ex parte fluxionibus ex capite firmatis in faucibus. Quòd autem in pluuioſis temporibus tum aliæ fluxio

fluxiones, tum maximè ex capite venientes superabundent, manifestum, & dictum est à me sæpius. In siccitatibus autem tabificos morbos ait abundare,& lippitudines,& articulorum passiones, & stiliicidia vrinæ,& difficultates intestinorum, satis (vt mihi videtur) indistinctorum de hisce faciens sermonem. Morbi siquidem tabifici nominati, ad has duas sequuntur constitutiones, ad frigidissimam,ex qua nonnulla ex vasis quæ sunt in respirationis instrumentis,disrumpuntur: & ad alteram, quæ coniunctam habet cum caliditate humiditatem, quarum occasione caput repletum mittit ad pulmonem fluxiones. Ad siccam verò constitutionem, quæ secundum caliditatem & frigiditatem naturaliter se habet, omnia alia magis quàm tabitudines consequuntur. Quare mihi videntur nonnulli fuisse coacti per tabitudines, oculorum vitium intelligere, vt sit sermo huiuscemodi: In immoderatis autem siccitatibus lippitudines tabidæ fiunt, hoc est, ad tabem oculorum terminantur:vnde atrophia & siccitas maior existit quàm naturæ conuenit, etiam cum pupillæ angustia: exiccatis videlicet humoribus, à quibus ipsa distenta mediocriter quidem, modum seruabat naturæ conuenientem: plus verò quàm oporteat,in

vitio

vitiosam latitudinem extendebatur. Si verò ipsas per se dici lippitudines intelligamus, verbum *siccas* adiungemus. Diximus autem priùs causam, ob quam siccæ lippitudines in magnis fiant siccitatibus. Quinetiam articulorum morbi ex fluxionibus quidem, nullo modo in immodicis siccitatibus fient: qui verò ab aliqua acritudine accidunt, cùm caliditas immodica accesserit, tunc solùm euenient. Quas igitur articulorum passiones in siccitatibus dixerit fieri, dignum est inquisitione. Si enim immodicæ factæ consumpserint articulorum humiditatem, difficilem motum ob siccitatem efficient, fortè verò nonnunquam etiam dolorem: eam verò passionem, quæ arthritis nominatur, haudquaquam efficient, nisi quispiam omnem articulorum dolorem ita velit nominare. Atqui ipse in *libro secundo Epidemiorum* ita inquit: *In Æno per famem qui leguminibus vescebantur, infima habebant crura: & qui orobos comedebant, genuum dolores patiebantur.* Non arthriticos, sed genua dolentes ipsos appellauit. Quispiam verò fortassis dixerit, non vnius articuli dolorem, sed multorum simul arthritin nominari: & iuxta hoc genua dolentes, nondum arthriticos appellari. De morbo igitur qui arthritis nominatur,

quodammodo esse composita. Nam miscebatur bene temperatæ constitutioni media inter immoderantiã vtramque,tam eam quæ est secundum caliditatem, quàm alterã quæ est secundum frigiditatem. Cùm verò concessum sit in doctrinis,simplices quidem fieri intemperaturas eas, quæ secundum vnam qualitatem à modo naturæ recesserunt, non simplices autem eas quæ secundum plures: non sine ratione cùm aër ambiens, eâ quæ est secundum siccitatem & humiditatem oppositione,fuerit malè temperatus, in altera autem quæ est secundum caliditatem & frigiditatem bene temperatus, simplicem dicemus esse intemperaturam. Hac igitur habitâ in omnibus consideratione, non est obscurum quàm fiet sermo prolixus de reliquis constitutionibus, & qui paulò anteà dictus est de vesica. Nam vrinæ stillicidia fiunt propter acrimoniam vrinæ, & facultatis retentiuæ, quæ est in vesica, imbecillitatem: quę rursus imbecillitas ex immodica intemperatura aliqua contingit. Cùm verò octo sint immoderantiæ,ob singulas earum debilis vesica erit: atque idcirco ad eam vrinæ stillicidia consequentur. Quinetiam vrinarum acritudines à quibusdam fiunt intemperaturis, & præcipuè ab ea quæ est secundum

caliditatem; tum autem ab ea quæ est secundum caliditatem & humiditatem; tertiò ab ea quæ est secundum humiditatem. Fiet itaque & ob hæc vrinæ stillicidium, demptis iis quæ sunt propriæ vesicæ passiones, ad quas vrinæ stillicidia symptomatis ratione consequuntur: veluti cùm ob vlcus, aut erysipelas, aut abscessum in ea factum, vel inflammationem, aut tale quid aliud, vrinæ stillicidium contigerit. Nunc enim non de his sermo existit, sed solùm de illis quæ aëris ambientis ratione proueniunt: sicuti neque de illis, quæ ex malo victu habent occasionem. Quæ verò de vrinæ stillicidio sunt dicta, hæc etiam à nobis dici in difficultate intestinorum oportet intelligere, de qua neque ipse idem cum Hippocrate sentio. Difficultas enim intestinorum non simpliciter ad siccitates consequitur, nisi priùs distinctio adhibeatur: primùm quidem vt sit summè exuperans siccitas, deinde vt aër ambiens secundum caliditatem & frigiditatem permutetur, deinde & naturæ corporum patientes considerentur. Non autem ita æquum est de Hippocrate dubitare, quoniam primus tantæ artis constitutor, non totam perfecerit, vt de Diocle primùm, & Mnesitheo post ipsum, tum autem & de multis aliis Medicis, qui veras

veras vias Hippocratis vſurpantes, multa particulatim elaborare propoſuêre. Cùm enim oporteret eos, ſi quicquam aliud, eam quæ eſt de temporum conſtitutionibus contemplationem, vt paulò antea propoſui, corrigere, & totam elaborare: omnino contempſerunt. Nos verò hoc facere aggrediemur proprio his dicato opere, ſi priùs hæc, quæ præ manibus habemus, abſoluerimus.

XVII.

ΑΙ δὲ καθ' ἡμέρην καταστάσιες, αἱ μὲν βόρειαι τά τε σώματα συνιστῶσι, καὶ εὔτονα, καὶ εὐκίνητα, καὶ εὔχροα, καὶ εὐηκοώτερα ποιέουσι, καὶ τὰς κοιλίας ξηραίνουσι, καὶ τὰ ὄμματα, δάκνουσι, καὶ περὶ τὸν θώρηκα ἄλγημα, ἤν τι προϋπάρχῃ, μᾶλλον ποιέουσι. αἱ δὲ νότιοι διαλύουσι τὰ σώματα καὶ ὑγραίνουσι, καὶ βαρυηκοΐας καρηβαρίας ποιέουσι, καὶ ἰλίγγους ἐν τοῖσιν ὀφθαλμοῖσι, καὶ τοῖσι σώμασι δυσκινησίην, καὶ τὰς κοιλίας ὑγραίνουσι.

Quotidianæ autem conſtitutiones, aquilonia quidem cogunt corpora, firmiora, & agiliora, coloratiora, & meliùs audientia faciunt, & aluos exiccant, & oculos mordent: & ſi pectus dolor aliquis priùs obſederit, dolorem augent. Auſtrina diffundunt corpora, & humectant, auditum obtundunt, capita aggrauant, & vertigines faciunt, oculis atque corporibus difficilem motum præſtant, & aluos humectãt.

 Cùm

Cùm frigidus ac ſiccus ventus ſit aquilo, omnes quidem corporis conſumit ſuperfluitates : robur autem adiicit ipſis inſtrumentis,ex eo quòd aſtringit,& in vnum ipſa cogit denſando ſubſtantiam. Ob hoc igitur,inquit, omnia meliora fiunt,tum naturæ tum animæ operationes. Nam animæ quidem operationes oſtendit per ea verba : *agiliora, & meliùs audiētia*.Naturæ verò cùm inquit: *coloratiora*. Commune autem vtriſque eſt, *firmiora*. Et clarum eſt quòd ex vno ſenſu auditus, veluti exemplo quodam, etiam de aliis oſtendit. Hæc igitur bonâ adſunt aquiloniis conſtitutionibus,quibus maximè perfruuntur qui ſanum corpus habent,& ex his ipſis humidiores ſunt. Adſunt verò & mala quædam hiſce conſtitutionibus, verùm parua, & non ſimilia malis quæ auſter affert. Cur enim non parua ſint, & aluum cohiberi. ac morderi oculos, & præcedentes dolores pectoris exacerbari? Noſces autem manifeſtiùs ipſorum paruitatem auſtralibus comparans conſtitutionibus,quas dixit diſſoluere corpora. Maximum enim eſt hoc malum ad opus omne, ſiue animæ ſit, ſiue ad vitam pertinens. Non paruum autem etiam malum eſt aggrauatio capitis, & difficilis auditus. De vertiginibus autem quid dicere opor

oportet? vtpote quæ proximæ sunt morbis comitialibus, & iis quos apoplexias nominant: vertigo enim est velut obtenebratio quæ fit humoribus cum crasso vapore per caput moto, & ideò præcedit epilepsiam & apoplexiam. Sed & difficilem, inquit, operantur & oculorum & totius corporis motum, praua autẽ sunt huiusmodi symptomata. Solùm autem est in ipsis quoddam mediocre, quod alvos reddunt humidiores. Hoc autem efficiunt & alia omnia, maximè quidem propter humiditatem, verumetiam propter caliditatem. Et quod in initio sermonis scribitur, melius fuisset ordinem commutare, vt primum quidem foret verbum *humectant*, secundum verò *dissoluunt*, deinde ea quæ deinceps sequuntur. Quia enim humectant, ob hoc etiam singula alia operantur, conferente ad hæc caliditate. Fiunt siquidem operationes per solidas animalis partes, quæ veræ sunt eius partes. Aggrauantur autem & hæ, quapropter etiam deteriùs operantur, propter humiditatum excessum.

XVIII.

Κατὰ δὲ τὰς ὥρας, τοῦ μὲν ἦρος καὶ ἄκρου τοῦ θέρεος, οἱ παῖδες, καὶ οἱ τουτέων ἐχόμενοι τῆ-

σιν ἡλικίῃσιν ἄριστα διάγουσι καὶ ὑγιαίνουσι μάλιστα. τοῦ δὲ θέρεος καὶ τοῦ φθινοπώρου μέχρι μέν τινος οἱ γέροντες. τὸ δὲ λοιπὸν φθινοπώρου καὶ τοῦ χειμῶνος, οἱ μέσοι τῇσιν ἡλικίῃσι.

Quantum ad tempora anni, vere quidem & prima æſtate pueri, & qui hos proximè ſequuntur ætate, optimè degunt, & ſani ſunt maximè: æſtate verò, & autumno aliquatenus, ſenes: per reliquum autem autumnum & hyemem, qui mediam ætatem habent.

Non ſolùm in ætatibus, verùm & in omnibus aliis quæ ſecundùm temperaturam, vel modicè ſe habent, vel immodicè, ſi quis ſermonem in hoc loco Hippocratis examinauerit, verum inueniet. Naturis ſiquidem, ætatibus, & regionibus bene temperatis, optimum tempus eſt, quod optimam habet temperiem: cùm non egeant habitûs ſui permutatione, ſed conſeruatione: cùm rerum vnaquæque à ſimilibus quidem conſeruetur, à contrariis autem tranſmutetur. Quare puerorum ætas, & adhuc magis adoleſcentium, (hæc enim eſt omnium ætatum optima) vere optimè degunt: eandem rationem obtinent quæcunque vel regiones, vel naturæ ſunt bene temperatæ. Adiunxit autem veri principium æſtatis Hippocrates, in latum extendens

dens vniuscuiusque theorematis vsum. Magis autem exactus sermo fuisset, si ita scripsisset. Adolescentes vere, pueri æstatis principio optimè degunt: senibus verò propter temperaturæ frigiditatem æstas vtilissima est: sicuti iis qui in ætatis vigore consistunt hyems maximè confert. Hæc enim contraria est biliosæ illorum intemperaturæ. Sic & naturarum biliosiores quidem, hyeme optimè degunt: pituitosiores autem, æstate: bene autem temperatæ, vere. Similiter & regiones, quæ quidem bene sunt temperatæ, optimum ver habent: ex aliis verò frigidæ æstatem, hyemem verò calidæ. Quinetiam pessima tempora vnicuique ætati atque naturæ & regioni, ex iis quæ dicta sunt, possumus inuenire. Nam maximè contraria sunt optimis pessima. Eâdem ratione etiam media inuenies inter optima & pessima. Illud præterea diligenter animaduertere oportet, quòd ver quidem optimum dicitur esse adolescentibus, aliis verò omnibus medium est. Neque enim optimum est, neque pessimum. Sic & ad naturas & regiones se res habet. Autumnus quidem omnibus malus est ætatibus, naturis, ac regionibus. Minus tamen quàm aliæ ex ipsis læduntur calidæ & humidæ per autumnum.

XIX.

Νοσήματα δὲ πάντα, ἐν πάσῃσι τῇσιν ὥρῃσι γίνεται, μᾶλλον δ' ἔνια κατ' ἐνίας αὐτέων καὶ γίνεται καὶ παροξύνεται.

Morbi, omnes quidem in omnibus temporibus fiunt, quidam verò magis in quibuſdam ipſorum & fiunt & exacerbantur.

Si aëris quidem ambientis temperatura ſola eſſet morborum cauſa, tunc nos omnes quolibet tempore illos morbos pateremur, qui ſunt congruentes temporum naturæ. Nunc verò cùm etiam ob errata quæ in victu contingunt, morbi fiant, omnes quidem in temporibus omnibus fient, plures verò erunt qui ſunt vnicuique tempori naturâ conſentanei. Non parum autem ad hoc confert etiam differentia naturarum. Neque enim ſimiliter ab eadem cauſa calidum corpus, & frigidum, offendi aptum eſt, vel humidum, & ſiccum: ſicuti neque temperatum ſimiliter iſtis, aut illis quæ ſecundum aliquam coniugationem ſunt intemperata, vt antea diximus.

XX.

Τοῦ μὲν γὰρ ἦρος τὰ μανικὰ καὶ τὰ μελαγχολικὰ καὶ τὰ ἐπιληπτικὰ, καὶ αἵματος ῥύσιες, καὶ κυνάγχαι, καὶ κόρυζαι, καὶ βράγχοι, καὶ λέπραι, καὶ βῆχες,

βῆχες, καὶ λειχῆνες, καὶ ἀλφοί, καὶ ἐξανθήσιες ἑλκώδεες πλεῖσται, καὶ φύματα, καὶ ἀρθριτικά.

Vere etenim furores. & morbi melancholici, & comitiales, & profluuia ſanguinis, & anginæ, & grauedines, & raucedines, & lepræ, & tuſſes, & impetigines, & vitiligines, & puſtulæ vlceroſæ plurimæ, & tubercula, & articulorum dolores.

Et quomodo antea rectè ab eo dictum videatur, *Ver verò ſaluberrimum, & minimè mortiferum*, cùm permulti in eo fiant morbi? Videtur ſiquidem † potiùs quodlibet tempus adæquare, ſecundùm morborum quos generat varietatem. Furores etenim, & melãcholici morbi, & comitiales, & anginæ, ſunt morbi autumnales: grauedines autem, & raucedines, & tuſſes, ſunt hyemales. De æſtate autem ipſe deinceps dicet, communionem eius oſtendens cum vere: Æſtate verò quædam horum, ſcilicet priùs dictorum in vere. Ex ſuperabundanti autem, præter † alios morbos, ver profluuia ſanguinis, lepras, & impetigines, & vitiligines, & puſtulas vlceroſas plurimas efficit, tubercula, & articulorum dolores. Hæc quidem quæcunque ſunt verni temporis propria, omnia periculo vacant: & tantum abeſt, vt

† *Alibi legitur* μόνον, *id eſt, ſolum.*

† *In antiq legitur* παρὰ τὰς ἄλλας ὥρας, *id eſt, præter alia tẽpora.*

aphoriſmum illum falſum oſtendant,in quo dixit,*ver verò ſaluberrimum* , *& minimè mortiferum* : vt potiùs ipſum videantur confirmare.Nam hoc ipſo tempore profundum corporis expurgatur , vitioſis humoribus à partibus principalibus ad cutem peruenientibus.Sic igitur & lepræ,& vitiligines,& impetigines, & puſtulæ quædam vlceroſæ multæ generantur.Alio verò modo in tuberculis, & articulorum doloribus , profundum corporis expurgatur , vitioſis humoribus ad loca viliora tranſpoſitis. Quòd autem profluuia ſanguinis multitudinem euacuantes , & vitium humorum , cohibent qui ex ipſis oriuntur morbos,perſpicuum exiſtit.Si verò aliquod corpus bonos humores habens,vernum tempus excipiat, hoc ſeruat ſaluberrimum,nihil ex propria innouãs natura. Non ſic æſtas , vel autumnus , vel hyems. Hæc enim tempora etſi purum corpus , & omni vacans vitio excipiant , illa quidem flauam bilem vltra modum generat,iſte autẽ atram, hyems verò pituitam. Tale quid enim vere contingit , quale in exercitationibus videmus fieri. Etenim hæ quoque ſunt ſaluberrimæ. Verùm ſi hominem pituitâ plenum, vel flauâ bile, vel atrâ, vel ſanguine ipſo volueris exercere , ei morbum comitialem aut apople

apoplexiam exercitatione contrahes: aut si hæc mala non euenient, periculum imminet ne rupto aliquo in pulmone vase, in morbum incidat insanabilem. Multi verò cùm febricitare cœpissent, propter exercitationes acutissimis morbis fuêre correpti. Quibus verò vicem purgationis humorum qui sunt in profundo corporis, exercitatio suppleuerit, ad cutem euocans malorum humorum abundantiam, vlcera & scabies inde generat: & hoc innuens dicebat Hippocrates, *Si impurgatus laboraueris, vlcera erumpent.* Quinetiam verno tempore calor aëris ambientis humores diffundens educit ad cutem; quæ res ipsis exercitationibus persimilis existit. Non solùm autem exercitationum effectibus, Veris opera similia sunt, sed etiam ipsius Naturæ. Huius enim opera sunt, tum occultam per totum corpus facere transpirationem, per quam excernuntur superfluitates, tum etiam corpus in morbis, variis modis expurgare.

XXI.

Τοῦ δὲ θέρεος ἔνιά τε τουτέων, καὶ πυρετοὶ ξυνεχέες, καὶ καῦσοι, καὶ τριταῖοι πλεῖστοι, καὶ τεταρταῖοι, καὶ ἔμετοι, καὶ διάρροιαι, καὶ ὀφθαλμίαι, καὶ ὤτων πόνοι, καὶ στομάτων ἑλκώσιες, καὶ σηπεδόνες αἰδοίων, καὶ ἵδρωα.

Æstate

Æstate autem nonnulli horum, & febres continuæ, & ardentes, & tertianæ febres plurimæ, & quartanæ, & vomitus, & alui profluuia, & lippitudines oculorum, & aurium dolores, & oris vlcerationes, & genitalium putredines, & sudores.

Æstate inquit, nonnullos quidem etiam ex vernis morbis fieri, circa initia eius videlicet. Nam pars quæ finem veris excipit, quemadmodum similem habet cum vere temperaturam, ita etiam morborum generationem. Inquit enim alios quosdam æstate generari illi proprios, veluti febres continuas, & ardentes, & tertianas: &, vt simpliciter dixerim, quæcunque ex flaua bile mala corporibus accidunt. Nam & vomitus, hac per summa natante, fiunt: & ventris profluuia ad inferiora defluente: & lippitudines quoque æstate plurimæ fiunt, vtpote repleto capite: sic & aurium dolores, & alia similia æstate corpus patitur ex capitis repletione, aliàs ad aliam corporis partem excrementum deponentis. Oris autem vlcerationes, quòd propter biliosum humorem contingant, perspicuum existit. Genitalium verò putredines, non simpliciter, sed quando æstas

æstas aut humida magis fuerit, aut nullus flauerit ventus, aut auster in ea abundauerit. Nam cùm plurimum à modo naturæ recesserit ad humiditatem, aut flatuum carentiam non genitalium tantùm putredines facit, sed & cuiuscunque partis alterius: qualis est illa quæ scribitur in *tertio Epidemiorum* constitutio, & in *secundo*, *circa eius initia*. Quæ verò remissæ sunt aëris mutationes, genitalia tentant, vt quæ ob humiditatem ac caliditatem ex quacunque occasione sint parata putrescere. Quare cùm propriam æstas seruauerit temperaturam, qui multis superfluitatibus infestantur, quando hæ aliquam ob causam ad genitalia defluxerint, ipsorum putredines patiuntur. Sudores autem è genere pustularum sunt in summo hærentium corpore, quæ instar vlcerum cutem exasperant. Proueniunt autem, quemadmodum & ipsum ostendit nomen, propter multos sudores, qui vel biliosiores, vel omnino mordaciores existunt; mordent enim hi cutem, & pruriginosam efficiunt, & per modum vlcerum exasperant.† Nõnulli verò antiquorum causam quæsiuerunt, cur assiduè circa sedem & pudenda putredines exoriantur; & aiunt, humiditatem, quæ per ea loca fluit, esse in causa,

† *Hæc in quibusdam antiq. exẽp. reperiũtur*

causa, non enim humida sunt eorum corpora, & maximè pudendi, quippe quod neruosum est.

XXII.

TOῦ δὲ φθινοπώρου, καὶ τῶν θερινῶν τὰ πολλὰ, καὶ πυρετοὶ τεταρταῖοι. καὶ πλανῆτες, καὶ σπλῆνες, καὶ ὕδρωπες, καὶ φθίσιες, καὶ στραγγουρίαι, καὶ λειεντερίαι, καὶ δυσεντερίαι, καὶ ἰσχιάδες, καὶ κυνάγχαι, καὶ ἄσθματα, καὶ εἰλεοὶ, καὶ ἐπιληψίαι, καὶ τὰ μανικὰ, καὶ τὰ μελαγχολικά.

Autumno verò plurimi æstiui morbi fiunt, & febres quartanæ, & erraticæ, & lienes, aqua inter cutem, & tabes, & stillicidia vrinæ, & difficultates intestinorum, & coxendicum dolores, & anginæ, & asthmata, voluuli, morbi comitiales, furores, melancholia.

In autumno, inquit, *æstiuorum morborum permulti fiunt*, manente adhuc æstiuo humore in ipso, flauâ bile scilicet. Neque enim sicuti æstas veri superueniens humores vernos euacuat, ita & autumnus æstiuos, sed contrarium omnino accidit: nam ex partibus extimis ad intimas ducit. Non sine ratione igitur æstatem, inquit, nonnullos ex morbis

morbis vernis generare: autumnum verò non ex æſtiuis aliquos, ſed multos. Quinetiam illo tempore quartanas febres fieri inquit, quia ſcilicet ex atra bile ortum habent: quæ duplicem habet generationem, alteram quidem ex flaua bile ſuperaſſata, alteram verò ex ſanguine craſſo. Fiunt autem & erraticæ febres in autumno, propter temperaturæ inæqualitatem: & lienes magni, ob atræ bilis ſuperfluitatem: prætereà etiam aqua inter cutem ex liene contingit. Et ſi qua diſpoſitio tabida in dubio eſt, maximè autumno deprehenditur, propter frigiditatem ac ſiccitatem, & temporis inæqualitatem, nihilo minùs autem & propter humorum prauitatem. Fiunt autem ob eaſdem cauſas eo tempore maximè vrinæ ſtillicidia. Nam veſica in inordinatis ac repentinis ad calidum & frigidum permutationibus, refrigeratur; & quæ ex malis humoribus fiunt acritudines ipſam moleſtant: & tum præſertim, cùm facta ad frigiditatem ſubita commutatio, eos qui hactenus difflabantur, & per ſudores euacuabantur humores, ad veſicam conuerterit. Læuitates verò inteſtinorum ſunt ſubitæ & ſine vlla omnino tranſmutatione ciborum deiectiones, idque vel propter exulcerationem in ſuperficie ventriculi, aut inteſtinorum,

testinorum, quæ eodem modo fit quo illæ quæ in pueris aphthæ, id est, oris vlcera nominantur, vel propter potentiæ retinentis imbecillitatem. Quorum prius ex mordacibus & substantiam tenuem habentibus humoribus fit: secundum verò ex magna ventriculi atque intestinorum prouenit intemperie. Hæc ambo verò maximè autumno fieri contingit. Coxendicum autem dolores, ex malignitate humorum, & præcipuè frigiditate fieri par est. Anginæ verò ex biliosis humoribus ortum habent, qui ad fauces decumbunt: ab illis quæ vere fiunt, differentes, quoniam illæ sunt pituitosiores. Quinetiam asthmata, tum propter humorum motum ad partes interiores, tum propter frigiditatem fieri consueuerint. Propter hæc etiam voluuli: sunt autem cibi superfluitatum, quæ per aluum inferiorem excernuntur, retentiones: quæ magna ex parte fiunt ex alicuius intestinorum partis inflammatione. Maximè verò par est, vt in frigido, sicco, inæquali, & malos gignente humores tempore, partes ad ventriculum atque intestina attinētes offendantur. Nam æstate genitos tenues & ad motum faciles humores autūnus excipiens, (qui frigidus simul atque inæqualis existit,) ad profundum corporis agit. Sunt autem in

profundo

profundo etiam inteſtina. Morbi verò comitiales accidunt iis,qui naturam habent ad hanc paſſionem procliuem, propter repentinam ad contraria tranſmutationem. Calor enim viget mediâ die, frigus verò in prima & vltima parte. Nihil autem adeò comitiales acceſſiones,ſicuti talis varietas,aptum eſt generare. Furores verò ob tenuium ac biliosorum humorum eueniunt malignitatem, ſicuti melancholiæ ex atra bile, de qua paulò ante dictum eſt.

XXIII.

Τοῦ δὲ χειμῶνος, πλευρίτιδες, περιπνευμονίαι, λήθαργοι, κόρυζαι, βράγχοι, βῆχες, πόνοι στηθέων, καὶ πλευρέων, καὶ ὀσφύος, καὶ κεφαλαλγίαι, ἴλιγγοι, ἀποπληξίαι.

Hyeme verò morbi laterales, & pulmonis inflammationes, lethargi, grauedines, atque raucedines, tuſſes, dolores pectoris, laterum, lumborum, & capitis, vertigines, & apoplexia.

Hyemales morbos poſt autumnales exponens, non eodem modo ſicuti priùs dixit: neque quòd hyeme multi ex autumnalibus fiunt, quanquam priùs de æſtiuis dixit,

vernis ipsos comparans: *Æstate verò fiunt horum nonnulli*: de autumnalibus verò: *Autumno etiam æstiuorum multi.* Nunc verò morbos hyemis simpliciter connumerauit, siue quòd ex communi voluerit hoc quoque in loco nos subaudire dictorum aliquid, siue simpliciter pronunciare, tanquam nihil autumnale tempus cum hyemali communicet. Atqui primas partes hyemis æquum est (atque ita experientiâ comprobatur) cum autumno communicare. Ipse enim inquit: *Æstiua quartana magna ex parte sunt breues, autumnales verò longæ, & præcipuè quæ hyemem attingunt*: nisi quis dixerit, ipsum de illis quæ in extrema autumni parte generantur, facere mentionem. Verùm morbos hyemis proprios hosce vult esse, pleuritides & peripneumonias: quoniam instrumenta respirationi seruientia ex frigiditate læduntur: cùm alia ita bene possimus obtegere, vt nihil, aut minimum sentiant ambientem frigiditatem; respirationem verò nemo potest cohibere, neque aliunde datur respirandi facultas. Ob hanc igitur ipsam frigiditatem, etiam caput oblæsum grauedines, tusses, atque raucedines operatur. Fiunt autem, sicuti dolores laterum ob frigiditatem, sic etiam capitis atque lumborum, &

omnium

omnium partium neruosarum. Vertigines quoque capitis læsiones consequuntur, sicuti & apoplexiæ. Nam hic quoque morbus fit cùm caput repletur pituitâ.

XXIV.

ἘΝ δὲ τῇσι ἡλικίῃσι τοιάδε συμβαίνει, τοῖσι μὲν σμικροῖσι, καὶ νεογνοῖσι παιδίοισιν, ἄφθαι, ἔμετοι, βῆχες, ἀγρυπνίαι, φόβοι, ὀμφαλοῦ φλεγμοναί, ὤτων ὑγρότητες.

In ætatibus autem talia contingunt, paruis, & nuper natis puerulis oris vlcera (quæ aphthæ vocantur) vomitus, tusses, vigiliæ, pauores, vmbilici inflammationes, aurium humiditates.

Quæ ad ætates attinent, diligentiùs elaborauit quàm quæ ad anni tempora, factâ in minores partes diuisione. In puerulis igitur nouiter natis ait fieri aphthas. Sic autem Græci vocant vlcera, quæ superficiem oris occupant, ob mollitiem maximè facta instrumentorum: quæ neque tactum, neque lactis sustinent qualitatem, quod non paruam in se serosam continet partem. Hæc autem pars vim habet abstergendi. Quare non mirum, si in corporibus mollibus quas-

dam superficiarias facit exulcerationes. Vomitus autem tunc his fieri par est, propter lactis quod assumunt multitudinem. Vigiliæ verò haudquaquam ipsis sunt assuetæ, vt qui maiori parte temporis dormiant, nisi fortè ob ipsum morbum fieri infantibus vigilias opinetur: siquidem somni abundantia ipsis maximè secundùm naturam inest. Pauores autem per somnum infantibus adsunt, iis præsertim qui sunt naturâ edaciores, quando loca ad ventriculum pertinentia sensu quidem vigent, sed imbecilla sunt naturâ, cibus verò corrumpitur. Nos siquidem obseruauimus, non in tantillis solùm, sed etiam in ætate perfectis, horrificas fieri per somnos imaginationes, quando multi & vitiosi humores grauant & mordent ventriculum, præsertim ipsius os. Hæc enim ipsius particula præçipuum habet sensum. Nuper enim ex vtero prodeũtes pueruli aëris exterioris eos ambientis trãsmutationem reformidant, vnde illis timores excitantur. Vmbilicorum autem inflammationes non multò antea præcisorum, non sine ratione nouiter natis puerulis accidunt, non secus ac si qua alia pars foret vlcerata. Verùm aurium quoque humiditates morbis annumerat: non tamen & palati & narium in eodem numero ponens:

Hæc addidimus ex antiq. exempl. græc. quæ in aliis desiderantur.

ponens: quoniam naturæ conuenit per nares atque palatum cerebri ſuperfluitates expurgare: & fit hoc etiam iis qui ſunt ætate perfectâ. A natura autem aliena eſt expurgatio per aures. Verùm infantibus tamen per aures cerebrum expurgatur: & rectè Hippocrates inter proprios huius ætatis morbos, etiam aurium ſcripſit humiditates. Eſt quidem totum corpus nouiter natis puerulis maximè humidum, adeò vt etiam oſſium natura in ipſis potiùs cerea quàm lapidea videatur: præ cæteris verò partibus cerebrum humidum exiſtit, vt quod etiam in perfectis talem habeat intemperaturam. Quare non abſque ratione in ipſis quum ſuperfluitates abundent, per omnia foramina excernuntur.

XXV.

Πρὸς δὲ τὸ ὀδοντοφυεῖν προσάγουσιν, οὔλων ὀδαξισμοὶ, πυρετοὶ, σπασμοὶ διάῤῥοιαι, καὶ μάλιστα ὅταν ἀνάγωσι τοὺς κυνόδοντας, καὶ τοῖσι παχυτάτοισι τῶν παιδίων, καὶ τοῖσι σκληρὰς τὰς κοιλίας ἔχουσι.

In progreſſu verò cùm iam dentire incipiunt, gingiuarum prurigines, febres, conuulſiones, alui profluuia, & maximè cùm cani-

nos adunt dentes : & iis præsertim pueris qui crassissimi sunt, & aluos duras habent.

Prurigines quidem gingiuarum fieri, cùm dentes nasci incipiunt puerulorum, nihil mirum. Prurigo enim pruritus quidam est cum pauco dolore. Febres verò, & conuulsiones, atque alui profluuia accidunt pueris qui iam dentire incipiunt, & non adhuc morantur, quemadmodum & ipse ostendit inquiens: *Et maximè cùm caninos adunt dentes.* Consentaneum autem rationi est, perforatis gingiuis à dentibus prodeuntibus, hæc symptomata euenire: quemadmodum vbi stimulus infigitur carni: & sanè plus dentes affligunt quàm stimuli. Hi siquidem semel firmati, in membro quiescunt, cui ab initio infixi sunt: dentes verò semper procedunt tãtum, quantum augentur. Febricitant porrò hac ætate pueruli propter dolores, & vigilias, & inflammationes. Conuulsiones autem eis accidunt tum propter hæc, tum propter crudum alimentum, & quia neruosæ partes nondum satis validæ sunt. Ad hæc omnia etiam ex necessitate ventris profluuia consequuntur, quoniam alimentum non bene coquitur neque distribuitur. Quod autem dicitur: *Pueris qui crassissimi sunt, & aluos duras habent*, ad conuulsiones refertur: cùm his maximè

ximè pueris dicat conuulsiones fieri, qui crassissimi sunt, & aluos duras habent. Tales enim plenum corpus habent, & abundans superfluitatibus, & ideò conuulsionibus facilè capiuntur: maximè verò naturas huiusmodi conuulsiones offendunt.

XXVI.

ΠΡεσβυτέροισι δὲ γενομένοισι παρίσθμια, σπονδύλου τοῦ κατὰ τὸ ἰνίον εἴσω ὤσιες, ἄσθματα, λιθιάσιες, ἕλμινθες στρογγύλαι, ἀσκαρίδες, ἀκροχορδόνες, σατυριασμοὶ, στραγγουρίαι, χοιράδες, καὶ τ' ἄλλα φύματα μάλιστα δὲ τὰ προειρημένα.

Cùm verò iam magis adoleuerint, tonsillæ, & vertebræ quæ est in occipitio ad interiora luxationes, crebri anhelitus, (quos Græci asthmata vocant,) calculi, lumbrici rotundi, ascarides, verrucæ (quas Græci acrochordonas vocant,) satyriasis, stranguria, struma, & alia tubercula, sed præcipuè antedicta,

Primùm quidem scripsit de recens natis puerulis, deinde de illis qui dentes ædunt: nunc verò de iis qui mediam habent ætatem in illos qui iam dentes ædiderunt, & qui sunt pubertati proximi. Nam deinceps *sequenti aphorismo* illorum commeminit,

 qui

qui quartum ordine obtinent locum. Verùm tertiam ætatem, quæ nunc nobis proponitur, quæ vſque ad duodecimum & tertiumdecimum annum progreditur, capi ait paſſionibus, quarum primas tonſillas nominat, quæ ſunt locorum ad iſthmum attinentium inflammationes. Hîc autem per iſthmum oportet intelligere partem illam, quæ os & gulam interiacet, quæ per metaphoram quandam ita nominatur ab iis, qui propriè dicuntur iſthmi. Sunt autem anguſti quidam terræ tranſitus inter duo maria ſitæ. Hæ autem tonſillæ ſunt nonnunquam ſolius tunicæ vẽtriculo ac gulæ & faucibus totíque ori communis inflammationes, nonnunquam verò & ſubiectorum ipſi muſculorum, quando & vertebræ, quæ eſt in occipite, fiunt ad interiora propenſiones, de quibus poſt tonſillas inquit: *Et vertebra quæ in occipitio eſt, ad interiora luxationes* Nam à muſculis inflammationem patientibus vertebra hæc tracta, ad partem inclinat colli anteriorem. Nominauit autem hanc partem Hippocrates, non anteriorem, ſed interiorem, vt ad vertebram retrò locatam, ſuum ſermonem referens. Corporis ſiquidem ad profunda traductio, ſiue ex anterioribus, ſiue ex poſterioribus fiat partibus, per vnum verbum, ſcili

ſcilicet *intrà*, monſtratur. Quid eſt igitur quod Hippocrates in nouiter natis pueruliſ, neque de tonſillis, neque de vertebræ, quæ eſt in occipitio, luxatione aliquid dixit, cùm tamen illi quoque nihilominus cerebrum humidum & plenum habeant ſuperfluitatibus, adeò vt ſubiectis partibus demittat fluxiones? An quia hac ætate priùs moriuntur, quàm ſubiecti faucibus muſculi vnà cum neruis fortem ſubeant inflammationem? Adde quòd hi partes illas habent molliſſimas: atque ideò non poſſunt vehementem ſuſtinere tenſionem, ita vt vertebra intus ad ipſas attrahatur. Quinetiam aſthma (ſic autem Græci vocant crebrum anhelitum, qualis currentibus accidit, aut quouis alio modo ad vehementem actis motionem) in his quidem fit ob exercitium, quod multâ indiget animal reſpiratione: vbi autem non adeſt exercitium, ob anguſtiam earum quæ ſunt in pulmone cauitatum; hæc verò anguſtia fit repleto viſcere ab iis quæ deſuper veniunt fluxionibus: hæ autem fluxiones plures quidem in recèns natis pueruliſ fiunt. Citò autem ipſos interficiunt: quoniam alioqui etiam malè ſe habent. Nam ex vtero ad aërem ambientem tranſitus, & alimenti mutatio, & inflãmatio, primùm quidẽ locorum

ad vmbilicum attinentium, deinde etiam ob dentium generationem, omnia huiusmodi imbecilles reddunt: & vix ea quæ dixi tolerant mala, tantum abest vt ad hæc etiam fluxiones possint sustinere, vbi ad pulmonem decubuerint. Calculus autem proprius est morbus puerorum, qui ob edacitatem non paucos crudos humores coaceruant: ex quibus pars crassior, vnà cum vrinis ad vesicam perueniens, fit lapidum generationis materia. Accedit altera causa, vehementia caliditatis. Aceruant enim & senes humorem crudum non paucum, non propter edacitatem vt pueri, sed propter potentiæ concoquentis imbecillitatem: non tamen calorem fortem habent, qui ex materia crassa vaporem resoluens, lapidem generet. Lumbrici verò atque ascarides videntur aliis animalibus proportionaliter gigni, quæ non ex seminibus, sed ex putredine habẽt generationem. Sola enim putredo non est ad hæc generanda sufficiens, sed & calore plurimo indiget Cibus autem puerulis plerumque corrumpitur in ventre, & præcipuè in inferiore: verùm caliditas in valde tenellis nondum materiam obtinet, in adultioribus autẽ & materia idonea est ad animalium talium generationem, & præterea caliditas accessit. Ascarides igitur

tur ſunt tenues quidam lumbrici, qui in parte maximè inferiore craſſi inteſtini gignuntur, & plurimi manifeſtè apparent in iumentis malè cibum coquentibus : quorum malam coctionem fœtor indicat excrementorum. Aliud verò genus lumbricorum eſt rotundorum, qui in ſuperioribus magis inteſtinis generantur, adeò vt ad ipſum quandoque ventriculum aſcendant. Multo verò plures hi, quàm aſcarides, gignuntur in pueris. Rarior autem eſt lumbrici lati generatio, qui & longiſſimus eſt, & ſæpe per tota extenditur inteſtina. Verùm de hoc nullam fecit Hippocrates mentionem, quoniam neque eius erat propoſitum de omnibus agere paſſionibus quæ mortalibus accidunt, ſed de illis tantùm quæ ſingulis ætatibus accidunt. Ob hanc igitur cauſam ipſe, enumeratis iam dictis, deinceps verrucarum genus, quod Græci acrochordonas vocant, & ſtrumas, adiecit : qui morbi ſunt ſoboles vitioſi ſucci multi ad exteriora & cutem repentis. Omne autem ipſorum genus tubercula nominat, ita deinceps ſcribens : *Acrochordones, ſtrumæ, & alia tubercula.* Quædam autem ex his præcipuè tubercula nominantur : vtpote quædam ſponte naſcentes & ſubitò inflammationes, quæ celerrimè in altum attollun-

tur

tur,& in acumen, & celerrimè etiam suppurantur, & plurima est horum in inguinibus & alis generatio: quoniam & in his partibus plures sunt adenes, qui apti naturâ sunt ad superfluitates promptè excipiendas. Horum morbus struma quoque est, non ex calida materia, neque ad suppurationem properante, sed pituitosiore & frigidiore præcipuè consistens.

XXVII.

Τοῖσι δὲ ἔπι πρεσβυτέροισι καὶ πρὸς τὴν ἥβην προσάγουσι, τουτέων τε τὰ πολλὰ, καὶ πυρετοὶ χρόνιοι μᾶλλον, καὶ ἐκ ῥινῶν αἵματος ῥύσιες.

Grandioribus autem & iam accedentibus ad pubertatem, plurima ex his, & febres diuturnæ magis, & ex naribus profluuia sanguinis.

Incipiunt quidem pueri pubescere post annum quartumdecimum. Qui autem propè ad hanc ætatem accedunt, illi dici possunt qui aut duodecimum, aut tertiumdecimum, aut quartumdecimum agunt annum. Neque enim est vnus omnium certissimus terminus pubertatis, propter caliditatem & frigiditatem temperaturæ. Calidi enim citiùs, frigidi verò tardiùs pubescunt. Laborant autem pueri hi plurimis quidem ex morbis ante-

antea dictis propter similitudinem temperaturæ, & præterea febribus diuturnioribus, quàm priores: non tamen aliquid dixit de his febribus, quæ illâ ætate superabundant: verùm ex eo quod nunc dicitur, manifestè ostendit ipsas acutas esse. Alterantur enim puerorum dispositiones citissimè, propter corporis humiditatem, & naturalis potentiæ imbecillitatem. Sanguinis verò profluuia ex naribus fiunt in tali ætate constitutis, quoniam hic humor in ea incipit superabundare: non quia plus de eo generetur quàm prius, sed quia nunc minùs absumitur ex ipso, propterea quòd augmentum minus est hac ætate quàm priore, vt ad corporis proportionem.

XXVIII.

Τὰ δὲ πλεῖστα τοῖσι παιδίοισι πάθεα κρίνεται, τὰ μὲν ἐν τεσσαράκοντα ἡμέρῃσι, τὰ δὲ ἐν ἑπτὰ μησὶ, τὰ δὲ ἐν ἑπτὰ ἔτεσι, τὰ δὲ πρὸς τὴν ἥβην προσάγουσιν. ὅσα δ᾽ ἂν διαμείνῃ τοῖσι παιδίοισι καὶ μὴ ἀπολυθῇ περὶ τὸ ἡβάσκειν, ἢ τῇσι θηλείῃσι περὶ τὰς τῶν καταμηνίων ῥήξιας, χρονίζειν εἴωθεν.

Plurimi autem morbi puerulis iudicantur, nonnulli quidem in quadraginta diebus, nonnulli in septem mensibus, nonnulli verò in annis

nu ſeptem, quidam verò iam ad pubem accedentibus. Qui verò permanſerint, nec in pubertate finierint, puerulis, aut fœminis cùm menſtrua erumpunt, conſeneſcere conſueuerunt.

Si verbum, *diuturni*, ſermoni adiectum eſſet, melius foret: vnde & nonnulli nomen morbi, de diuturnis tantùm ipſum arbitrantur intelligere. Verùm contra hoc ſunt ſermones tales, quibus ipſe vtitur in aphoriſmis. *In acutis morbis rarò, & in principiis, vti medicationibus, & Tenues victus & in longis ſemper paſſionibus, & in acutis.* Manifeſtum itaque ex his eſt, quòd non de diuturnis tantùm, ſed etiam de acutis, proferre conſueuit Hippocrates morbi nomen. Videtur tamen hoc in loco, aut de diuturnis morbis proferre, aut imperfectum ſermonem protuliſſe. Nos verò ipſum ſupplentes, dicemus ita: Plurimi autem pueris diuturni morbi iudicantur, nonnulli quidem in quadraginta diebus, nonnulli verò in ſeptem menſibus, quidam in ſeptem annis Ex diebus autem, quadrageſimus, morborum diuturnorum primus eſt iudicatorius, vltimus verò eorum qui ex tranſitione ſunt acutorum: ſicuti etiam ſuprà notauimus. Quicunque verò hunc tranſcendunt numerum, ſecundùm

dūm ſeptenarij rationem habent iudicium: non ſeptem iam diebus connumeratis, ſed primùm quidem menſibus, deinde annis. Et quidem quòd qui hoc tempus tranſcendunt, ad quartumdecimum annum perueniunt, eſt manifeſtum. Nam ſecundus ſeptenarius hoc completur tempore: & aliàs in pubertate magnæ fiunt corporis commutationes: in fœminis maximè propter menſtruorum eruptionem. Quare ſi qui morbi ne hac quidem ætate finiuntur, vſque ad longum tempus perdurare conſueuerunt.

XXIX.

Τοῖσι δὲ νεηνίσκοισιν, αἵματος πτύσιες, φθίσιες, πυρετοὶ ὀξέες, ἐπιληψίαι, καὶ τ' ἄλλα νοσήματα, μάλιστα δὲ τὰ προειρημένα.

† *Iuuenibus autem ſanguinis ſpuitiones, tabes, febres acutæ, morbus comitialis, & alij, ſed præcipuè antedicti.*

† *Al. adoleſcētibus.*

Cùm primas ætates ad pubertatem vſque minutiſſimè diuiſerit, neſcio quomodo adoleſcentum ætatem prætermiſerit, quæ medium obtinet locum inter puberes, & illos qui conſiſtentis ætatis vigorem habent. Verū ex aliis quas tetigit, licet & de iſta coniicere: quæ in multis quidem communicat cum illis, quæ ex vtraque parte ipſam circumſtant,

cumstant, sed habet peculiarem in maribus sanguinis ex naribus profusionem, de qua commeminit in illis qui sunt prope pubertatem. Nam hoc symptoma incipit illâ ætate apparere, sed maximè viget in adolescentibus, deinde subsistit in viris. Verùm hanc ætatem transgressus Hippocrates, ad illam quæ est iuuenum, peruenit; & primùm *sanguinis sputum* scripsit, ac *tabem*: deinde *febres acutas*, & post has *morbum comitialem*: deinde post hæc ait, *Et alij morbi, sed præcipuè antedicti*, rectè quidem hoc adiiciens. Nam rem ita se habere indicat visus. At verò non sat plenè de morbis acutis dixit. Neque enim dicere simpliciter oportebat acutos, qui & in pueris nihilominus fieri videntur, sed ex acutis tertianas maximè, & febres ardentes. Hæ enim præ ceteris febribus sunt biliosissimæ, & multis iuuenibus accidunt: quoniam & flaua bilis hac ipsa superabundat ætate, in qua morbi tales in summo vigore consistentibus accidunt. Tabem autem, & sanguinis sputum, non secundum ætatis naturam patiuntur, sed secundum aliquid quod ei accidit: quare antè dicebat, quòd *senes plurimùm minùs ægrotant iuuenibus*, vbi & nos diximus, quòd ob incontinentiam iuuenibus, non ob ætatis imbecillitatem, ægritudines plurimæ

plurimæ accidunt: Secundum hoc igitur & iuuenibus profluuia ſanguinis accidunt, aut quia vulnerantur, aut quia franguntur, aut ſaliunt, aut clamant vehementiùs, vel quia refrigerantur, aut humi cubant, aut replentur, aut propter aliquam huiuſcemodi cauſam. Ad ſputum verò ſanguinis, tabes conſequitur. Quare propter hæc etiam iuuenes ex accidenti ægrotabũt: non primò, neque ætatis ratione. Morbi autẽ comitiales, quamuis malo victu vtantur, tamen ipſis non accidunt multi: vt mihi mirari ſubeat, quomodo & hos Hippocrates ſcripſerit: cùm in aliis, non modò quòd abundant in pueris, dixerit; ſed quòd etiam ex hac cauſa morbus puerilis nominantur, & quòd ætatis mutatione ſanantur. Fiunt igitur & in quibuſdam iuuenibus morbi comitiales, qui priùs non erant, propter victûs errorem, quem in iis quæ aſſumuntur admittunt, & in aliis quæ ab ipſis aguntur operibus, & quia humi cubant, & ſoli ſe exponunt & imbribus, atque aliis ſimilibus. Verùm hi morbi non multi ſunt. Et fiunt quidem alij morbi eâdem ratione. Quare melius fuerat, ita ſcribere aphoriſmum: Iuuenibus autem eueniunt propè omnes alij morbi, quos diximus aliis accidere ætatibus, ſed præcipuè ardores, & tertianæ febres.

XXX.

TOῖσι δὲ ὑπὲρ τὴν ἡλικίην ταύτην, ἄσθματα, πλευρίτιδες, περιπνευμονίαι, λήθαργοι, φρενίτιδες, καῦσοι, διάῤῥοιαι χρόνιαι, χολέραι, δυσεντερίαι, λειεντερίαι, αἱμοῤῥοΐδες.

Vltra hanc ætatem progressis asthma, id est, creber anhelitus, *morbi laterales, pulmonis inflammationes, lethargi, phrenitides, ardentes febres, diuturna alvi profluuia, cholera, difficultates, & lauitates intestinorum, hæmorrhoides.*

Iuuenum ætas quinto septenario terminatur. Iuxta hoc igitur ipse in *Prognosticis* dicebat: *Magis autem expectare oportet sanguinis quidem profluuium in iis qui nondum trigintaquinque annos attigêre.* Nam quæ iuuenibus ætas continuatur, ad septenarios duos sequentes extenditur: in qua ætate omnia vitæ munia æquè atque illi qui in vigenti ætate consistunt, conantur peragere, non tamen eodem modo ad labores sufficiunt. Nam ex adustione, & algoribus, & humi cubatu, vigiliis, atque repletione, plus quàm illi offenduntur. Quinetiam horum temperatura plus atræ bilis habet: atque ideò in ea multi insaniunt: veluti ex anni temporibus, in autumno. Sicuti enim hoc tempus frigidum existens, ruffam excipit

cipit bilem tempore æſtiuo exaſſatam: ſic declinantium ætas iuuenilem, quæ maximè æſtati ſimilatur, ſubſequitur. Et mirandum eſt,cur in ea non ſcripſerit melancholiam. Ego tamen in quibuſdam exemplaribus hanc quoque ſcriptam inueni, ſiue aliquis ſit auſus apponere id quod defecerat, tanquam ab Hippocrate prætermiſſum, ſiue ab aliis hoc factum ſit, qui exemplarium errori fidem adhibuerunt. Moriuntur autem multi ex tabe hac ætate: & ex iuuenibus quicunque ex ſanguinis ſputo in tabem incidunt,, in ea moriuntur. Non tamen hac ætate multi ſanguinem ſpuunt, quoniam neque in talibus ſanguinis eſt multitudo. Aſthmate autem,& pulmonis inflammationibus, ac laterum doloribus magis capiuntur quàm iuuenes, vt qui & victu ſimili, & laboribus etiam vtantur: ſed multò imbecillius quàm illi corpus habent.Et omnino eos quos prætermiſit in ſermone de ætate conſiſtente morbos nominare, eos nunc omnes enumerat. Nam phrenitides, & ardentes febres, & choleræ, & difficultates inteſtinorum nihilo minus iuuenibus quàm declinantibus accidunt, occaſionem ſui ortus ex flaua bile capientes. Diuturniora autem in declinantibus ventris profluuia

contingunt, propter alimenti imperfectam distributionem. Nam omnium ferè ætatum, ea quæ iam declinat paucissimâ indiget corporis refectione, siquidem id quod resoluitur, paucissimum est. Neque enim corpus similiter calidum est sicuti priùs, neque amplius in augmentum quicquam absumitur: adde etiam quòd nec facultate retentrice multum imbecillâ, sicuti in senibus, amplius ex corpore defluit. Cùm igitur ventris profluuia eueniant vel concoctione, vel distributione cessante, tum etiam propter bilis acritudinem abradentis intestinum (hæc autem omnia in declinantibus adsint) non sine ratione in eis alui profluuia diutina sunt. Febres quidem lethargicæ fiunt ex humore pituitoso in cerebro aceruato. Prioribus autem ætatibus humor hic deficit magis quàm superabundat. In senili autem ætate plurimus quidem est: Verùm propter ætatis frigiditatem febres non accendit. In iis autem qui ab ætatis vigore declinant, hic humor superabundat, & nondum corpus frigidum est. Leuitates verò intestinorum ostensæ sunt, aliæ quidem à frigida fieri pituita, aliæ verò à sola intemperatura, quæ vim alui contentiuam reddit imbecillem, aliæ autem ab vlcerosa aliqua fieri dispositione: hæc autem omnia
in

in declinantibus ſuperabundant. Sanguinis verò per ora venarum, (quod Græci hæmorrhoidas vocant) profluuium, verè huius ætatis eſt morbus, ſicuti & melancholię. Fit enim ex atra bile, quando ad venas quæ in ſede ſunt, abundantiùs decumbit. A me quidem omnium enumeratorum morborum cauſa eſt explicata: ſcientia autem probandorum iſtorum, illis adueniet, qui legerint demonſtrationes, quas ſuper his in noſtris ſcripſimus tractationibus: quæ quot ſint, ac quales, & quam doceant artem, legenti librum *De ordine noſtrarum commentationum*, licebit diſcere. Ex his enim promotus, quomodo earum ſingulæ ſint perlegendæ, cognoſcet.

XXXI.

Τοῖσι δὲ πρεσβύτῃσι, δύσπνοιαι, κατάῤῥοι βηχώδεες, στραγγουρίαι, δυσουρίαι, ἄρθρων πόνοι, νεφρίτιδες, ἴλιγγοι, ἀποπληξίαι, καχεξίαι, ξυσμοὶ τοῦ σώματος ὅλου, ἀγρυπνίαι, κοιλίης, καὶ ὀφθαλμῶν, καὶ ῥινῶν ὑγρότητες, ἀμβλυωπίαι, γλαυκώσιες, βαρυηκοΐαι.

Senibus ſpirandi difficultates, deſtillationes cum tuſſi, vrinæ ſtillicidia, vrinæ difficultates, articulorum dolores, & renum, vertigines, apoplexiæ, habitus corporis deprauatio, pruritus totius corporis, vigiliæ: alui, oculorum

 &

& narium humiditates, visus obtusus, glaucedines, auditus graues.

Nonnulli Hippocratis ſectatores τοὺς πρεσβύτας τῶν γερόντων, quaſi dicas, ſenes à decrepitis diſtinguunt: nomen γερόντων vltimæ ætati tribuentes, & hoc perpetuum eſſe exiſtimãtes: ſenes autem in priori ætate ſtatuentes, quæ media eſt inter iuuenes ac γέροντας, decrepitos. Sed nunc manifeſtè monſtrauit, ſe ſenes eos qui extremam agunt ætatem nominare: in ipſis enim ſermonem terminauit, vt qui iam omnes ætates percurriſſet. Hi verò ſæpiſſimè à deſtillationibus quæ ſunt cum tuſſi capiuntur: quoniam partes ad caput attinentes in ipſis facillimè refrigerantur, & ideò multæ in ipſis fiunt pituitoſæ ſuperfluitates, cùm iam multùm frigidam cerebri habeant temperaturam. Aſthmata verò, hoc eſt crebri anhelitus, ex iis deſtillationibus ortum habent: cùm etiam alioqui ipſa ſpirandi inſtrumenta non raro habeant proprium ſui algoris principium: vtpote cùm in ipſis multæ ac craſſæ ſuperfluitates generentur. Et præterea virium imbecillitate præſente, renes ſæpius obſtruuntur, & lapides generantur, quando tenax vel craſſa ſuperfluitas ibi firmata in ſimilem callo ſubſtantiam tranſierit. Articulorum

culorum autem dolores fiunt fluentibus aliquando ad hæc loca ſuperfluitatibus, aliquando verò propter inſtrumentorum, quæ natura ad eorum motionem fabricauit, frigiditatem. Vertigines autem ipſis accidunt ſæpe propter ſpiritum vaporoſum, qui in partibus cerebri inordinato cietur motu. Sæpius verò & in ventriculo vitioſis ſuperfluitatibus aceruatis, ad cerebrum fertur exhalatio vaporoſa. De apoplexia autem quid oportet dicere? Nullus enim morbus adeò eſt ſenili ætati familiaris, quoniam in ea cerebrum pituitoſis repletur ſuperfluitatibus. Si quod verò vlcus aduenerit ſenibus, difficulter ſanatur, propter defectum ſanguinis. Et frequenter ſe ſcalpunt, quod prurigines appellant: quoniam illæ quæ pruritum operantur ſuperfluitates, difficilem habent per cutem euacuationem. Rationabile ſiquidem exiſtit, & cutem in ipſis ex frigiditate denſari, & ſuperfluitates plures ſimul ac craſſiores exiſtere, pluréſque ipſorum (neque enim omnes) continuò vigilant: quod eis accidit, quia & ſenectus plena curarum eſt, & præterea corpus habet exiccatum, vnde tunc etiam magis vigilare contingit, quando integrâ ſanitate fruuntur. Dictum autem à nobis eſt

& in *commentariis de temperaturis*, ipſas quidem corporis partes in ſenectute fieri ſicciores, ſed multitudinem ſuperfluitatum pituitoſarum aceruari : ob quam cauſam à multis putatur ſenectus frigida & humida. In quo autem tempore hæ plures in cerebro aggregantur, fiunt ſenes magis ſomnolenti. In quo verò bene excernuntur, peruigilant. Contingit autem & pauciores ſuperfluitates generari,& citius multò excerni eo tempore quo ſalubriter degunt:vnde & maximè propria paſſio ſenilis ætatis videtur eſſe vigilia. Humiditates autem in ipſis & oculorum & narium, liquet fieri, propter cerebri ſuperfluitates : quibus ad aluum defluentibus,ipſa etiam ſæpius humectatur. Hebetes autem viſus, & graues auditus, propter potentiæ ſenſibilis accidunt imbecillitatem : glaucedines verò propter immodicam inſtrumentorum ſiccitatem, & quia ſpeciem habent ſuffuſionis.

Τμῆμα

Τμῆμα τέταρτον.

GALENI IN APHORISMOS Hippocratis,

COMMENTARIORVM

LIBER QVARTVS.

APHOR. I.

TA'ς κυούσας φαρμακεύειν ἢν ὀργᾷ, τετράμηνα, καὶ ἄχρι ἑπτὰ μηνῶν, ἧσσον δὲ ταύτας, τὰ δὲ νήπια, καὶ πρεσβύτερα εὐλαβεῖσθαι χρή.

Vtero gerentes ſunt medicanda, ſi materia turget, quarto menſe, & vſque ad ſeptimum, ſed hæ minùs: à iuniore autem fœtu & ſeniore abſtinere oportet.

Cum vtero fœtuum connexus eandem habent proportionem, quam fructus cum plantis. Hi ſiquidem in prima generatione debilioribus pediculis continentur, & ideò facilè decidunt, quando vehementior ventus

ipſos concuſſerit:poſteà verò aucti difficilem habent à plantis diſſolutionem: ſicuti rurſus cùm perfecti ſunt, ſponte ſuâ ſine vi extrinſeca decidunt. Eodem modo & conceptus: in primo quidem tempore à ſeminis iniectione, ſi aliquando ſaltare contigerit mulierem, aut in lubrico cadere, ſiue quouis alio modo, vel ſecundum animam, vel ſecundum corpus moueri vehementiùs, facillimè dirumpuntur: ſic etiam quando iam perfecti ſunt. Tempore verò intermedio firmiorem habent coalitum: quare mulier vtero gerens, poteſt fortiores motus ſuſtinere ſine fœtûs offenſione. Quæ omnia Hippocrates noſcens rectà inquit: *Vtero gerentes ſunt medicandæ, ſi materia turget, quarto menſe, & vſque ad ſeptimum,* quod eſt tempus medium fœturæ, cùm fœtus vtero firmiter alligatur. Non tamen omnes, quæ hoc tempore indigent purgatione, permittit purgari: ſed ſi materia turget, inquit, hoc eſt, vrget & premit. Tractum enim vocabulum eſt ab animalibus ad coitum concitatis. Nam cùm ſuperabundantes humores mouentur, & per totum corpus feruntur, nondum in aliqua parte firmati, tunc ad eos expellendos Natura incitatur, & aliquo indiget manum porrigente, & hunc humorum motum ad aluum

aluum deducente. Eos verò qui aliquâ in parte sunt firmati humores, non oportet mouere. Sic enim illud dictum est: *Quicunque inflammationes in morborum principio medicamento conantur soluere nihil de eo detrahunt quod aceruatum est atque inflammatum: neque enim morbus cùm crudus sit, cedit: quæ verò sana sunt, & morbo resistunt, simul eliquant.* Quòd autem Hippocrates verbo *medicari*, pro purgare medicamento, consueuerit vti, omnes confitentur, quicunque vel paruam habent de eius dictione notitiam. Nam vt quispiam alia omittat ipsius volumina, & de solis scriptis aphorismis meminerit, nihil aliud per vocem medicari, in eis posse vllo modo intelligi, paulò pòst fiet manifestum.

Vt demus ante quartum, & post septimum prægnãtes acuto morbo correptas offendi à medicamento, præstat ista ratione lædi vtrũque, quã vt nullo prorsus dato, & matrem & fœtũ de vita periclitari patiamur.

II.

Ἐν τῇσι φαρμακείῃσι τοιαῦτα ἄγειν ἐκ τοῦ σώματος ὁκοῖα καὶ αὐτόματα ἰόντα χρήσιμα· τὰ δ' ἐναντίως ἰόντα, παύειν.

In medicationibus talia educere è corpore, qualia sponte prodeunt, vtile: quæ verò contrario modo prodeunt, cohibere oportet.

Sponte euacuari è corpore dicimus, quæcunque sine aliqua medicatione excernuntur, ídque ea quæ nostrum regit corpus potentia,

tentia, nonnunquam illa per ſe expurgante, nonnunquam ex irritamento aliquo, aut quia à vaſis non continentur. Cùm itaque natura ſuperfluum euacuat, iuuatur animal: cùm verò alioqui excernitur ratione ſymptomatis, neque inde vtilitas vlla prouenit, & talis euacuatio prauæ diſpoſitionis eſt ſignũ. Rectè igitur Hippocrates conſulit imitari naturam. Eſt autem imitatio, in vnoquoque morbo tales humores euacuare tentando, quales nouimus in ſpontinis prodeſſe euacuationibus. Priùs itaque dictum eſt ab ipſo, de omni ipſorum euacuatione generaliùs, hoc modo: *Sic & vaſorum inanitio, ſiquidem talis fiat qualem fieri oportet, confert, & leuiter ferunt.* Nunc verò de ſola purgatione eundem fecit ſermonem, quoniam de hac docere propoſuerat in præſentis libri loco. Melius verò fortaſſe fuerit de omnibus euacuationibus, quas Medici moliuntur circa ægrotantium corpora, ſermonem repetere. Fiunt igitur hæ aliquando per medicamenta totum corpus expurgantia, per vomitus & deiectiones: nonnunquam verò medicina partis alicuius eſt euacuatiua, veluti quæcunque per palatum & nares à capite abducunt ſuperfluitates. E genere autem ſuperfluitates expurgantium ſunt, quæ per tuſſim

expur

expurgant quæcunque in pectore sunt atque pulmone, & quæ per vrinas abducunt totius sanguinis serosam superfluitatem. Clysterem quoque ex hoc genere feceris, & quodcunque aliud totum corpus æqualiter non euacuans: quemadmodũ & venæ sectio creditur euacuare, & omnino sanguinis missió quæcunque & quouis modo facta. Ex talibus autem est euacuationibus, quæ per vterum fit, & per ora venarum sedis: siue per exercitia, & frictiones, siue per quemlibet motum, atque calorem: & balneas calidas, præsertim nitrosas, sulfureas, & bituminosas: & ex accidenti inedia. Hæc siquidem omnia videntur totum æqualiter corpus euacuare. Si quis tamen exactiùs perquirat, non æqualiter inueniet euacuare: verùm in his, cùm sit paruus excessus alterius ad alterum secundum eorum quæ euacuantur qualitatem & quantitatem, ideò æqualis euacuatio videtur: quæ autem pharmaca purgatoria nominantur, speciem faciunt euacuationis manifestè differentem, de quibus, vt dixi, nunc ipsi docere est propositum: non tamen quicquam plus docet quàm quod de omnibus euacuationibus ipse iam dixit. Vna etenim est omnium intentio, humor superabundãs: cuius notitia est perquirenda ex eo, qui in toto corpore

præter

præter naturam color repræſentatur, & præ-
tereà ex ſymptomatis, & morbis, & tempo-
re,& regione,& ætate,& aëris conſtitutione,
& natura ægrotantis, & vitæ inſtituto, & vi-
ctu. Veluti (ſi ita contigerit) colore ruffo in
toto corpore apparente : quemadmodum in
illis qui regio morbo laborant,non efficuacua-
tâ per ſedem bile ; aut puſtulis aliquibus bi-
lioſis per totum corpus diſperſis ; particula-
tim autem, ſi moroſus in ventriculo aliquis,
atque faſtidium cibi ſentiatur, & appetitus
deiectus, ſitis, oris amaritudo, aut in aliqua
parte corporis ſit eryſipelas, aut tertiana fe-
bris hominem habeat,aut ex ardentibus illa
quæ ex amara fit bile. Nam in his omnibus
flaua bilis abundat:atque idcirco conabimur
ipſam educere illis medicamentis quæ cho-
lagoga,id eſt,bilis eductiua ab effectu nomi-
nantur. Et hoc eſt quod ab Hippocrate dici-
tur: *Si qualia oportet purgari purgentur, con-
fert, & leuiter ferunt.* Quod enim dicitur,
qualia oportet, ſuperabundantiam ſignificat
ſuperfluitatum ſuâ qualitate infeſtantium
ægrotantem. Ob hanc igitur cauſam ait ta-
les cõferre euacuationes. Sed quoniam om-
nes artificioſæ in actionibus coniecturæ ali-
quando aberrant (ſimilitudines etenim, vt
ipſe inquit, non ſolùm vulgus, ſed etiam
Medicos

Medicos eruditos aliquando decipiunt) alterum nobis dedit indicium bonarum euacuationum, tolerantiæ facilitatē, vt & in hoc fiduciam habeamus, quòd rectè fecerimus euacuationem. Quod autem de flaua bile dixi, veluti per exemplum, hoc idem mihi & de atra intellige. Nam & in hac color totius corporis ad nigritiem tendit, & pustulæ nigræ fiunt ex atræ bilis colore, & quicunque morbi ex eius fiunt exuperantia, multitudinem humoris indicant manifestè: quemadmodum elephas, cancer, & quartanus circuitus ex melancholico humore generantur: & lien magnus, & varices denigratæ sunt eiusdem humoris alumni morbi; quemadmodum & quæ melancholia nominatur, & omne mentis delirium, furibundum, temerarium, & ferinum. Hippocrates verò etiam ex menstruis superabundantem in fœminis humorem coniectabatur: & scripta sunt ab eo indicia in *primo libro De mulieribus*. Ex his igitur, quòd atra bilis abundet, dignoscere oportet: & has habentem intentiones, ad eius accedere euacuationem. Secunda autem in ipsa euacuatione intentio habenda, est tolerantiæ facilitas. Quæcunque verò de atra bile & flaua sunt dicta, hæc mihi & de pituita intellige: tumores œdematosos,

pustulas,

pustulas, & totius corporis colorem secundum humoris speciem,& febres quotidianas, & mentis pigritiem atque torporem,& somnos profundos,& capitis grauitates,& quosdam acidos ructus, quando in ventre superfluitas aderit.Hæc enim omnia suadẽt medicamẽtum dare pituitam purgans.Factâ verò iam purgatione, tolerantiæ facilitas attestabitur dignotioni,& ei, quam ausus es facere propter ipsam,euacuationi.Ad dignotionem verò,& spem euacuationis,habes etiam conferentem aliquid non solùm ætatem,vel naturam ægrotantis:sed etiam anni tempus, & præsentem constitutionem, prætereà & regionem, & victum antecedentem, vnà cum aliis vitæ institutis. Etenim didicisti, quòd horum omnium,nonnulla pituitam,nonnulla flauam bilem, nonnulla atram exaugent. Hæc quidem omnia, vt dictum est, sunt intentiones exhibendi medicamentum vim habens humorem infestantem expurgandi. In ipsa verò euacuatione altera erit intentio, vel nobis ferens recti iudicij testimonium,vel erroris. Recti quidem iudicij,tolerantiæ facilitas; erroris autem, difficultas. Nam infestantibus superfluitatibus euacuatis,facilè tolerabunt ęgrotantes.Si quid verò aliud,& non quod infestat, euacuatur,necessarium

ſarium eſt omnino malè tolerare. Quod igitur, vt dixi in *principio libri*, per vnum oſtendit aphoriſmum, ita ſcribens; *Sic & vaſorum exinanitio, ſiquidem talis fiat qualem fieri oportet, confert, & leuiter ferunt*: id in hoc loco nunc in duas ſecans partes in medicationibus, per priorem quidem ſermonem, quæ ſint conferentes purgationes; per alterum autem qui ſequitur, quòd tales euacuationes firmum indicium ſubſequitur facilitas tolerantiæ, docet. Exempla verò ipſe appoſuit earum quæ ſponte fiunt euacuationum ad bonum, multa quidem in *libris Epidemiorum*, pauca verò in hoc ipſo libro Aphoriſmorum: qualia huiuſmodi ſunt. *Ab aqua inter cutem laboranti, per venas in ventrem aqua fluente, ſolutio. Si lippitudo adſit, ab alui profluuio capi, bonum. Quibus bilioſa ſunt deiectiones, ſurditate ſuperueniente, ceſſant: & quibus ſurditas, bilioſis ſuperuenientibus ceſſat.*

III.

ΗΝ μὲν οἷα δεῖ καθαίρεσθαι, καθαίρωνται, ξυμφέρει τε καὶ εὐφόρως φέρουσι. τὰ δ' ἐναντία, δυσχερῶς.

Si qualia oportet purgari purgentur, confert, & leuiter ferunt: contraria verò grauiter.

Priùs hic aphoriſmus à nobis expoſitus eſt in præcedentis aphoriſmi expoſitione ſcriptus etiam in ſuperiori libri parte, iiſdem verbis: quare & nonnulli eum de hoc loco ſuſtulerunt.

IV.

Φαρμακεύειν θέρεος μὲν μᾶλλον τὰς ἄνω, χειμῶνος δὲ, τὰς κάτω.

Medicari æſtate ſuperiores magis, hyeme verò inferiores.

Subaudire oportet, videlicet ventres. Rectè autem æſtate quidem purgat ſuperiùs, quoniam & qui tunc humor ſuperabundat flaua bilis eſt, & omnino tota natura animalis propter ambientem caliditatem magis ad ſuperiora mouetur. Quælibet autem ſuperfluitas eò quò vergit ducenda per loca conuenientia: quemadmodum ipſe in *libro de humoribus* ſcripſit. Addidit huic aphoriſmi ſermoni verbum *magis*: neque ſimplíciter dixit, Medicari æſtate ſupera, hyeme verò inferiora. Nam etſi non ſæpius, rarò tamen tempore æſtatis humor melancholicus viſus eſt ſuperabundare, ſicuti hyeme aliquando flaua bilis.

V.

Ὑπὸ κύνα καὶ πρὸ κυνὸς, ἐργώδεες αἱ φαρμακεῖαι.

Sub Cane & ante Canem, difficiles sunt medicationes.

Exusta enim tunc nostra natura, eam quæ à medicamentis purgantibus existit, non fert acritudinem. Quare & plures purgati hoc tempore incidunt in febres: & natura ex æstu imbecillis: magis ex purgatione dissoluitur. Et quidem purgatio hæc praua fiet, cùm calor aëris ambientis in partem trahat extrinsecam, contrariam ei ad quam medicina ducit humores. Sicuti enim balneæ calidæ naturâ aptæ sunt obsistere purgationibus; sic & calor æstatis: & tunc præcipuè, cùm seipso vehementior calor extiterit.

VI.

TOὺς ἰσχνοὺς καὶ ῥηϊδίως ἄνω φαρμακεύειν, ὑποστελλομένους χειμῶνα.

Graciles & facile vomentes, purgare superiùs, cauentes hyemem.

Hìc addere oportet, quod paulò antea dictum est verbum, *magis*. Magna enim ex parte graciles sunt biliosi. Si igitur hoc accesserit, vt sint ad vomendum faciles, sunt per superiora purgandi: nisi obsistat hyems. Nam suprà dictum est, *Æstate magis superiores, hyeme autem inferiores purgare oportet.*

VII.

TΟὺς δὲ δυσημέας, καὶ μέσως εὐσάρκους κάτω, ὑποστελλομένους θέρος.

Vomentes verò difficulter & mediocriter carnosos, per inferiora, cauentes æstatem.

Si quidem facilis ad vomendum, & gracilis sit, per superiora purgandus est, nisi sit hyems: hoc est æstate, autumno, & vere. Si verò difficulter vomat, & mediocriter carnosus sit, per inferiora, si res vrgeat, solùm cauendo æstatem: aliud autem anni tempus non oportet cauere.

VIII.

TΟὺς δὲ φθινώδεας, ὑποστελλομένους τὰς ἄνω.

Tabidos verò, cauentes superiora.

In tabidis nunquam medicationes ad superiora duxeris, veritus scilicet instrumentorum, quæ respirationi obseruiunt, imbecillitatem. Per tabidos autem intelligere oportet eos, qui morbum à Græcis phthisin noninatum patiuntur, vel qui ad eum sunt naturâ proni: de quibus ipse in *primo libro Epidemiorum* scribit: *Et maximè moriebantur quibus natura ad tabem prona erat.* Est autem his pectus angustum, & qui in eo continetur pulmo.

Τοὺς

IX.

TOὺς δὲ μελαγχολικοὺς ἁδροτέρως τὰς κάτω, τῷ αὐτῷ λογισμῷ τ' ἀναντία προστιθέντες.

Melancholicos verò pleniùs per inferiora: eadem ratione contraria apponentes.

Ventres autem, videlicet inferiores melancholicorum, oportet pleniùs medicari. *Pleniùs* autem dixit, pro fortiùs. Quia autem ad inferiora declinat hic humor propter grauitatem, non ſine ratione ipſum iubet per ventrem inferiorem euacuari: ſicuti flauam bilem per ſuperiorem, quum ſit leuis humor, & ſponte continuò fluitet. Commune quidem eſt ambobus, vt ducantur quò vergunt, per loca conuenientia: proprium verò alterius humorum, per ſuperiora loca euacuari, quoniam ad hæc vergit: alterius verò per inferiora, quoniam & ad iſta declinat. Contraria itaque eſt per ſuperiora euacuatio illi, quæ fit per inferiora: quorum vtrumque fit ſecundum vnam communem rationem. Quare & rectè dixit Hippocrates: *Eâdem ratione contraria apponentes.*

X.

ΦΑρμακεύειν ἐν τοῖσι λίην ὀξέσιν, ἢν ὀργᾷ, αὐθημερόν. χρονίζειν γὰρ ἐν τοῖσι τοιούτοισι κακόν.

Medicari in valdè acutis, si materia turget, eâdem die: tardare enim in talibus malum est.

Dictum est & à me prius, quòd verbum, *turget*, Hippocrates transtulit ab animalibus quæ ad coitum incitantur, cùm naturali quadam concupiscentiâ mouentur ad seminis excretionem. Ostensum est enim in *libris de semine*, quòd fœmina etiam in coitu semen excernit. Quando igitur vel in toto corpore similis huic fuerit naturæ impetus ad excretionem superfluitatum: vel si non in toto corpore, saltem in partibus principalioribus: tale quid consueuit Hippocrates per verbum, turgere, significare: & statim per medicamentum euacuationem faciendam indicat, priùs videlicet quàm robur corporis dissoluatur, vel febris caliditas augeatur, aut ad aliquod membrum principale decumbant ij qui per corpus vagantur humores. Quòd autem valdè acutos morbos nominauerit, quos priùs peracutos dixit, vnicuique liquet. Et quidem quòd iudicationis horum terminus est prima septimana, dictum quoque à me priùs hoc est.

Ὁκόσοι

XI.

Οκόσοισι στρόφοι κỳ περὶ τὸν ὀμφαλὸν πόνοι, κỳ ὀσφύος ἄλγημα μὴ λυόμενον, μήτε ὑπὸ φαρμακείης, μητ' ἄλλως, εἰς ὕδρωπα ξηρὸν ἱδρύεται.

Quibus adsunt termina, & circa vmbilicum labores, & lumborum dolor, qui neque à medicamento, neque aliter soluitur, hydrops siccus contrahitur.

Tormina fiunt & propter morſum vehementem, & ſpiritum flatuoſum qui non habet exitum, ſed in inteſtinorum inuolucris eſt interceptus. Quòd verò dolores ad tales diſpoſitiones conſequantur,nemini dubium. At cùm circa vmbilicum ac lumbos ſe firmauerint, neque à medicamentis, neque aliis ſoluuntur auxiliis, quædam eſt earum partium habitualis intemperatura: quæ magna ex parte perſeuerans, eum Hydropem conſtituit, qui ab Hippocrate ſiccus nominatur. Vocatur autem hic morbus à poſterioribus Medicis tympanias: quoniam imus venter percuſſus talem ſonum edit qualem tympana. Nam in illis per cutem extentam aër percutitur, quemadmodum & ille qui in † profundo locatur in tali morbi genere. Quòd verò hoc morbi genus hydropem Hipp. ex tumoris ſimilitudine nominet, eſt

† *Alibi legitur,* τῷ πάθει, *id eſt, in paſſione.*

manifeſtum. Non tamen humidus eſt, ſicuti qui aſcites ab vtris ſimilitudine dic tur : in quo materia collecta non eſt flatuoſus aër, ſed humor aquoſus. Videtur autem à maiori frigiditate generari aquoſus hydrops, quem aſciten vocant: quoniam veluti in vtre quodam, in peritonæo humor continetur : à minore autem tympanias. Neque enim humida ſubſtantia in flatuoſum aërem ſine calore aliquo poteſt tranſmutari.

XII.

Ὁκόσοισι κοιλίαι λειεντεριώδεες, χειμῶνος φαρμακεύειν ἄνω, κακόν.

Quorum alui inteſtinorum lauitate laborant : hyberno tempore per ſuperiora purgari, malum.

Quando celeriter ea quæ comeduntur, deiiciuntur, qualia ſunt aſſumpta, hunc morbum læuitatem inteſtinorum nominant. Fit porrò ex facultatis retētricis debilitate: conſequitur autem ad omnium quæ ad aluum pertinent inſtrumentorum intemperaturas, hoc eſt ipſius ventriculi, in quem cibos deuoramus , & eorum quæ illos ex hoc ſuſcipiunt atque tranſmittunt inteſtinorum. Fit autem quandoque etiam læuitas inteſtinorum ex aliqua ſuperficiem occupante exulceratione , ſimili illis quæ in ore fiunt, quas Græci

Græci aphthas nominant. Intemperaturæ autem nonnunquam fiunt habituales, (sic verò nominant illas, quæ ipso corporum habitu læso fiunt) quandoque propter frigidam pituitam, qualis est acida maximè. Earum autem quæ in superficie hærent exulcerationum causa est humor acris & tenuis. Hic igitur etsi per superiora purgari debet, quoniam huiuscemodi humores magis fluitare soleant, quàm ad inferiora secedere: non tamen hoc hyeme faciendum est: sicuti etiam superiùs est dictum. Alter verò pituitosus, quando adhæserit intestinis, nunquam est per superiora purgandus, hoc est, per vomitoriam medicinam. Sola enim quæ vomitu naturâ apta sunt, quæ in ventriculo continentur: eorum verò quæ continentur in intestinis, nihil potest per vomitus euacuari.

XIII.

Πρὸς τοὺς ἐλλεβόρους τοῖσι μὴ ῥηϊδίως ἄνω καθαιρομένοισι, πρὸ τῆς πόσιος προϋγραίνειν τὰ σώματα πλείονι τροφῇ, καὶ ἀναπαύσει.

Qui non facilè per superiora purgantur, ad veratrum admittendi sunt, pleniore cibo & quiete corporibus ante potionem humectatis.

Priùs oportet tentare eum qui elleborum sumpturus sit, quomodo se habeat ad supe-

 riores

riores purgationes, hoc est, ad eas quæ fiunt per vomitiones: fiat autem periculum per medicamenta vomitoria, quæcunque sunt mediocria. Si igitur de facili non purgari videatur, non oportet huiuscemodi hominem ad helleborum ducere antequam præparetur. Hoc autem fiet, si per continuos vomitus adsuescat is, qui est sumpturus helleborum, ad promptè vomendum. Verùm hoc, vt paruum aliquid atque omnibus notũ, Hipp. prætermisit. Meliùs autem fieret priùs humectando corpora. Præhumectantur autem plurimo alimento, atque quiete: & de quiete quidem clarum est. Sicuti enim exercitia sunt apta naturâ exiccare, sic & quies (quod otium est, & ab exercitatione vacatio) seruat humiditatem. Cibus verò non simpliciter plenior est aptus naturâ humectare, sed quicunque nullam habet fortem qualitatem, hoc est, neque acerbam, neque acrem, neque salsam, neque amaram. Fortè autem neque simpliciter cibus talis est appellandus, sed cibus medicinalis: sicuti illi, qui est cibus simpliciter, soli hoc inest ex omnibus, vt ex sua natura, non autem ex accidenti, solidas partes animalis humectet: cùm hoc ipsum non per se, sed ex accidenti aliquo, faciat quies. Quia enim eam, quæ prouenit ex cibo, humidita

midìtatem non exiccat, idcircò dicitur humectare. Aqua verò neque epota, neque extrinsecùs occursans, naturâ apta est solidas animalis partes humectare. De talibus autem perfectiorem possit quispiam habere doctrinam, legendo librum nostrum *de Potentiis naturalibus*, & librum *de Tabe*.

XIV.

Ἐπὴν πίῃ τις ἐλλέβορον, πρὸς μὲν τὰς κινήσιας τῶν σωμάτων μᾶλλον ἄγειν· πρὸς δὲ τοὺς ὕπνους καὶ μὴ κινήσιας ἧσσον. δηλοῖ δὲ καὶ ἡ ναυτιλίη, ὅτι κίνησις τὰ σώματα ταράσσει.

Cùm biberit quis helleborum, ad motiones quidem corporum ducere magis: ad somnos verò atque quietem, minùs. Indicat autem nauigatio, turbari motione corpus.

Ipse attulit causam, ob quam eorum corpora moueri præcipiat, qui assumpserunt helleborum. Quies siquidem in eodem statu conseruat, motus verò transmutat, atque alterat corpus: vt indicat nauigatio, quæ motus quidem est, turbat autem corpora adeò vt excitet vomitum. Cùm igitur talis motus vel solus possit ad vomitum corpus præparare, fit sanè rationabile, vt si vomitorio medicamento coniungatur, longè maiorem habeat efficaciam. Quidam pro nauigatione nauseam

nauſeam ſcribunt,vt ſit ſermo talis:Oſtendit autem, & nauſea,quæ vehementioribus corporis aduenit motionibus, ex motione corpus perturbari. Liquet autem quòd & hic ſermo eandem vim habet cum priore.

XV.

Ἐπὴν βούλῃ μᾶλλον ἄγειν τὸν ἐλλέβορον, κίνει τὸ σῶμα. ἐπὴν δὲ παύσῃ, ὕπνον ποίει, καὶ μὴ κίνει.

Cùm voles helleborum magis ducere, moue corpus: cùm verò ſiſtere, ſomnum inducito,nec moueto.

Prior quidem aphoriſmus,quomodo oporteat hominem qui helleborum ſumpſit, ad purgationem præparare,nos docuit:præſens verò quomodo ſiſtere purgationem. Non eſt autem abſque ratione, quòd ea quæ ſiſtunt purgationem, ſint contraria iis quæ vomitum cient. Si igitur motiones cieant, ſiſtent quietes: & multò magis ſomnus, in quo vires animales quieſcunt, tum quæ per ſenſus feruntur, tum etiam quæ per muſculos, in motibus voluntariis.

XVI.

Ἐλλέβορος ἐπικίνδυνος τοῖσι τὰς σάρκας ὑγιέας ἔχουσι, σπασμὸν γὰρ ἐμποιέει.

Carnes

Carnes sanas habentibus helleborus periculosus: facit enim conuulsionem.

Quod in præcedentibus dixerat de omnibus purgationibus, hoc nunc de ea sola dicit quæ fit per helleborum: ita vt duo aphorismi possint inuicem iungi, tali modo: qui corpore bene se habent, difficile est medicari. Sic ergo & helleborus carnes sanas habentibus periculosus: conuulsiones enim facit. Habet namque helleborus istud præcipuum, facere conuulsionem, propter virium vehementiam.

XVII.

Ἀπυρέτῳ ἐόντι ἀποσιτίη, καὶ καρδιωγμὸς, καὶ σκοτόδινος, καὶ στόμα ἐκπικρούμενον, ἄνω φαρμακείης δεῖσθαι σημαίνει.

Eum qui non febricitat, cibi fastidium, morsus oris ventriculi, vertigo, & oris amaritudo, purgatione indigere per superiora significant.

Ἀποσιτία quasi dicas inediam, idem significat quod ἀνορεξία, cibi fastidiũ. Cardiogmos autem est morsus cordis, hoc est oris ventriculi. Veteres enim hoc quoque cardiam, id est, cor nominârunt. Vertigo autem est, quando quæcunque conspicimus, videntur circumagi, ac simul perit derepentè sensus visûs:

visus: cùm ipsi ægroti putent circunfundi tenebras. Fit autem hoc ore ventriculi à malis humoribus morso. Nam propter neruorum magnitudinem, qui ad ipsum à cerebro veniunt, hac parte patiente, animæ opera detrimentum patiuntur. Hæc quidem symptomata sunt communia humorum omnium mordacem habentium naturam. Oris autem amaritudo solius pallidæ aut flauæ bilis est. Quare rectè, dictis symptomatis inquit Hippocrates significari, quòd oporteat purgari per superiora: quod explanatum talem habebit interpretationem: Huiusmodi symptomata significant Medico, indigere hominem purgatione per superiora, hoc est, per vomitiones.

XVIII.

ΤΑ' ὑπὲρ τῶν φρενῶν ὀδυνήματα, ὁκόσα καθάρσεως δέονται, ἄνω φαρμακείης δηλοῖ σημαίνει. ὁκόσα δὲ κάτω, κάτω.

Dolores qui sunt supra præcordia, quicunque egent purgatione, medicari oportere per superiora significant. Quicunque autem infra subsistunt, per inferiora.

Hic aphorismus, quod superior de vno dolore docuit oris ventriculi, hoc ad omnes extendit dolores quicunque supra præcordia consistunt: purgatione videlicet indigen-

tes

tes consulens per superiora purgari. Quicunque verò infra præcordia, clarum est quòd hi per inferiora purgationem requirunt. Addidi autem sermoni *purgatione indigentes*, ne quis fortè arbitretur, curare Hippocratem omnes dolores simpliciter per euacuationem. Neque enim nunc dicit hoc; sed quòd secundum humorum infestantium propensiones, oportet etiam facere euacuationes: & neque supra præcordia constitutos dolores, per subducentia medicamenta euacuare: neque infrà consistentes, per vomitiones.

XIX.

Ὁκόσοι ἐν τῇσι φαρμακοποσίῃσι μὴ διψῶσι καθαιρόμενοι, οὐ παύονται πρὶν ἢ διψήσωσιν.

Qui in medicamentis purgati non sitiunt, non cessant priusquam sitiant.

Qui purgantur nonnulli statim sitiunt, nonnulli posteà. Et fit hoc ratione ipsius vētriculi, & propter datum medicamentum, & propter humoris qui vacuatur naturam. Ventriculi quidem ratione, vt qui ex caliditate, vel siccitate, vel ambabus qualitatibus promptè ad sitiendum perducatur: siue hoc naturâ insit ei qui biberit medicamentum,

tum, siue illo solùm tempore. Ratione autem medicamenti, cùm acre fuerit, & calidum, ac mordax. Propter humorem verò euacuatum, quando bilis amara fuerit. Hisce quidem de causis fiunt sitibundi: ex contrariis verò longo tempore sine siti perseuerant, quando videlicet, vel frigidiorem, vel humidiorem ventriculum habuerit homo qui purgatur, vel ab initio, vel in tempore purgationis: vel quando medicamentum omni vacat mordacitate: & tertiò quando humor pituitosus aut aquosus qui vacuatur extiterit. Verùm in his quoque, quando abundè fuerint euacuati, quædam consequitur sitis. Sufficiens etenim est ea quæ ex euacuatione prouenit siccitas, hanc efficere; accedit præterea medicamenti pùrgantis vis, habentis aliquam, etsi neque manifestam, neque sensibilem, attamen latentem acritudinem ac caliditatem.

XX.

Ἀπυρέτοισιν ἐοῦσιν ἢν γίνηται στρόφος, καὶ γουνάτων βάρος, καὶ ὀσφύος ἄλγημα, κάτω φαρμακείης δεῖσθαι σημαίνει.

Non febricitantibus si tormina acciderint, & genuum grauitas, & lumborum dolor, purgari per inferiora oportere significatur.

Sicuti

Sicuti paulò anteà docuit ſigna eorum quos oporteat purgare per ſuperiora, ita nunc docet per quæ cognoſcat aliquis, quando oporteat per inferiora purgare. Eſt autem communis vtriſque ratio in differentibus ſymptômatis. Nam prô motione noxiorum humorum, facere oportet euacuationes.

XXI.

Υποχωρήματα μέλανα, ὁκοῖον αἷμα μέλαν· ἀπ' αὐτομάτου ἰόντα καὶ ξὺν πυρετῷ καὶ ἄνευ πυρετοῦ, κάκιστα. καὶ ὁκόσῳ ἂν τὰ χρώματα ὑποχωρημάτων πλείω ᾖ πονηρότερα ἦ, μᾶλλον κάκιον. ξὺν φαρμάκῳ δὲ, ἄμεινον. καὶ ὁκόσῳ ἂν πλείω χρώματα, οὐ πονηρά.

Deiectiones nigræ, ſanguini atro ſimiles, & ſponte procedentes, ſiue cum febre, ſiue ſine febre, peſſimæ: & quantò colores praui fuerint plures, tantò deterius: à medicamento verò procedentes, meliores ſunt: idque quantò plures fuerint colores, non praui.

De deiectionibus nunc ipſi eſt ſermo, quæ à priſcis quidem nigræ vocantur, bilis verô nigra exquiſitè non ſunt. Nam acrimoniam, mordacitatem, & aciditatem non habēt: imô verò ne effuſa quidem terram fermentant:

ſed ſunt, ſicuti quis eius deſcribens imaginem, diceret manifeſtè, veluti ſanguinis limus, qualis vinis craſſioribus iam conſiſtentibus ſolet ſubſidere, quem fæcem nominant. Quæ ſi diutiùs moretur in corpore, & neque per aliquem ſenſibilem effluxum, neque occultum excernatur, verùm tranſmutetur atque putreſcat, fit bilis nigra exquiſitè. Antequam verò hæc generetur, ſplen trahit eam quæ eſt veluti ſanguinis fæx, hepar expurgans: quemadmodum in *commentariis De potentiis naturalibus* eſt demonſtratum. Et quidem abutitur hoc melancholico humore ad ſui nutritionem ſplen: & quantam ipſe ſecernit ſuperfluitatem, hanc rurſus totam expellit ad ventrem, vnà cum aliis ſuperfluitatibus excernendam. Si quando igitur neque ſplen bene expurgauerit, & qui in hepate continetur ſanguis multum huius limoſæ ſuperfluitatis habuerit, accreſcet debilitas viſceri, ita vt non poſſit continere in ſeipſo ſuperfluitates: & tunc illæ, quæ nigræ vocantur, fient deiectiones, de quibus nunc ſermo habetur ab ipſo. Adiecit autem ſuo ſermoni, *Veluti ſanguis*: tale quiddam oſtendens, qualis eſt ſanguis denigratus, dum per inteſtina defertur, tales ſunt nigræ deiectiones. Nam extremæ dementiæ fuerit exiſtimare,

ſtimare, ſanguini ſecundum naturam ſe habenti tales deiectiones aſſimilari. Fient etenim hæ & rubræ, & nigræ. Atqui impoſſibile eſt, ſanguinem eundem, & rubrum, & nigrum eſſe. Plurimas verò huiuſcemodi deiectiones in peſtilenti hoc morbo longo conſpeximus: quæ non magis in iis qui exitio proximi erant, quàm in aliis ſaluandis apparebant: non tamen vel in principio, vel in cremento morborum conſpiciebantur. Tunc enim quæ euacuabantur, erant & flaua & ruffa colore colliquamenta: quæ verò mox apparebant, nigra erant, veluti ſanguinis fęx: ſiue ipſo ſuperaſſato habuiſſent generationem, ſiue cùm aliquam extraneam putredinem aſſumpſiſſent, illis quæ in ventriculo fiunt cruditatibus proportionaliter, quando ad vitioſos humores corruptio terminauerit. Quare ab initio quidem nunquam ad bonum fiunt huiuſcemodi deiectiones, vtpote magnam viſceris læſionem oſtendentes: ad morbos verò conſiſtentes ſequuntur ſæpius, naturâ ſuperfluitates expurgante. Non tamen iſtud hoc in aphoriſmo adiecit Hippocrates, quamuis alibi dixerit in vniuerſum ſigna iudicatoria nō ſtatim apparere. In ſequenti autem aphoriſmo particulatim, dum inquit, *morbis quibuſlibet incipienti-*

bus, si atra bilis vel supernè vel infernè exierit: lethale est. Nunquid igitur satis visus est sui animi manifestare sententiam, vtens hoc verbo, *procedentes*, quod temporis longitudinem indicat, tanquam videlicet per morbum totum, vel per longum ipsius tempus tales procedant deiectiones? Si enim aliquod vnum tempus ostendere voluisset, omnino existentes, aut ingruentes, dixisset, non autem *sponte procedentes*. Hoc enim verbum moram significat: existentes, non item. Assumpto tamen medicamento quod vim habet purgandi nigra, talia deiici nihil mirum. Sic igitur multi deiectionum colores præter naturam, sponte quidem euacuati, multarum atque malarum in corpore dispositionum sunt signa. A medicamento autem ducti, vim habente plures humorum species] euacuare, nihil absurdum significaut.

XXII.

NΟσημάτων ὁκόσων ἀρχομένων χολὴ μέλαινα ἢ ἄνω ἢ κάτω ἐπέλθῃ, θανάσιμον.

Morbi quibuslibet incipientibus, si atrabilis vel supernè vel infernè exierit, lethale.

Facta est à nobis in antecedente aphorismo distinctio inter humorem melancholicum

cum, & nigram bilem, de qua nunc ſermo habetur ab ipſo. Et cauſam ob quam ab initio lethales ſint huiuſcemodi humores, poſteà verò iudicatorij appareant, in illo aphoriſmo ſufficienter percurrimus: ſed & nunc repetemus, quoniam ea quæ ſunt ad artem maximè neceſſaria, ſæpe tractare ſit melius. Quando aliquis incipit morbus, ſi quid excernitur, nihil tunc excernitur naturæ ratione: ſed ſunt omnia ſymptomata earum, quæ præter naturam ſunt in corpore, diſpoſitionum. Quo enim in tempore à cauſis morbum facientibus natura grauatur, & adeſt cruditas humorum, tunc aliquid vtiliter euacuari eſt impoſſibile: ſiquidem oportet coctionem præire, ſubſequi verò diſcretionem: & poſteà euacuationem, vt bona ſit criſis ſiue iudicium. Hæc autem nos ipſe docuit in *primo lib. Epidemiorum*, ita inquiens: *Coctiones, iudicij celeritatem, ſalutiſque ſecuritatem ſignificant: cruda autem & incocta & ad malos abſceſſus conuerſa, indicationis carentiam; vel labores, vel diuturnitatem, vel mortes, vel eorundem malorum reditus.* Quando igitur poſt morbi coctionem aliquis humor vitioſus excernitur, tunc corpus à natura expurgatur. Et propter hoc atra bilis, & alius omnis huiuſcemodi humor, vbi ſigna

coctionis in morbi processu apparuerint, bonam significat euacuationem. Si verò aliter excernantur sine signis coctionis, exitialis est casus. Quare cùm in morbi principio semper sint signa cruditatis, mala semper erit humorum talium euacuatio.

XXIII.

ΟΚόσοισιν ἐκ νουσημάτων ὀξέων, ἢ ἐκ πολυχρονίων, ἢ ἐκ τρωμάτων, ἢ ἄλλως πως λελεπτυσμένοισι χολὴ μέλαινα, ἢ ὁκοῖον αἷμα μέλαν ὑπέλθῃ, τῇ ὑστεραίῃ ἀποθνήσκουσι.

Quibuscunque per morbos acutos vel diuturnos, aut vulnera, aut quemuis alium modum extenuatis, nigra bilis, aut veluti sanguis niger per inferiora subsederit, postridie moriuntur.

Sermo in hoc aphorismo est potentiâ talis: Siue atra bilis (de qua antecedens docuit aphorismus) siue niger quispiam humor atro sanguini similis (de quo loquitur hic aphor. necnon ille, qui antecedenti proximè præmittitur) iis qui extremè sunt extenuati superuenerit, postridie moriuntur. Est enim in talibus natura imbecillis: adeò vt non possint concoquere, neque discernere, neque excernere quæ ita praua existunt. Propter morbi igitur magnitudinem cùm contineri nequeant, effunduntur: & idcirco mortis mole-

stiam

ſtiam in poſterum non differunt, vt in aliis contingit morbis, propter virium imbecillitatem. Oſtendit porrò in hoc aphoriſmo manifeſtè, quod & in ſuperiore, cùm dicebat; *Deiectiones nigræ, vel qualis ſanguis*: ſubaudire oportet, niger: vt ita compleatur, Deiectiones nigræ, vel qualis ſanguis niger. Oſtendit etiam, quòd nos rectè diſtinximus à nigris ſuccis bilem nigram. Illi enim ſanguini denigrato ſimiles ſunt; differentes ab illo, eò quòd ſunt fuſi; ac non concreti vt ille: quemadmodum rurſus bilis nigra ſuâ fuſione ſine concretione, & præterea fulgore ſuæ nigredinis, tum etiam quia mordet tanquam acetum, & terram leuat atque fermentat, quorum nihil nigris adeſt.

XXIV.

Δυσεντερίη ἢν ἀπὸ χολῆς μελαίνης ἄρξηται, θανάσιμον.

Difficultas inteſtinorum, ſi ab atra bile inceperit, lethalis eſt.

Ab illa quæ à quibuſdam ruffa, ab aliis bilis flaua nominatur, magna ex parte incipit inteſtinorum difficultas, abraſis primùm propter humorum acritudinem inteſtinis, deinde etiam exeſis, adeò vt exulcerentur. Hanc igitur inteſtinorum difficultatem ſæpè ſanauimus. Quæ verò ab atra bile fit, in-

ſanabilis eſt omnino, cùm nihil differat à Cancro vlcerato. Cùm enim hic cancer in extima corporis ſuperficie conſiſtens, ſit cum difficultate ſanabilis, aut omnino inſanabilis, cùm tamen poſſit continuò medicinam habere ſibi inſidentem, rationabile eſt illum qui occupat inteſtina, non ſolùm quia nihil illi continuò adhærere poteſt, verùm etiam quia ſemper ab alimenti ſuperfluitatibus tangitur, eſſe penitus inſanabilem.

XXV.

Αἷμα ἄνω μὲν ὁκοῖον ἂν ᾖ, κακόν. κάτω δὲ, ἀγαθὸν μέλαν ὑποχωρέον.

Sanguinem quidem ſupra ferri, qualiſcunque ſit, malum: infrà autem, bonum, cùm niger deiicitur.

In præcedentibus aphoriſmis de iis, quæ vel per os, vel per ſedem excernuntur, verba fecit Hippocrates. Quare in propoſito aphoriſmo audiemus ipſum appellantem *ſuperiorem* eam ſolam, quæ fit per os, excretionem, illâ quæ fit per nares omiſsâ. Hanc itaque ait omnino eſſe malam, qualiſcunque fuerit is, qui excernitur, ſanguis, hoc eſt, ſiue ſpumoſus, ſiue rubeus, ſiue flauus, ſiue niger, ſiue aquoſus, ſiue craſſus. Melius enim eſſe inquit, vt infrà ſubeat: ſed nec iſtud quidem

copioſè

copiosè se effundens, sed paulatim fluens, ita vt tarditate denigretur. Ipsum itaque sanguinem confluere omnino ad aliquod intestinum, malum oportet existimare: melius autem quando parciùs, quàm cùm copiosiùs effunditur. Itaque quod dixit, *bonum*, id non propriè dici oportet intelligere: sed vt idem significet quod, melius, ac si ita dixisset: Infrà autem melius nigra deiici. Verè enim hoc præstat, quàm per os modo quocunque sanguinẽ ferri. His itaque verbis possit quispiam orationem senis sibi repugnantem dissoluere: cùm modò dicat bonum esse per inferiora deiici nigra excrementa, qui paulò ante dixerit pessimum esse. Licet autem nigra etiam in hunc sensum accipere, quo ipse *in Epidemiis* de hæmorrhoidibus vsurpauit, tanquam quæ sanent melancholicos morbos. Verè enim iam factæ melancholiæ maximum est remedium sanguinis ex his venis profluuium: quam etiam, si futura sit, prohibet. Sic itaque nobis accipientibus, sermo talis erit: *Sanguinem suprà ferri, qualiscunque sit, malum. Infrà verò* per hæmorrhoidas, *bonum, quando nigra euacuantur*: hoc est, quando hominis natura multum talem accumulauerit sanguinem. Alter autem non est assuefaciendum ei, quæ fit per hæmor-

rhoidas euacuationi , quæ periculoſam habet vtramque immoderantiam: quòd vel ſupra modum ſanguis excernatur, vel ex toto ſupprimatur.

XXVI.

HN ὑπὸ δυσεντερίης ἐχομένῳ ὁκοῖαι αἱ σάρκες ὑποχωρήσωσι, θανάσιμον.

Difficultatem inteſtinorum habenti ſi veluti caruncula deiiciantur, lethale eſt.

In difficultatibus inteſtinorum , cùm adhuc ſubſiſtunt, quædam corpora pinguia excernuntur: poſt hæc autem, niſi finire anticipauerint, quædam ramenta ipſorum inteſtinorum , abraſâ horum ſuperficie interiore, quæ membranoſa exiſtit & denſa, epidermidi, quæ cutem extimam corporis ambit , ſimilis. Poſtea autem , etiam aliquid ex ipſa abraditur ſubſtantia inteſtinorum : in quo tempore non adhuc fieri difficultatem inteſtinorum, ſed iam factam atque conſtructam dicimus eſſe. Quando igitur partes adeò magnæ inteſtinorum excernuntur in dyſenteria, vt poſſimus eas carnes nominare : lethalem ait eſſe morbum , cùm neque caro concreſcere, neque cicatrix obduci in tali poſſit exulceratione.

Ὁκόσοι

XXVII.

OΚόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν αἱμοῤῥαγέει πλῆθος ὁκοθενοῦν, ἐν τῇσιν ἀναλήψεσι, τουτέοισιν αἱ κοιλίαι καθυγραίνονται.

Quibus febricitantibus sanguinis fluxerit multitudo quacunque ex parte: cùm reficiuntur, alui iis humectantur.

Calore natiuo debilitato ex profluuio sanguinis, neque cibi bene concoqui, neque in sanguinem transmutari, imò quod maius est, neque distribui possunt per corpus: & propter hæc omnia, aluos fieri humidiores par est, donec processu temporis vires suas natura recuperauerit.

XXVIII.

OΚόσοισι χολώδεα τὰ διαχωρήματα, κωφώσιος γινομένης παύεται, καὶ ὁκόσοισι κώφωσις, χολωδέων γινομένων παύεται.

Quibus biliosæ sunt deiectiones, hæ superueniente surditate cessant: & quibus surditas adest, superuenientibus biliosis deiectionibus, cessat.

Non de ea, quæ ex habitu difficulter soluitur, nunc illi sermo surditate, sed de ea quæ repentè in febribus, vel aliter fit, accurrente ad cerebrum bile, sermo ipsi est. Ipsa siquidem

dem cùm meatus auditorios occupauerit, efficit surditatem. Cùm verò hinc ipsam naturâ expellente, ad excretionem peruenit, soluit surditatem.

XXIX.

ΟΚόσοισι ἐν ἕκτῃ πυρεταίνουσιν ἐκταίοισιν ἔοντι ῥίγεα γίνεται, δύσκριτα.

Quibus febricitantibus sexto die rigores fiunt, difficile iudicium sequitur.

Quicunque ad febres, & præcipuè ardentes, rigores superueniunt, iudicium habere solent bonum atque perfectum, vbi in die iudicatoria fiunt, & cum signis coctionis: non bonum autem neque perfectum, quando vel diei vel coctionis signa fuerint imperfecta. Quod igitur concoqui oporteat quæ bene iudicari debeant, *in primo lib.* docuit *Epidemiorum* per ea verba quæ paulò antea diximus, quorum est initium: *Coctiones celeritatem iudicij, salutisque certitudinem significant.* Quòd autem non in omnibus diebus, *in Prognostico* scripsit, & in hoc ipso *aphorismorum libro*, & prætereà *in primo Epidemiorum.* Collecta autem à nobis hæc omnia sunt cum conueniente expositione, quæcunque quidem de diebus iudicatoriis ab eo scripta sunt, *in tractatu de diebus indicatoriis*: quæcunque verò de signis co-

ctionis,

ctionis, *in libro de iudiciis.* Dictum autem & in ipsis est de eo, quod fit in die sexta iudicio: de quo nunc etiam faciens mentionem, ait eos, qui in hoc die fiunt rigores, difficile habere iudicium, hoc est vel malum afferre iudicium, ac si malè iudicantes dixisset, vel certè infirmum, vt qui facilè reciduam facerent, vel in longum tempus protraherentur: ac si dixisset difficulter solubiles. Ac nonnunquam cum grauibus symptomatis, sexto die fit iudicium: de quibus omnibus integrè scripsimus in iis, quas nuper nominauimus, tractationibus. Hæc verò ita fieri etiam ipsa experientia testatur: ipsorum autem causas longum esset impræsentiarum exponere. De diebus enim iudicantibus, *tertio* diximus *libro de indicatoriis diebus*: de rigore autem, in *opere ad id dedicato* seorsum.

XXX.

Ὁκόσοισι παροξυσμοὶ γίνονται, ἣν ἂν ὥρην ἀφῇ ὁ πυρετὸς, ἐς τὴν αὔριον τὴν αὐτὴν ὥρην ἣν λάβῃ, δύσκριτα.

Quibuscunque accessiones fiunt, quacunque hora febris dimiserit, si eâdem cras occupauerit, iudicium habent difficile.

Supponatur quispiam primâ die cœpisse febricitare horâ tertiâ, & cessauisse quauis aliâ

aliâ horâ : deinde die secundo eadem hora tertia cœpisse : rursus cessasse febrem quacunque horâ : & tertio rursus die hora tertia cœpisse, mox rursus quouis tempore finitâ febri: cœpisse iterum quarto die eâdem hora tertia: & ita deinceps seruari quidem semper horam tertiam, in qua accessio suum facit initium, non seruari autem alias in quibus finitur: hunc qui tali laboret morbo, necesse est tempus longum ægrotare : cùm horam sui principij accessio habeat inconcussam. Hoc quidem nos ab experientia comprobatum, dictum esse arbitramur. Sunt verò quidam, qui tale aiunt esse quod dicitur : Si primo die accessionem ægrotus habuerit, exempli gratiâ, hora tertia, & (si ita contigerit) hora duodecima febris desierit, rursus die secundo hora duodecima cœperit febricitare: morbum aiunt difficile iudicium habiturum, nullam apponentes rationem, sed neque id ab experientia comprobari potentes ostendere. Verumtamen *difficile habens iudicium*, aliter non possumus interpretari, quàm difficulter solubile: vt tale sit quod ab Hippoc. dicitur : Siue quotidie, siue tertio quôque, siue quarto quôque ægrotus habeat accessionem eadem hora, difficulter solubilis est morbus huiusmodi, siue multas, siue paucas

accessio

acceſſio occupet horas. Hoc igitur (vt dixi) experientiâ comprobatur:eius verò cauſam talem eſſe opinandum eſt, quando cauſa acceſſionum non fuerit fixa ac ſtabilita, non ſeruare eundem terminum aut circuitum: vbi verò firmata fuerit, ſeruare: atque ideò difficulter ſolubile, quod fixum ac ſtabilitum;facilè verò ſolubile, quicquid non tale. Firmata enim magnam vim demolientem expoſcunt, quæ longo tempore, & per fortiora ac plura auxilia fit.

XXXI.

Τοῖσι κοπώδεσιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν, ἐς ἄρθρα, καὶ † παρὰ τὰς γνάθους μάλιστα αἱ ἀποστά- † παρὰ. σιες γίνονται.

Febricitantibus laſſitudinem habentibus in articulos, & circa maxillas potiſſimùm abſceſſus fiunt.

Dictum priùs eſt quòd laſſitudinum nonnullæ quidem ob multos accidunt motus, quæ ſimpliciter & propriè laſſitudines nominantur: quidamverò neque multis, neque vehementibus acti motibus,laſſitudines pati conſueuerunt:Tales itaque laſſitudines, non laſſitudines ſimpliciter, ſed cum additione, laſſitudines ſpontaneas nominare conſueuerunt. Amborum autem ipſorum communis eſt locus affectus: hic verò eſt totum genus

in

in corporibus musculosum. Quæ verò ex motibus multis lassitudines accidunt, iis propria & peculiaris est caliditas articulorum: quare in his nihil mirum ad articulos abscessus decumbere: vt qui vnà cum musculis laborauerint, atque vltra modum concaluerint. Spontaneis autem lassitudinibus, vna sola ratione fluxiones vt decumbant ad articulos, euenit, sicuti & omnibus aliis ferè morbis qui per abscessus iudicantur: quòd scilicet ipsi spatia ampliora idonea habeant ad superfluitates suscipiendas. Rariores igitur in cæteris morbis fiunt abscessus: in lassitudinibus verò, plures: & præsertim spontaneis, & maximè omnium quæ à plenitudine sunt. Erit igitur in aphorismo sermonis hæc summa: Iis qui quomodocunque in febribus lassitudinem habent, ad articulos, & circa maxillas præcipuè abscessus fiunt. Hoc verò contingit propter eam, quæ est in febribus, caliditatem, sublatâ plenitudine ad caput, & posteà eam inde suscipientibus illis qui circa maxillas adenes existunt: sicuti qui circa inguina & alas sunt, quando ad illas partes multitudo peruenerit.

Ὁκόσοι

XXXII.

Ὁκόσοισι δὲ ἀνισταμένοισιν ἐκ τῆς νούσου τι πονέει, ἐνταῦθα αἱ ἀποστάσιες γίνονται.

Quibus autem reualescentibus ex morbo pars aliqua dolet, ibi fiunt abscessus.

Siquidem *labor* & vehementem significat motum,& dolorem,& læsionem, sicuti priùs dictum est:liquet quòd etiam *laborare* significat tum motu vti vehementiore, tum dolorem aliquem aut noxam habere. Quamobrem in nonnullis qui ex morbo reualescunt,apparet,quando humores morbum facientes non satis fuerint expurgati,sed quasdam reliquerũt superfluitates, cùm laborantem siue dolentẽ partem quampiam habeãt, illic morbum decumbere, labore rationem causæ obtinente,dolore autem signi.Nam in vehementioribus motibus vires fiunt imbecilliores,& caliditas maior accenditur:dolor autem iam fluxione decumbente perficitur. Hic igitur, vt diximus, est signum abscessus qui fit.Caliditas autem atque imbecillitas ad locum affectum prouehit superfluitates. Vtroque igitur(vt diximus)modo intelligere possumus verbum *laborare* : toti tamen sermoni qui nunc ab Hipp.habetur,alterũ magis conuenit, significatum : siquidem anteà de febribus lassitudini coniunctis locutus,

deinceps autem rursus inquit, *Verùm si qua pars antè doluerit.* Videtur enim præcedente aphorismo, cuius initium est, *Febricitantibus lassitudinem habentibus* de lassitudinibus morborum pronunciasse: in eo autem qui nunc proponitur, de iis quæ fiunt in conualescentibus: in sequente verò, de illis quæ morbum antecedunt.

XXXIII.

Ἀτὰρ ἢν καὶ προπεπονηκὸς ᾖ τι πρὸ τοῦ νοσέειν, ἐνταῦθα στηρίζει ἡ νοῦσος.

Sed si ante morbum aliqua pars doluerit, ibi morbus statuitur.

Siue quis velit connectere duobus prioribus sermonibus illum qui nunc dicitur, ad vnius aphorismi integritatem; siue seorsum vnumquemque scribere, nihil refert: nam & communitas eorum ostensa est, & singulorum proprietas in sermone proposito: Dicetur autem nunc etiam à nobis adhuc breuibus: Quando in morbo sensus aliquis lassitudinis est, expectare oportet ægrotanti abscessum aliquem ad articulos, præsertim iuxta maxillas. Simili modo si quis ex morbo reualescens parte aliquâ corporis doleat, aut antequam ægrotaret. Nam vtplurimùm solet ad talia decumbere, in illis videlicet morbis in quibus speratur abscessus

abſceſſus futurus, neque morbus per excretionem anteà iudicandus. Dictum eſt autem in præcedentibus de talium morborum dignotione: ſermo verò vniuerſus *in commentariis de Criſibus* ſiue *iudiciis eſt explanatus.*

XXXIV.

Ἢν ὑπὸ πυρετοῦ ἐχομένῳ, οἰδήματος μὴ ἐόντος ἐν τῇ φάρυγγι πνὶξ ἐξαίφνης ἐπιγένηται, θανάσιμον.

Si febrem habenti ſuffocatio repentè ſuperuenerit, nullo tumore in faucibus exiſtente; eſt lethale.

Poteſt quidem ſimpliciter intelligi initium aphoriſmi, in quo ait, *Si à febre correpto*, tanquam ita dixiſſet, Si homini febricitanti tumore non exiſtēte: poteſt etiam cum maiore aliqua demonſtratione, quemadmodum ſolet in Epidemiis ſcribere, non ſimpliciter quouis modo febricitantem oſtendens, cùm dicit, *Febris ipſum habebat*: ſed de eo cui magna inſit febris, ita loquens. Contingit autem etiam ſine magna febre, ſtrangulatione repentè ſuperueniente, hominem interire. Ineuitabilior autem & citior eſt mors, vt ne ſperari quidem poſſit hominis ſalus, cùm vehemens febris detinet ægrotantem. Indiget enim huiuſcemodi febris (vt in ſermonibus

de difficili anhelitu fuit à nobis ostensum) inspiratione abundanti: fit verò non modò non abundans, verùm etiam omnino pauca, in iis qui suffocantur. Neque enim aliud est suffocatio, nisi interitus subitus propter defectum respirationis: qui fit ex angustia alicuius instrumenti ex iis quæ obseruiunt respirationi. Nam talis angustia ipsorum, est ex eorum genere per quæ deficit respiratio: cuius etiam defectus fit vel propter imbecillitatem potētiæ illius quæ mouet thoracem, vel propter frigiditatem vitalis principij. Suffocatio verò omnino fit ex angustia: angustia autem, vel repleta intermedia regione quæ inter thoracem est atque pulmonem, aut pulmonis cauernis, vel aliqua inflammatione totum occupante viscus, vel asperam arteriam, vel eam partem quæ est veluti caput eius, quam nominant guttur: quæ etiam inflammatio fieri aliquando solet in præiacente ipsi spatio, quod fauces appellant. Nam & Homerus ita nominauit inquiens: *Faucibus exilat vinum buccaque viriles*; spatium illud laxius quod inter gulam & guttur præiacet, nominans fauces. Videtur autem & nunc Hippocrates hanc eandem partem eodem modo quo etiam Homerus, nominasse. Dicit enim: *Tumore non existente in faucibus*

cibus: tanquam possibile sit ore multùm adaperto partem ipsam manifestiùs inspicere-quod in gutture fieri nequit. Fiet igitur sermo vniuersus huiusmodi : *Si febrem habenti suffocatio repentè superuenerit citra tumorem fauces occupantem, lethale est.* Prisci etenim per tumorem & œdema, idem intelligebant. Neque nos latet triplicem esse tumorum differentiam : vel enim sunt cum dolore, quos iuniores inflammationes nominant: vel absque dolore duri, quos Græci scirrhos vocant : vel sine dolore molles, quos iidem Græci œdemata, id est, inflationes propriè appellant : & propterea ab antiquo vsu recesserunt, vt qui non omnia præter naturam incrementa sub vocabulo inflationis completantur. Cùm igitur fauces sine tumore apparuerint, suffocatio autem repentè superuenerint, solius gutturis est huiuscemodi passio. Suffocantur enim, vt dixi, etiam propter morbos alios, quos paulò antea dixi: repentè autem suffocari soli gutturi competit. Morbus enim, quem Græci peripneumoniam vocant, non repentè suffocat ægrotantes, verùm paulatim ab initio incrementum suscipiens vsque ad propriam consistentiam, in qua tale symptoma affert. Et si quod tuberculum & abscessus in pulmone fit,

hæc quoque passio diuturna est, sicuti & spatium inter pulmonem atque thoracem pure repletum, sæpius hominem suffocat, abscessu scilicet in ipsum erumpente, qui scilicet & ipse in longo tempore fit. Asperæ quidem arteriæ inflammatio difficultatem spirandi aliquam efficere potest, suffocationem verò non potest, propter magnitudinem eius capacitatis, & tunicæ tenuitatem. Impossibile siquidem est corporis adeò tenuis inflammationem spacium magnum replere. Reliquum igitur est guttur: quod subitam potest facere suffocationem, quoniam in ipso angustatur pulmonis meatus, & musculi interiores vnà cum ambiente tunica inflammationem patientes viam spiritus valent intercludere. Nominant autem Medici quidam talem dispositionem non per s, synanchen, sed per c, cynanchen: quibus placet faucium inflammationem per s, synanchen nominare. Nonnulli verò parasynanchen & paracynanchen nominant. Parasynanchen, quando adiacentium faucibus partium inflammatio fuerit: paracynanchen autem quando extra guttur. Ex iis igitur quæ dicta sunt, rationabile est talem dispositionem gutturi aliquem inferre dolorem: & videtur Hippocrates eius manifestè meminisse *in libro*

† pra

† *prænunciatiuo*, hisce verbis: *Fauces dolentes graciles, cum quadam molestia suffocantes, citò exitium afferunt.* Nunc verò dolentes non dixit, siue quia ex iis quæ dixerat anteà, poterat subintelligi: vel quia etiam absque dolore aliquando dictam putauit in præcedente sermone fieri posse suffocationem. Et si omnino potest esse sine dolore suffocatio, ex huiusmodi causis erit. Possibile est multitudine humiditatis, & pituitosæ præcipuè, madefaciente tunicam gutturis interiorem, aliquem fieri absque dolore tumorem: possibile etiam est aperientibus ipsum musculis resolutis, meatum reddi angustiorem: potest & vtrumque simul contingere: nec impossibile est propter nimiam siccitatem, musculis internis gutturis supra modum extensis meatum reddi angustiorem. Qui verò sint hi musculi, & quomodo tensi claudant guttur, ostensum est in *tractatu* qui *de voce* inscribitur.

† *Prorrhetico.*

XXXV.

Ἢν ὑπὸ τοῦ πυρετοῦ ἐχομένῳ ὁ τράχηλος ἐξαίφνης ἀποστραφῇ, καὶ μόγις καταπίνειν δύνηται οἰδήματος μὴ ἐόντος ἐν τῷ τραχήλῳ, θανάσιμον.

Si febrim habenti repentè collum peruertatur.

tatur, ac vix possit deuorare, non existente tumore, lethale est.

Non etiam adiecit hic locum in quo dicat, tumorem non existere: sicuti in præcedenti aphorismo gutturis meminit, inquiens, *Tumore non existente in faucibus.* Nos verò dicemus alterum duorum, vel ex communi intelligendum esse in faucibus, vel omnino in omnibus colli locis. Cùm enim in nullo horum apparuerit, neque ore aperto in faucibus, neque extrinsecùs tumor, hominem verò contigerit non posse deuorare, symptoma est lethale: contingens ex inflammatione, quandoque musculorum gulam munientium, quandoque verò gulæ ipsius. Est enim quædam communio partibus istis per ligamenta & neruos cum spinali medulla & membranis ipsam ambientibus, ac præterea ossibus vertebrarum, quæ his extrinsecùs adiacent. Extentis itaque ad partes inflammatas ligamentis & neruis, trahi vertebras vel intrò vel ad latus est necessarium: siquidem in altera nerui propagine fieri tensionem contigerit, ad latus: si verò in ambabus, † extrà. Pleniùs autem de istis dicemus, *librum de articulis* exponentes, in quo ait fieri spinę euersiones, tuberculis crudis intra ipsā cōstitutis. Etenim in *libro* illo gibbos fieri dixit,

Alicubi legitur ἐντὸς, id est, intra.

tensis

tensis intrà vertebrarum partibus, non solùm recuruationes, & obliquationes. Et in *secundo* quidem *libro Epidemiorum*, de proposita nunc in aphorismo angina verba faciens, inquit: *Erant autem anginam patientium tales affectus: colli vertebræ intro vergebant; & extrà apparebat collum habere cauitatem, & ibi tactum dolebat.* In hoc itaque sermone vnam ostendit vertebræ euersionem ad interiora: in præsenti verò aphorismo, generaliori vtens sermone, inquit: *Si collum peruertatur.* Verbum enim *peruerti*, eam quæ est præter naturam deprauationem omnem significat rectitudinis vertebrarum. In *secundo* igitur *libro Epidemiorum* sermoni adiecit: *Et ibi tactum dolebat.* Hìc verò nihil de dolore dixit: Atqui necessarium est adesse dolorem, vnà cum ea, quæ collum obtinet, inflammatione; sed hìc præ siccitate nimia, tensionem, tractionem, & deprauationem partium factam tantummodò ostendit: & propter hoc ipsum dicit symptoma esse lethale: cùm alterum quod prouenit ex inflammatione, non sit omnino mortale, quale erat prius illud, cùm coniuncta erat suffocatio, & deuorandi difficultas. Verùm si propter excedentem siccitatem accidat & collum peruerti, & vix

posse deuorare, lethale est symptoma, & præcipuè cùm vehemens est febris: vt verba illa, *si febrem habenti*, etiam in hunc sensum intelligantur. Ob hanc autem febrem ipsam, etiam immodicam fieri par est in membris siccitatem, & duplicem habebit febris vehemens ad mortem rationem. Nam signum erit deprauationem & difficultatem deuorandi ex siccitate existere: & conferet etiam ipsa, tanquam vna ex causis perducentibus ad morbum.

XXXVI.

Ἱδρῶτες πυρεταίνουσιν ἢν ἄρξωνται, ἀγαθοὶ τριταῖοι, καὶ πεμπταῖοι, καὶ ἑβδομαῖοι, καὶ ἐνναταῖοι, καὶ ἑνδεκαταῖοι, καὶ τεσσαρεσκαιδεκαταῖοι, καὶ ἑπτακαιδεκαταῖοι, καὶ μιῇ καὶ εἰκοστῇ, καὶ ἑβδόμῃ καὶ εἰκοστῇ, καὶ τριακοστῇ πρώτῃ, καὶ τριακοστῇ τετάρτῃ. οὗτοι γὰρ οἱ ἱδρῶτες νούσους κρίνουσιν, οἱ δὲ μὴ οὕτως γινόμενοι, πόνον σημαίνουσι, καὶ μῆκος νούσου, καὶ ὑποτροπιασμούς.

Sudores febricitanti si inceperint, boni, tertio die, & quinto, & septimo, & nono, & vndecimo, & quartodecimo, & septimodecimo, & vigesimoprimo, & vigesimoseptimo, & trigesimoprimo, & trigesimoquarto. Hi enim sudores iudicant morbos. Qui verò non ita fiunt,

sunt, laborem significant, & morbi longitudinem, & recidiuam.

Non sudores tantùm, sed alui magnæ deiectiones, & vrinæ multæ, & iuxta aurem abscessus, vel aliquem alium articulum, in dictis diebus optimè apparent. Sermo enim in vniuersum est talis: Iudicatoria signa, ac symptomata, in diebus iudicatoriis incipiant: & sermo iste dictus sufficiebat: verùm Hippocrates non de omnibus ipsum fecit iudicatoriis, sed de sudoribus tantùm: & nobis memoriæ subiecit iudicatorios dies, qui sunt intra quadragesimum. Morbi enim istis diuturniores, non admodum solent per sudores iudicari; sicuti neque omnino per excretiones, sed vel per concoctionem, vel per abscessus. Quod verò non omnis numerus dierum sit ad iudicandum idoneus, experientia manifestè demonstrat, & quispiam admiretur illos qui aiunt nullam in illis esse differentiam: quos quidem præstaret, ex iis quæ apparēt manifestè, discere differentiam: causam verò eius quod fit, per multum otium considerare: quod nos in tractatu *de diebus iudicatoriis* egimus: differentias ad artem necessarias in duobus prioribus commentariis transigentes: causas autem ipsorum tentātes in tertio perquirere. Non parua autem

est

est de diebus scriptis in aphorismo discordia, cùm alij alios pro arbitrio scribant. Nos verò illa secuti, quæ ab ipso Hippocrate scripta sunt & *in Prognostico*, & *Epidemiis*, & ipso *libro aphorismorum*, ipsorum fecimus connumerationem. Verba autem quibus de hisce diebus Hippocrates scripsit, habes omnia in *tractatu de iudicatoriis diebus*, & *de iudiciis* collecta. Nunc verò à tertio incipit, qui anticipat quartum in breuioris temporis morbis: & post hunc quintum scripsit, vno die quarto tardiorem. Sic enim ferè in omnibus exemplaribus inuenies, cùm quartus dies in aphorismo non sit scriptus, quamuis hic dies sit primus iudicatorius. Verumtamen ipsum nunc prætermisit vel ipse Hippocrates, vel qui primus librum scripsit. Si verò omnino Hippocrates illum præteriit, hanc ob causam existimo illud fecisse, quoniam morbi plurimi peracuti, qui cum sudore iudicantur, tertio & quinto die magis quàm quarto iudicium suscipiunt. Rariores enim sunt qui die quarto iudicantur: & hoc à me fuit inuentum per experientiam, ob hoc ipsum plurimùm quærente, quoniam dies quartus fuerat ab Hippocrate in aphorismo prætermissus. Hoc autem videtur accidere, quoniam morbi peracuti primam

statim

ſtatim acceſſionem vehementiſſimam habent, & ipſi proportionalem eam quæ die tertio fit. Didicimus autem, quòd in vehementioribus acceſſionibus iudicia fiunt, & quòd morbi, qui in diebus imparibus acceſſionem habent, citiùs iudicantur: qui verò paribus, tardant. Atque ideò ſi in principio aliquis morbus peracerbus eſt, hoc magis accidit in diebus imparibus: ſi tardare debeat, in dies pares vehementiores acceſſiones incidunt. Hæc itaque habeo dicere de die quarto. In fine autem aphoriſmi, nonnulli trigeſimum primum diem, nonnulli trigeſimumquartum ſcribunt. Scimus autem hos in dierum indicantium numero contineri: & fortaſsè trigeſimusquartus maiorem vim habet: non tamen quadrageſimi meminit, quoniam fortaſsè hunc principium morborum longorum exiſtimauit, qui non admodum per ſudores iudicantur. Nam & trigeſimumprimum, & trigeſimumquartum, & ante ipſos vigeſimumſeptimum raro inueniemus per ſudores iudicare.

XXXVII.

Οἱ ψυχροὶ ἱδρῶτες ξὺν μὲν ὀξεῖ πυρετῷ γιγνόμενοι, θάνατον. ξὺν πρηϋτέρῳ δὲ, μῆκος νούσου σημαίνουσι.

Frigidi

Frigidi sudores, cum acuta quidem febre, mortem; cum mitiori autem, longitudinem morbi significant.

Quòd quidem ita fiat, sæpius experientia docet. Causa verò huius exploranda. Nam plurimam videtur habere dubitationem, quomodo febre calidissimâ hominem detinente sudor fiat frigidus? Quòd igitur in aliis partibus corporis sit necessarium esse vehementem caliditatem, ex aliis verò sudores frigidos euacuari, est manifestum. Essent enim calefacti, si ex partibus calidissimis efferrentur. Euacuantur autem ex cute sudores, quam frigidam esse contingit, cùm tamen ea quæ sunt sub ipsa comburantur. Nam quibusdam humoribus putrescentibus, ostensum est febres acutas fieri. Hi verò putrescunt, sæpius quidem in toto corpore, sæpius verò in vasis solis. Cùm verò aliquando hæc duo contigerint, tum humores qui sunt in vasis, putrescere, tum eam quæ solida corpora regit naturam (quę secundum Hippocratem est calor naturalis) vel extingui omnino, vel proximam esse extinctioni: quæ quidem ex his euacuantur, frigida sentiuntur: eam verò, quæ fit ex putredine, caliditatem, nihil prohibet vehementissimã esse, atque ideò signum est exitiale, ostendens

in animalis corpore humorum multitudinem ſuperabundare, tantam habentium frigiditatem, vt neque à calore natiuo, neque à febrili calefiant. Tepidis ſiquidem exiſtentibus febribus contingit ſaluari hominem, concoctâ in tempore multitudine humorum, atque euictâ à natura. Acuta enim febris cauſa eſt & ſignum pernicioſiſſimum. Cauſa quidem, quia nata eſt labefactare corpora: ſignum autem, quoniam humorum multitudinem eſſe frigidiſſimam oſtendit, vt quæ ne à calore quidem febrili tranſmutetur. Febris verò quæ non eſt acuta, ſed mitior, permittit tempore longiori à natura multitudinem concoqui, cùm non anticipet frangere hominem: non eſt autem ſignum adeò pernicioſum ſicuti vehemens febris. Contingit enim in tepida febre, etſi modicè frigida multitudo fuerit, incalefactam permanere.

XXXVIII.

KAὶ ὅκου ἔνι τοῦ σώματος ἱδρὼς, ἐνταῦθα φράζει τὴν νοῦσον.

Et qua parte corporis ſudor eſt, ibi ſignificat morbum eſſe.

Si per totum animalis corpus morbus extenderetur, ex toto etiam æqualis fieret euacuatio.

cuatio. Fiunt enim ſudores vel naturâ humiditatem ſuperfluam euacuante (quando optimè iudicium fit) vel quando non continetur in corpore, morbi ratione. Sed ſiue hoc, ſiue illo modo fiant, membrorum patientium humiditatem euacuant.

XXXIX.

ΚΑὶ ὅκȣ ἔνι τȣ͂ σώματος θερμὸν ἢ ψυχρὸν, ἐνταῦθα ἡ νȣ͂σος.

Et qua parte corporis calor aut frigus, ibi morbus eſt.

Quacunque parte corporis inſignis caliditas aut frigiditas fuerit, hîc morbum neceſſarium eſt eſſe; hæc ſiquidem diſceſſit à temperie naturali, quæ ſanitas eſt.

XL.

ΚΑὶ ὅκȣ ἐν ὅλῳ τῷ σώματι μεταβολαὶ, καὶ ἢν τὸ σῶμα καταψύχηται ἢ αὖθις θερμαίνηται, ἢ χρῶμα ἕτερον ἐξ ἑτέρȣ γίνηται, μῆκος νόσȣ σημαίνει.

Et vbi in toto corpore mutationes fiunt, & ſi corpus refrigeretur, vel rurſus calefiat, vel color alius ex alio oriatur: longitudinem morbi ſignificat.

Variæ diſpoſitiones ſemper diuturniores ſunt, quàm quæ ſunt vniuſmodi, cùm non poſſit natura in paruo tempore multas conficere diſpoſitiones.

XLI.

Ἱδρὼς πολὺς ἐξ ὕπνου ἄνευ φανερῆς αἰτίης γινόμενος τῷ σώματι, σημαίνει ὅτι πλείονι τροφῇ χρέεται. ἢν δὲ τροφὴν μὴ λαμβάνοντι τοῦτο γίνηται, σημαίνει ὅτι κενώσιος δέεται.

Sudor multus ex ſomno factus abſque cauſa manifeſta, corpus vti pluri cibo ſignificat: ſi verò cibum non accipienti hoc accidat, ſcire oportet, quòd euacuatione indiget.

Nonnulli ita ſcribunt aphoriſmum: Sudor multus ex ſomno factus ſine cauſa manifeſta. Alij verò, ſine aliqua alia cauſa. Verùm hæc etſi non adiiciantur, millies in mille ſermonibus ab ipſo prætermiſſa intelliguntur: quia etſi non dicantur, tamen ſubaudiuntur à nobis: vt qui ſemel ab ipſo didicerimus, quòd qui à cauſa extrinſeca, non ex diſpoſitione corporis caſus proueniunt, nullam faciunt certam præcognitionem. Hoc itaque ſemper oportet meminiſſe. Quod verò in præſenti aphoriſmo docetur, in verbo *multus*, adiecto maximè exiſtit. Si enim ſudor multus non eſſet, poſſet & propter virium imbecillitatem, & corporis raritatem accidere. Ipſius verò multitudo, altera duarum cauſarum fit, vel propter ciborum qui ſunt recenter aſſumpti immoderantiam,

vel illorum qui anteà, Quòd si propter recenter assumptos, prohibere oportet ne plures assumant: quòd si propter priùs assumptos, euacuare.

XLIII.

Ἱδρὼς πολὺς ψυχρὸς ἢ θερμὸς αἰεὶ ῥέων, ὁ ψυχρὸς † μέζω, ὁδὲ θερμὸς ἐλάσσω νόσον σημαίνει.

Sudor multus calidus vel frigidus semper fluens, frigidus magis, calidus minùs significat morbum.

† Galen. videtur legisse, & μεῖζον & ἔλασσον.

De sudoribus quidem qui in diebus iudicatoriis fiunt, dictum est priùs: de iis verò qui in toto morbi tempore apparent sine iudicatione, in hoc ostendit aphorismo: deteriores quidem inquiens esse frigidos sudores, minùs verò his malos calidos esse. Indicant quidem vtrique multitudinem adesse, sed alteri frigidam, qui peiores sunt: alteri verò calidam, qui minùs illis sunt exitiales.

XLIII.

Οἱ πυρετοὶ ὁκόσοι μὴ διαλείποντες διὰ τρίτης ἰσχυρότεροι γίνονται, μᾶλλον ἐπικίνδυνοι, ὅτῳ δ' ἂν τρόπῳ διαλείπωσι, σημαίνει ὅτι ἀκίνδυνοι.

Febres quæcunque non intermittentes tertia die fortiores fiunt, magis periculosæ. Quocunque

cunque autem modo intermiserint, periculum abesse significant.

Quòd Hippocrates per verbum *intermittere*, accessiones intelligat quæ in quietem febre vacantem desinunt, manifestum fecit in hoc aphorismo, febres illas quæ tertio quôque die exacerbantur, iis quæ modo quouis intermittunt esse minùs periculosas docens. Solæ enim illæ, quæ in quietem febre vacantem desinunt, periculo carent, etiamsi vehementissimam & valde longam habuerint accessionem. Si enim adeò breuis fuerit, vt in tertianis exquisitis, minori duodenis horis tempore circumscripta, non modò sine periculo talis est febris, sed etiam citò iudicatur. Si verò longius quàm duodecim horarum occupet tempus, adeò vt ad decem & octo perueniat horas, est quidem hæc quoque citra periculum: tantò autem longior, quantò eius accessio maior extiterit quàm tertianæ exquisitæ. Non absque ratione autem eas quæ in quietem febre vacantem desinunt, esse absque periculo inquit: vt quæ non ex inflammatione aliqua, neque ex maligna humorum putredine occasionem habeant. Neutra enim harum ad quietem peruenit febre vacantem. Quocunque autem modo intermiserint, periculum

lum abesse significant : hoc est, siue vehemens siue longa fuerit accessio.

XLIV.

Ὁκόσοισι πυρετοὶ μακροὶ, τουτέοισι φύματα ἐς τὰ ἄρθρα ἢ πόνοι ἐγγίνονται.

Quos febres longa exercent, iis tubercula vel labores in articulis fiunt.

Non semper hoc fit, sicuti neque quicquam aliud huiuscemodi, sed magna ex parte videlicet contingere videtur. Causa autem est manifesta. Nam propter multitudinem, vel crassitudinem vel frigiditatem † humorum efficientium febres, plerumque morbi extenduntur, cùm longum exigant tempus ad coctionem. Par igitur est ob hæc & tubercula fieri, & ad articulos superfluitatẽ decumbere. Siue autem per labores, dolores intellexerimus, siue læsionem, vterque intellectus habet rationem aliquam. Vtrumque enim horum ad abscessus sequitur.

† *In antiq. exēp. additur,* vel lentorem.

XLV.

Ὁκόσοισι φύματα ἐς τὰ ἄρθρα ἢ πόνοι ἐκ πυρετῶν γίνονται, οὗτοι σιτίοισι πλείοσι χρέονται.

Quibus tubercula, vel in articulis labores ex febribus accidunt, ii pleniore vtuntur cibo.

De

De conualescentibus docet. His enim repletis rationabile est plethorica recrementa aduenire, & maximè ob virium imbecillitatem.

XLVI.

Ἢν ῥῖγος ἐμπίπτῃ πυρετοῦ μὴ διαλείποντος, ἤδη ἀσθενεῖ ἐόντι, θανάσιμον.

Si rigor incidat febre non intermittente, ægro iam debili, lethale est.

Non idem est si quis dixerit, si inciderit, & si incidat. Verbum enim inciderit, vnum significat rigoris insultum, incidat verò plures. Semel igitur rigore incidente, nondum liquet an mors, an iudicatio bona sit sequutura. Potest enim & propter virium imbecillitatem casus esse lethalis, potest etiam iudicatio periculosa, bonum tamẽ habere finem. Sæpius verò fieri rigorẽ febre non deficiente, cùm alioqui bonum non sit, in virium imbecillitate est perniciosum. Nam si aliqua euacuatio rigorem subsequatur, quæ nullam faciat intermissionem, propter vtrumque dissolui hominem par est: tum quia vis imbecillis ferre non potest rigoris agitationem, tum quia ab euacuatione dissoluitur. Si verò solus accidat rigor nullâ euacuatione subsequente, vtroque modo casus caret bonitate.

Nam tanquam mala caufa vires hominis tentat:& malum fignum erit, illius indicans extremam imbecillitatem, quæ folita erat noxios humores in rigoribus euacuare, nunc verò hoc non poteft efficere.

XLVII.

ΑΙ' ἀποχρέμψιες αἱ ἐν τοῖσι πυρετοῖσι μὴ διαλείπουσιν αἱ πελιδναὶ, καὶ αἱματώδεες, καὶ δυσώδεες, καὶ χολώδεες: πᾶσαι κακαί. ἀποχωρέουσαι δὲ καλῶς, ἀγαθαὶ καὶ κατὰ τὰς διαχωρήσιας, καὶ κατὰ τὰ οὖρα. ἢν δὲ μή τι τῶν συμφερόντων ἐκκρίνηται διὰ τῶν τόπων τούτων, κακόν.

Excreationes in febribus non intermittentibus, liuidæ, cruentæ, fœtidæ & biliofæ, omnes malæ. Sed fi profperè excernuntur, fiue per alui excretionem, fiue per vrinas, bonæ. Si verò aliquid eorum quæ non confert excerni, per hæc loca excernitur, malum.

Fortè conueniens fuerat doctrinæ aphorifticæ dici compendiofiùs, omnes prauas excretiones cùm profperè excernuntur, in bonum contendere. Hippocrates verò non ita locutus eft, fed primùm quidem tria genera excretionum recenfuit: vtpote eam quæ fit per os, deinde quæ fit per deiectiones, tum autem quæ per vrinas: Poftea eam quæ fit per os, fubtiliùs. Non enim fimpliciter dixit, prauas

prauas excretiones prosperè exeuntes bonas esse, sed speciatim ipsas commemorat, inquiens: *Liuida, cruenta, fœtida, & biliosa.* Vna autem communis est in hisce omnibus ratio: Malæ excretiones sunt prauarum signa dispositionum: & fiunt sæpius ita, vt in vlceribus putridis, à quibus liquores saniosi defluunt, nihil dispositioni conferentes: nonnunquam verò ita sicuti pus, ex abscessu dirupto bene expurgans partem patientem. Indicia verò quod bene excernant, maxima sunt coctio & bona tolerantia: cum ipsis verò, & morbi species, & tempus anni, & regio, & ætas, & natura ægrotantis. Quod verò est in fine aphorismi, duobus modis scriptum inuenitur. In quibusdam quidem, vt antea scriptum est: *Si verò non aliquid eorum quæ iuuant, excernatur.* In quibusdam verò sine particula non, hoc modo: *Si verò aliquid eorum quæ iuuant, excernatur.* Et erit secundum primam scripturam sermo talis: Si aliquid eorum quæ non confert externi, videtur euacuatum; non est bonum. Secundum verò secundam scripturam: Si aliquid eorum quæ inuant, & sunt animali conuenientia, excernatur: non est bonum. Melior autem est scriptura prior.

XLVIII.

EN τοῖσι μὴ διαλείπουσι πυρετοῖσιν, ἢν τὰ μὲν ἔξω ψυχρὰ ᾖ, τὰ δὲ ἔνδον καίηται καὶ δίψαν ἔχῃ, θανάσιμον.

In febribus non intermittentibus, si partes exteriores sint frigidæ, interiores verò vrantur, & sitim habeant, lethale est.

Dignum animaduersione est, nunquid huiuscemodi casus possint in febre fieri intermittẽte. Ego enim neque vidi, neque animo capio. Videntur siquidem in solis accidere febribus ardentibus, perniciosis: vel si aliter libeat appellare, valde malignis, veluti lipyriis. Nulla verò febris alia, profundiora perurit cute refrigeratâ. Neque enim mitior causos, neque tertiana: quæ duæ febres præ cæteris sunt calidissimæ. Videtur itaque non distinctionis gratiâ in aphorismo adiecisse, *In febribus non intermittentibus*, sed similem protulisse sermonem illi *Vertebræ autem quæ in spina sunt*; non tanquam aliâ corporis parte sint vertebræ, sed veluti si ita diceretur, Vertebræ, quibus hoc inest, vt in spina sint: & nunc ita sermonem Hippocratis intelligemus, Si profundæ partes vrantur, cute refrigeratâ, lethale est. Fit autem hoc in nonnullis febribus non intermittentibus. Causa verò huius talis existit; Quando aliqua

aliqua fortis inflammatio in corporis parte profundiori, vel eryſipelas euenerit, totus ex toto corpore ſanguis ad locum trahitur patientem, atque ideò vruntur profunda; ſed cutis refrigeratur, vt fit in principiis acceſſionum.

XLIX.

ΕΝ μὴ διαλείποντι πυρετῷ, ἢν χεῖλος, ἢ τὸ βλέφαρον, ἢ ὀφρὺς, ἢ ὀφθαλμὸς, ἢ ῥὶς διαστραφῇ, ἢν μὴ βλέπῃ, ἢν μὴ ἀκούῃ, ἤδη ἀσθενέος ἐόντος τοῦ σώματος, ὅτι ἂν τουτέων γένηται, ἐγγὺς ὁ θάνατος.

In febre non intermittente, ſi labrum, vel palpebra, vel ſupercilium, vel oculus, vel naſus peruertatur, vel non videat, vel non audiat, iam debili exiſtente corpore, quicquid horum euenerit, mors proxima eſt.

Partium fiunt peruerſiones, tenſis atque ad ſua principia contractis iis, qui ad eas nerui pertingunt. Quòd autem tendantur, hoc ipſis accidit vel propter inflammationes, vel duros tumores, aut ſiccitates, aut immodicas frigiditates. Hæc autem grauia ſunt, quando prope neruorum originem fuerint conſtituta. Quare cùm febris continua fuerit, & æger debilis: non abſque ratione mortem eſſe vicinam eſt exiſtimandũ: multò

autem magis, quando non audit aliquis, vel non videt, propter virtutis ſenſibilis debilitatem.

L.

OKου ἂν ἐν τῷ πυρετῷ μὴ διαλείποντι δύσπνοια γένηται, καὶ παραφροσύνη, θανάσιμον.

Vbi in febre non intermittente difficultas ſpirandi, & delirium acciderit, lethale.

Fit quidem nonnunquam ex eadem cauſa horum vtrumque, & difficultas ſpirandi, & delirium, patiente cerebro: & tunc apparet *ſpiritus* (vt ipſe in *Prognoſticis* inquit) *magnus & ex multo interuallo*: hoc eſt, magnus, & rarus. Contingit etiam propter aliquam earum partium, quæ reſpirationi obſeruiunt, paſſionem, ſpirandi difficultas. Nam & morbus lateralis, & pulmonis inflammationes, & reliquæ thoracis atque pulmonis paſſiones ſpirandi faciunt difficultatem. Hæc verò omnia periculoſa ſunt, febre præſertim continuâ adiunctâ. Nam ſemper cum tali fieri conſueuerunt. Quare hîc quoque verba illa: *Cum febre non intermittente*, eâdem videntur ratione eſſe dicta, qua etiam in *aphoriſmo antecedente*.

Eo

L I.

ΕΝ τοῖσι πυρετοῖσιν ἀποστήματα μὴ λυόμενα πρὸς τὰς πρώτας κρίσιας, μῆκος νόσου σημαίνει.

In febribus, abscessus qui ad primas indicationes non soluuntur, longitudinem morbi significant.

Sermo clarus eſt, nec fortaſsè indiget Hippocratis authoritate. Liquet enim eo ipſo quod ad primas indicationes non ſoluuntur, quòd huiuſcemodi paſſiones ſunt diu duraturæ.

L I I.

ΟΚόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν ἢ ἐν τῇσιν ἄλλῃσιν ἀῤῥωστίῃσι κατὰ προαίρεσιν ὀφθαλμοὶ δακρύουσιν, οὐδὲν ἄτοπον, ὁκόσοισι δὲ μὴ κατὰ προαίρεσιν, ἀτοπώτερον.

Iis qui in febribus, vel in aliis morbis ſponte illacrymant, nihil horribile accidit; qui verò non ſponte, horribilius.

Dictum quidem & in *Prognoſtico*, lacrymari non eſſe bonum ſignum, quando videlicet oculus ipſe nullum affectum habet proprium atque præcipuum, veluti lippitudinem, vel in palpebris aſperitatem, vel tale aliquid. Nam debilitas quædam oſtenditur potentiæ contentiuæ, quando, ſi tale nihil adſit,

adsit, illachrymant. Non rectè autem scriptum fuit, *horribilius*, comparatiuè: melius enim fuerat absolutè horribile dicere,& mihi videtur hic error culpâ magis primi librarij,quàm ipsius Hippocratis contigisse.

LIII.

Ὁκόσοισι δ' ἐπὶ τῶν ὀδόντων ἐν τοῖσι πυρετοῖσι περὶ γλίσχρα γίνεται, ἰσχυρότεροι γίνονται οἱ πυρετοί.

Quibus circa dentes in febribus quidam lentores nascuntur, iis fortes fiunt febres.

Neque enim nasci possunt huiuscemodi lentores sine caloris multitudine pituitosiorem humiditatem exiccante.

LIV.

Ὁκόσοισιν ἐπὶ πολὺ βῆχες ξηραὶ βραχία ἐρεθίζουσαι ἐν πυρετοῖσι καυσώδεσιν, οὐ πάνυ τι διψώδεές εἰσιν.

Quibus plurimùm siccæ tusses leuiter irritantes in febribus ardentibus fiunt, non multum siti infestantur.

Siccas tusses illas nominant,in quibus nihil expuitur. Fiunt autem aliquando ob intemperiem instrumentorum quæ obseruiunt respirationi, aliquando verò in faucium asperitate,vel aliquo tenui & pauco humore destillante.

deſtillante. Quicquid horum acciderit, aliquo modo madeſcunt loca quæ ad aſperam pertinent arteriam, & ideo minùs ſiticuloſi fiunt. Nam ſi aſperitas ſola fuerit propter motum in tuſſi factum, ex locis vicinis humor aliquis trahitur; ſic etiam ſi ſola fuerit intemperatura.

LV.

Οἱ ἐπὶ βουβῶσι πυρετοὶ, πάντες κακοὶ, πλὴν τῶν ἐφημέρων.

Ex inguinum tumoribus febres omnes malæ, præter diarias.

Febres diariæ omnes ab ipſo vocantur, quæcunque ſui ratione vna die durant. Tales autem ſunt ex tumoribus inguinum, quando ex cauſis manifeſtis conſiſtunt. Alios verò tumores inguinum, qui ſine cauſa manifeſtà fiunt, fit veriſimile ex viſcerum inflammationibus fieri: atque ideò febres, quæ vnà cum ipſis eueniunt, malas eſſe.

LVI.

Πυρέσσοντι ἱδρὼς ἐπιγενόμενος μὴ ἐκλείποντος τοῦ πυρετοῦ, κακόν. μηκυνέει γὰρ ἡ νοῦσος, καὶ ὑγρασίην πλείω σημαίνει.

Febricitanti ſudor ſuperueniens febre non deficiente, malum. Prorogatur enim morbus, & multam ſignificat humiditatem.

Oportuit

Oportuit hunc aphorismum cum altero paulò antea dicto coniungi, in quo dicit: *Sudor multus, frigidus vel calidus semper fluens*. Ipse verò ostendit, quo pacto talem sudorem dixerit esse malum, & propter quam causam. Malus itaque existit, tum quia morbum non soluit, tum quia ipsum prorogari significat. Causam verò prorogationis, multam ait esse humiditatem; quam in tempore longiori dissoluente ac concoquente naturâ, necessarium est morbum esse longum.

LVII.

ΥΠὸ σπασμοῦ ἢ τετάνου ἐνοχλουμένῳ πυρετὸς ἐπιγενόμενος, λύει τὸ νόσημα.

Qui à conuulsione aut distentione neruorum tenetur, febre superueniente liberatur.

Lib. de loc. in homine, 420.26.

† τέτανος.

Est quidem & † distentio neruorum conuulsio, sed non videntur in ipsa partes conuulsæ: quoniam æqualiter ante & retrò tenduntur, atque ideo proprium illi nomen est datum, distentio: ita vt omnes conuulsiones sint numero tres, græcis vocabulis, *Opisthotonus*, id est, tensio ad posteriora: *Emprosthotonus*, id est, tensio ad anteriora: & *Tetanos*, id est, æqualis tensio, nominatæ. Omnes verò secundùm ipsum conuulsiones fiunt vel ex repletione, vel ex euacuatione,

partium

partium videlicet neruosarum. Quæcunque igitur conuulsiones ad febres ardentes sequuntur, has par est fieri ex siccitate. Quæcunque verò à proprio principio inuadunt, ex repletione habent generationem. His itaque conuulsionibus febres aduenientes, partim quidem superfluam dissoluunt humiditatem, partim verò † concoquunt frigiditatem: quæ duæ sunt Medicis remediorum intentiones. Non absque ratione igitur conuulsiones à febribus ardentibus sunt lethales; non lethales verò, quæ febres antecedunt.

† *Alibi legitur, θερμαίνουσι; id est calefaciunt.*

LVIII.

ΥΠὸ καύσου ἐχομένῳ ἐπιγινομένου ῥίγεος, λύσις γίνεται.

Febre ardente laboranti, rigore superueniente, solutio fit.

Ostensum enim est in sermone, *de rigore*, ob flauam bilem, quæ per membra sentientia veloci motu defertur, fieri rigorem: post quem videlicet & alui soluuntur, & sudores & vomitus biliosi superueniunt. Bile igitur, ex qua febris ardens habuit ortum, expurgatâ, soluitur febris. Nam febrem ardentem fieri nouimus æstiuo tempore, quando venæ exiccatæ acutos ac biliosos ad se ichores attraxerint.

Ταυταῖος

LIX.

Τριταῖος ἀκριβὴς κρίνεται ἐν ἑπτὰ περιόδοισι, τὸ μακρότατον.

Tertiana exquisita, septenis circuitibus, cùm longissima est, iudicatur.

Tertiana febris, ab ea quæ ardens nominatur humore faciente non differt. Vtraque enim à flaua bile fit. Differunt autem, quoniam febris ardens habet in venis vnà cum sanguine flauam bilem plurimam ebullientem: tertiana verò eandem bilem habet in toto corpore euntem ac motam. Exquisita igitur tertiana erit, quæ suam naturam seruat puram atque sinceram. Seruat autem vbi flauam bilem habet (vt dixi) † superabundantem, & motam: & præterea tempus æstiuum, & locum tempori similem, calidum scilicet ac siccum, & hominis ætatem, & temperaturam similem. Statim verò in tali tertiana accessio fiet vnà cum rigore: & solutio eius per sudores, vel per vomitum, aut per aluum inferiorem flauâ bile euacuatâ, vel omnibus istis simul contingentibus. Erit autem huic tertianæ tempus accessionis minus multò quàm quietis. Duobus siquidem diebus, & totidem noctibus cùm totus eius circuitus perficiatur, exquisitam tertianam nunquam inuenies extra duodecim,

† Φερομένην *alibi legitur, id est, delatam.*

decim horas ſuam acceſſionem protendere. Talem itaque ait Hippocrates in ſeptem circuitibus, vt longiſſimè, iudicari. Quod enim in continuis vna dies valet, hoc in intermittentibus acceſſio. Secundum igitur iſtarum connumerationem, earum fiunt iudicationes. Hoc autem innuit & ipſe *in Prognoſtico*, vbi de quartana loquitur, ita inquiens: *Seruat etiam quartanarum conſtitutio ordinem talem.* Eſt autem & à nobis obſeruatum, tum in quartanis, tum etiam in tertianis, fieri iudicationem ſecundum numerum circuituum, non dierum. Nimirum in tertiana febre ab initio ſeptima acceſſio in tertium & decimum incidit diem, & ſæpius in ipſo morbus iudicatur, non expectato quartodecimo. Sicut igitur in morbis continuis, acutorum quidem morborum terminus eſt quartuſdecimus, peracutorum verò ſeptimus: ſic in intermittentibus, longiſſima tertiana febris terminum habet circuitum ſeptimum. Rurſus autem ſicuti in peracutis morbus poterat iudicari quinto, & quarto, & tertio die: ſic & in tertiana eiſdem circuitibus fieri ſolutio poteſt, non expectante naturâ ſeptimum. Hippocrates igitur tertianam aliquando cum adiectione *exquiſitam* nominat: aliquando verò

ſimplici appellatione contentus, tertianam tantummodo: ſicuti nunc quoque conſuetudo Græcorum eſt, huiuſcemodi res omnes † dupliciter nominare.

† Græc. eſt ἀδιορίστως, id eſt indefinitè.

L X.

ΟΚόσοισιν αἳ ἐν τοῖσι πυρετοῖσι τὰ ὦτα κωφωθῇ, αἷμα ἐκ ῥινῶν ῥυὲν, ἢ κοιλίη ἐκταραχθεῖσα λύει τὸ νόσημα.

Quibus in febribus aures obſurduerunt, ſanguis ex naribus fluens, aut aluus turbata ſoluit morbum.

Dictum eſt quidem ab ipſo etiam antea, ſurditatem fieri ſi billioſa excrementa retineantur, & ad caput recurrant. & talem ſolui ſurditatem, ſi aluus turbetur. Dictum eſt autem & nunc ab ipſo hoc idem, & prætereà de profluuio ſanguinis è naribus. Etenim & hoc ſoluit ſurditatem, eam ſcilicet quæ in febribus fit abſque vlla propria atque præcipua inſtrumenti auditûs paſſione. Et nihil mirum eſt, ſi euacuatis aut tranſmutatis noxiis humoribus ceſſant paſſiones.

Hunc aphor. Gal. non habuit.

ΤΑ' ἐν ἀρτίῃσι κρινόμενα, δύσκριτα καὶ φιλυπόστροφα.

Qui morbi diebus paribus iudicantur, malè iudicantur, ac lubenter repetunt.

Πυρέσσον-

LXI.

ΠΥρέσσοντι ἢν μὴ ἐν περισσῇσιν ἡμέρῃσιν ἀφῇ ὁ πυρετὸς, ὑποστροπιάζειν εἴωθεν.

Febricitantem nisi diebus imparibus febris reliquerit, solet reuerti.

Nescio si hunc aphorismum Hippocrates scripserit, an fuerit à quopiam ascriptus; siquidem *in Prognostico* dierum iudicantium incrementa ac compositiones, quæ per quaternarium fiunt, edocuit, & in hoc ipso *libro Aphorismorum*, atque etiam *in Epidemiis* non modò die quartodecimo multos vidit iudicatos, sed etiam in vigesimo & quadragesimo, & sexagesimo, & octuagesimo. Ipsi verò iudicant & vigesimaquarta, & trigesimaquarta, & ab initio protinus, quarta. Quomodo igitur ait nunc, quòd nisi in diebus imparibus febris cessauerit, non sit fida iudicatio? Melius est itaque pro imparibus scribere iudicatoriis, vt quibusdam visum est. Multa tamen exemplaria in numero plurali *imparibus diebus*, scriptum habent.

LXII.

ΟΚόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν ἴκτεροι ἐπιγίνονται πρὸ τῶν ἑπτὰ ἡμερῶν, κακόν.

Quibus in febribus morbus regius ante diem septimum accidit, malum.

Morbus regius fit aliquando iudicatorius, deponente naturâ in totum corpus, & præcipuè in cutem, flauam bilem: aliquando etiam ſymptoma eſt, hepate malè ſe habente. Ipſius verò vitia, ex quibus morbus regius ſolet aduenire, tria ſunt, ſcirrhus, inflammatio & obſtructio. Verùm ſcirrhus quidem, diutinus morbus exiſtit: inflammatio verò & obſtructio etiam repentè fieri poſſunt: & qui regij morbi ante ſeptimum accidunt diem, ex aliquò iſtorum ortum habent: nam citiùs non poteſt iudicatoriè bilis perduci in corpus. Ante ſeptimum itaque diem, morbum regium eſſe malum, verum exiſtit: non tamen poſt ſeptimum vacare periculo, eſt pariter verum: neque hoc nunc dictum eſt. Poteſt enim & inflammatio & obſtructio longiori tempore permanere, ante ſeptimum tamen bilem iudicatoriè efferri eſt impoſſibile. In quibuſdam verò exemplaribus adiectum eſt aphoriſmo circa finem, *Niſi humores per aluum concedant.* Nimirum volentibus iis qui hæc adiiciunt, per aluum bilem expurgari.

LXIII.

ΟΚόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσι καθ' ἡμέρην ῥίγεα γίνεται, καθ' ἡμέρην οἱ πυρετοὶ λύονται.

Quibus

Quibus in febribus quotidie rigores fiunt, quotidie febres ſoluuntur.

Cùm bile per omnem corporis habitum motâ rigores accidant, atque ideò ſingulis acceſſionibus expurgetur atque euacuetur, non abſque ratione ad infebricitationem peruenit talium febrium intermiſſio. Hoc igitur eſt quod nunc dictum eſt ab eo, *Quotidie febres ſoluuntur*: ac ſi dixiſſet, ægrotos quotidie ſine febre eſſe. Quemadmodum autem ſi quotidie rigores fiunt, quotidie etiam febres ceſſant: ſic vtique etiam, ſi tertio aut quarto quôque die, quod ſcilicet fieri videtur & in tertianis, & in quartanis circuitibus, in quibus & febres ſoluuntur, & rurſus redeunt; remanet tamen quædam diſpoſitio præter naturam in corpore, à qua per circuitum febres & alij morbi generantur.

LXIV.

Ὁκόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσι τῇ ἑβδόμῃ, ἢ τῇ ἐνάτῃ, ἢ τῇ ἑνδεκάτῃ, ἢ τεσσαρεσκαιδεκάτῃ ἴκτεροι ἐπιγίνονται, ἀγαθὸν, ἢν μὴ τὸ δεξιὸν ὑποχόνδριον σκληρὸν ᾖ· ἢν δὲ μὴ, οὐκ ἀγαθόν.

Quibus in febribus morbus regius ſeptimo, vel nono, vel vndecimo, vel quartodecimo ſuperuenerit, bonum: niſi dextrum hypochondrium obduruerit: ſi verò non, non bonum.

Qui ante hunc scribitur aphorismus, absque ordine mihi videtur fuisse interiectus. Melius enim fuisset hunc, qui nunc scribitur, aphorismum illi fuisse coniunctum, in quo ait: *Quibus in febribus morbus regius ante diem septimum accidit, malum*, vt totus sermo talis procedat: Ante septimum quidem diem, morbum accidere regium, malum omnino: post septimum verò bonũ nisi dextrum hypochondrium obduruerit, id est, nisi aliquis malus affectus ex iis, quos antea diximus, hepati acciderit. Cùm enim sanguis in eo purgetur, bile translatâ ex venis ad canales bilem recipientes, siue obstructio fuerit in locis per quæ transfertur, siue inflammatio aliqua, vel scirrhus, necessarium est omnino non expurgari sanguinem, & vnà cum ipso bilem per totum corpus deferri, & hinc morbum regium generari.

L X V.

EN τοῖσι πυρετοῖσι περὶ τὴν κοιλίην καῦμα ἰσχυρὸν καὶ καρδιωγμὸς, κακόν.

In febribus circa ventriculum fortis æstus, & cordis morsus, malum

Quòd quidem non solùm ei visceri quod suâ naturâ palpitat, Cor, nomẽ fuit apud antiquos, sed etiam ori ventriculi, pro confesso habetur

habetur apud omnes: ſicuti etiam quòd cardialgian, id eſt cordis dolorem, huius partis dolores appellant: & verbum καρδιώσσειν, plurimi exponentium aphoriſmos, pro καρδιαλγεῖν, id eſt, corde dolere acceperunt: nonnulli verò ipſius viſceris, cordis inquam, motum quendam palpitationi ſimilem per cardiogmon intellexerunt. Fortis itaq; ventriculi æſtus à flaua bile in ipſius tunicis ebulliente generatur. Rationabiliter autem iis qui ita affecti ſunt, & ventriculi mordetur os, atque ob id malus eſt caſus. Si quis verò per cardiogmon, crebrum & velocem cordis motum, & præcipuè ſimilem palpitationi intellexerit, extremum ex eo malum ſignificatur, vim ſcilicet vitalem maximo incendio laborare.

LXVI.

ΕΝ τοῖσι πυρετοῖσι τοῖσιν ὀξέσιν οἱ σπασμοὶ καὶ οἱ περὶ τὰ σπλάγχνα πόνοι ἰσχυροὶ, κακόν.

In acutis febribus conuulſiones, & circa viſcera dolores fortes, malum.

Febres vehementes, veluti ignis neruos exiccantes, eos extendunt atque conuellunt, atque hoc modo malas afferunt conuulſiones. Nonnunquam verò & viſcera ipſa in tali affectu dolorem ſentiunt, propter incendij vehementiam, ac ſiccitatem: atque idcirco

malum esse inquit. Peior autem fuerit, si forte dolores acciderint. Scimus autem quòd etiam propter inflammationem, vel erysipelas, vel fortem obstructionem, vel abscessum aliquem, in visceribus dolores fiunt: sed non fit verisimile vt de his nunc sermo habeatur ab ipso. Manifestum enim in ipsis est periculum, neque necessariò adiungitur conuulsioni: & cùm Hippocr. *in febribus* dicit, morbos febriles intelligit, quando febres ipsæ sunt morbus, non symptoma partis alicuius, quæ aliquo dictorum affectuum laboret.

LXVII.

ΕΝ τοῖσι πυρετοῖσιν ἐκ τῶν ὕπνων φόβοι ἢ σπασμοὶ, κακόν.

In febribus, ex somnis timores, vel conuulsiones, malum.

Dictum ab ipso anteà fuit, quòd *somnus lædens ægrotantem, mortalis est: qui autem non lædit, non est mortalis*: qui exemplum sermonis adiiciens, inquit, *Vbi delirium somnus sedat, bonum*, tanquam somno existente aliquo, ex quo delirium non sedatur, sed etiam excitatur aliquando ac generatur. Verùm hìc alia profert exempla noxæ ex somno aduenientis, *Pauores ac conuulsiones.*

nes. Quidam verò non pauores ſcribunt,ſed labores : atqui nos ſæpe vidimus in morbis exitialibus & timores, & labores,& conuulſiones factas ex ſomnis. Hoc autem videtur contingere, quando in ſomnis ad cerebrum humor infeſtus peruenerit:tunc magis intrà quàm extrà natura mota.Et quidem ſicuti iis,qui à cibo in ſomnum feruntur,caput impletur : ſic in plethoricis diſpoſitionibus, ſomni ipſum replentes aggrauant cerebrum. Si igitur ea plenitudo magis ad atræ bilis naturam vergit, timores fiunt : ſed ſi talis non fuerit,labores ac conuulſiones. Et ſomni vtique ſemper nocerent , quatenus in profundum & viſcera materia fluit, niſi coctionis ratione plus afferrent vtilitatis quàm ſit damnum quod ex motu ad interiora conſequitur. Non ſolùm autem in cerebro ipſo mali humores aceruati tales afferunt caſus , ſed & in ipſo ore ventriculi Quare & in ſomnis magis euaporant , cùm incocti permanent : ſicnti coctiones vtiles ſomnos inducunt.

LXVIII.

EN τοῖσι πυρετοῖσι τὸ πνεῦμα προσκόπτον, κακὸν, σπασμὸν γὰρ σημαίνει.

In fibribus ſpiritus, offendens, malum : conuulſionem enim ſignificat.

Spiritum nunc intelligere oportet ipſum dicere, ſicuti *in prognoſtico*, reſpirationem: qui vbi offendit, hoc eſt, in medio ſui interruptus ſubſtiterit, conuulſionem ſignificat. Etenim fit mouentibus thoracem muſculis ac neruis iam conuulſioni paratis; quâ diſpoſitione inſuper auctâ, & plures occupante partes, manifeſta conuulſio hominem apprehendet. Cùm verò duplex ſit in reſpiratione motus: alter quo ſpiritus fertur ad interiora, inſpiratio dicitur: alter quo ad exteriora, contrariam accepit appellationem expiratio nominatus. Offendit autem ſpiritus, aliquando quidem inſpirantibus: ſicuti cùm ipſe dicit, *Duplex intrò reuocatio, veluti ſuperinſpiratio*: Aliquando expirantibus, ſicuti cùm dicit, *Et ſpiritus offendens cùm ad exteriora fertur.* In his igitur, vtriuſque partis reſpirationis ſeorſum meminit; in propoſito verò aphoriſmo de tota ipſa vniuerſim pronuncians, inquit: *Spiritus offendens*, ſiue cùm fertur intrò, ſiue cùm extrà, ſiue vtrobique iſtud accidat.

L X I X.

ΟΚόσοισιν οὖρα παχέα θρομβώδεα, ὀλίγα, οὐκ ἀπυρέτοισι, πλῆθος ἐπελθὸν ἐκ τουτέων λεπτὸν, ὠφελέει, μάλιστα δὲ τὰ τοιαῦτα ἔρχεται

ἔρχεται ὁκόσοισι ἐξ ἀρχῆς ἢ διὰ ταχέων ὑπόστασιν ἴσχει.

Quibus adhuc febricitantibus vrinæ sunt crassæ, grumosæ, paucæ, multitudo earum tenuis superueniens, iuuat: præcipuè verò tales veniunt, quibus ab initio, vel non ita multo pòst, sedimentum inest.

Non simpliciter vrinas crassas dixit, sed & grumosas adiecit; duorum alterum ostendens, vel crassitudinis quantitatem, vel consistentiæ inæqualitatem ac diuulsionem: ita vt plures quædam ipsarum consistentiæ circumscriptæ appareant, veluti grumi. Nonnulli verò non grumosas scribunt, sed cœnosas, sicuti Numisianus & Dionysius: qui, siquidem per hoc verbum fœtorem quendam ostendunt, plus aliquid quàm alij demonstrant. Si verò velut crassitudinis quantitatem, nihilo plus hoc ipso docent. Sermo verò Hippocratis vniuersus non videtur haberi de vrinis fœtidis, sed de paucis tãtùm, ac crassis, vt ex oppositione manifestat, inquiẽs, *Multitudo veniens ex his tenuis iuuat.* Quare si vel hoc solum scriberetur Quibus vrinæ crassæ, paucæ, nihil sermoni deficeret. Fiunt autem & sine febribus vrinæ tales, naturâ expurgante per renes totius corporis superfluitates. Fiunt etiam in febre: vbi quispiam fortè

fortè existimaret ad contraria transmutationem non esse bonam: quoniam magna ex parte in febribus, ex vrinis ab initio tenuibus fit ad crassiores conuersio, tendente iam morbo ad solutionem. Atque ideò maximè mihi videtur ita scriptus ab ipso fuisse aphorismus,id quod rarò accidit,edocente. Contingit enim aliquando,vel per initium morbi,vel non multò pòst,vrinas crassas propter materiæ grauitatem in fundo habere sedimen.His igitur vrinis sedimen bonum signũ non est,sicuti aliis quæ ab initio tenues existentes, ratione totius morbi coctionis sedimen capiunt.Non absque ratione autẽ crassæ vrinæ sunt multitudine paucæ,vt quæ vix renes pertranseant. Cùm itaque maior pars talium humorum malorum fuerit euacuata, & reliquum simul concoctum: tunc excernuntur multò prioribus tenuiores. Melius est enim si,ita dicatur, & nõ *tenues*,absolutè, quemadmodum dixit Hippocr. Quæ enim secundum naturam sunt, non simpliciter tenues existunt, sicuti neque crassæ, sed medium tenent inter vtrumque excessum: & cùm mediocritatem habeant, crassiores quidem sunt atque dicuntur aquosis, tenuiores verò grumosis, multæ verò cum ratione excernuntur, quia priùs fuêre retentæ: quo tempore crassæ existentes,difficulter exibãt.

LXX.

ΟΚόσοισι δὲ ἐν πυρετοῖσι τὰ οὖρα ἀναπεταραγμένα, οἷον ὑποζυγίου, τουτέοισι κεφαλαλγίαι ἢ πάρεισιν, ἢ παρέσονται.

Quibus febricitantibus vrinæ ſunt perturbatæ, quales ſunt iumentorum, iis dolor capitis vel adeſt, vel aderit.

Hunc nonnulli aphoriſmum cum ſuperiori coniungunt, tanquam eius partem, ita ſcribentes: *Quibus autem vrinæ perturbatæ ſunt, hiſce dolores capitis.* Et volunt quidam verbum, *perturbatæ*, contrarias vrinas oſtendere iis quas antea tenues nominauit: nonnulli verò eas ipſas vrinas turbulentas. Falſum autem eſt, quòd vrinæ tenues ſint cum dolore capitis. Videntur enim dolores capitis aliquando antecedere, aliquando ſimul eſſe cum perturbatis vrinis. Qualéſnam autem hæ ſint, manifeſtè monſtrauit, inquiens: *Quales ſunt iumentorum*, & tales fiunt, materia craſſa ac denſa à calore agitata. Hæ enim videntur maximè etiam ab externo calore in vaporem ſolui, ſicuti bitumen, pix, atque reſina. Nonnullæ igitur tales vrinæ longo tempore manent pertùrbatæ, non-nullæ verò citò ſedimen craſſum habent, & citò morbum ſolutum iri ſignificant.

Quæ

Quæ verò non resident, si vires affuerint, longum fore morbum ostendunt; si imbecillitas adsit, ægri mortem prænunciant. Hæc quidem ex superabundãti à nobis sunt dicta, quoniam non carent vtilitate: quæ verò ad ipsum attinentia aphorismum adhuc dicere oportet, sunt ista: Vrinis perturbatis *capitis dolores* necessariò *aut adsunt, aut aderunt*, vt inquit Hippocrates: quoniam spiritus flatuosus vnà cum calore promptè fertur ad caput. Non tamen si quis dolet caput, aut doliturus est, huic omnino tales sunt vrinæ futuræ. Fiunt enim dolores capitis etiam ex calore solo, nonnunquam verò ex flaua bile, quæ vel in capite, vel in ventriculo continetur, & ex humorum abundantia caput opprimente, vel propter aliquam loci obstructionem, vel à spiritu flatuoso habente in parte ipsa generationem: quorum nullum talem facit vrinam ex necessitate.

LXXI.

Ὁκόσοισιν ἑβδομαῖα κρίνεται, τουτέοισιν ἐπινέφελον ἴσχει τὸ οὖρον τῇ τετάρτῃ ἐρυθρὸν, καὶ τ' ἄλλα κατὰ λόγον.

Quibus septimo die fit crisis, iis nubecula rubea quarto die in vrina apparet, & alia ex ratione.

Sicuti

Sicuti in multis aliis seipsos imperitos artis Hippocratis ostenderunt plurimi eorum, qui hunc eius librum exposuerunt, sic & in isto aphorismo. Putant enim appositū aphorismo hoc: *Et alia ex ratione*, significare quæcunque circa somnos, vel vigilias, vel respirationem, vel decubitum, vel surrectionem, vel si quid aliud huiusmodi in *Prognostico* scripsit, vt si hæc omnia bene facta videantur, septimo die futuram speremus iudicationem. Videntur autem ignorare capita maximè ad præcognitionem facientia. Vigilant enim magna ex parte, & grauiter se habent, ac febriunt vehementiùs ægri, quantò magis iudicatio appropinquat. Plures verò eorum propè iudicationem spirant difficulter. Non igitur est necesse quod ex vrinis apparet signum sine talibus casibus fieri, ad firmiorē futuræ iudicationis spem, sed multa alia quæ frequentiùs quàm istud apparent: de quibus nihil videntur cognoscere, qui audent Hippocratis scripta exponere, priusquam totam ipsius artem perdiscant. Nam cùm quarta dies sit index, quemadmodum ipse docuit, & qualis sit futura septima nunciet; quodcunque signum concoctionis in ipsa manifestum apparuerit, futuram septimâ die iudicationem ostendit: itaque

non

non solùm rubra aliqua nubes apparens, anteà non visa, iudicationem significat, sed & alba multo magis quàm ipsa, adhuc autem magis & sublimamentum album, æquale, atque consistens. Si verò velociter admodum morbus moueatur, mutatio coloris & substantiæ sunt sufficientia signa futuræ iudicationis. Tenuis itaque vrina si mediocriter crassa efficiatur, sicut & quæ alba si pallida fiat, in tali morbo iudicationem significat. Vnius itaque signi nominatim Hippocrates meminit, nubeculæ scilicat rubræ: sed vult cum hoc, etiam alia ex ratione intelligamus, quæcunque futuras iudicationes ostendunt. Sunt autem hæc, quæ in diebus ab ipso vocatis indicibus & contemplabilibus, fieri consueuêre vel in vrinis, vel in excrementis alui inferioris, vel sputis. Semper enim hæc talia omnia iudicationes significant, non tamen bonas semper. Solis enim coctionis signis in diebus contemplabilibus apparentibus, bonę futuræ iudicationes indicantur. Sensus ergo verborum aphorismi talis est. Meminit autem nubis rubræ tanquam signi perrari. Albæ enim frequentissimè apparent, & sunt signum coctionis manifestum. Rubræ verò raro fiunt: & nisi hoc in loco de ipsis dixisset Hippocrates, quòd in diebus indicantibus apparentes

apparentes futuram nunciant iudicationem, fortè nemo talem ipsis adesse vim expectaret; siquidem colorem rubrum salutarem quidem esse ait, sed diutinum tamen. Nam *in Prognostico* ita ad verbum scribit: *Si verò vrina fuerit subrubra, & sedimen subrubrum & laue: magis quidem hæc diutina quàm illa, sed admodum salubris.* Nunquid igitur quartâ die talis nubes apparens, futuram in septima iudicationem significabit, in alia autem aliqua indice non significabit, diligentiùs est inquirendum: quod in ipsis operibus est obseruandum. Nam quantum ad rationes attinet, sunt ad vtramque partem argumenta, & magis ad alteram, quòd non significabit, nisi morbus valde vehementer moueatur. Nam si quarto die fiat, quod sequitur tempus, æquale priori assumens, non est impossibile quòd iudicationem ostendat. In vndecimo autem apparens, non mihi admodum videtur tribus tantùm diebus egere, sed etiam pluribus. Verissimum siquidem est, colorem talem aliquid suffragari solutionibus. Ego quidem rarò signum tale in aliis diebus vidi, præter quàm in quarto. Cui verò in septimo apparuit, hic quartodecimo fuit iudicatus; cui verò in quartodecimo, hic in vigesimo. Apparuit autem cuidam

alteri in vndecimo,qui decimoseptimo iudicatus est:& cuidam alij in eodem vndecimo rursus, qui vigesimo die fuit iudicatus.

LXXII.

Οκόσοισιν οὖρα διαφανέα, λευκὰ, πονηρὰ, μάλιστα δ' ἐν τοῖσι φρενιτικοῖσιν ἐπιφαίνεται.

Quibus vrina alba sunt & perspicua, mala: præsertim verò in delirantibus apparent.

Vrinæ tales extremam cruditatem significant, quare & morbos longos significant; quædam verò ex ipsis, cùm anticipauerint vires dissoluere, sunt perniciosæ, veluti in deliriis. Nullum etenim vidi delirantem, in quo talis vrina apparuisset, saluatum. Melius siquidem est, vt sicuti totus morbus est biliosus,sic & vrinæ appareant biliosæ.Aquosæ autem vrinæ (tales enim sunt albæ atque perspicuæ) magnam cruditatem ostendunt, & prætereà flauam bilem ad caput totam rapi.Quibusdam enim vrinæ sunt perspicuæ, non tamen albæ, quæ scilicet tenuem habent substantiam, colorem verò biliosum. Quæ verò perspicuæ sunt & albæ simul, sunt penitus aquosæ. Si igitur simpliciter scriptum sit, *Maximè verò in delirantibus*, horum verborum intellectus est manifestus.

Si

Si verò fini sermonis adiiciatur, sicuti in aliis exemplaribus videtur adiectum, verbum, *apparent*, sensus erit talis, Aquosæ vrinæ malæ sunt: præcipuè verò tales apparent in delirantibus qui exitio proximi sunt, neque enim in omnibus, quemadmodum nonnulli huius libri expositores intellexerunt: ignari eorum quæ in ægrotis apparent. In quibusdam exemplaribus ita scriptus est finis aphorismi: *Præcipuè verò in delirantibus tales apparent*, & est idem intellectus, qui secundæ scripturæ anteà à nobis dictæ.

LXXIII.

Ὁκόσοισιν ὑποχόνδρια μετέωρα διαβορβορίζονται, ὀσφύος ἀλγήματος ἐπιγινομένου, αἱ κοιλίαι τουτέοισι καθυγραίνονται, ἢν μὴ φῦσαι καταῤῥαγέωσιν, ἢ οὔρου πλῆθος ἐπέλθῃ, ἐν πυρετοῖσι δὲ ταῦτα.

Quibus hypochondria suspensa murmurant, lumborum dolore superueniente, iis alui humectantur, nisi flatus erumpant, aut vrinæ multitudo proueniat: hæc verò in febribus.

Hypochondriis suspensis, hoc est, ad maiorem tumorem ex multis causis deductis, quarum vna est spiritus flatuosus (de hac nunc differit) dupliciter cõtingens: nonnun-

quam quidem ex aliquo affectu difficilem habente solutionem partium ad aluum attinentium : nonnunquam verò ex aliqua recenti occasione. Distinguit autem Hippocrates nunc ista. Nam prior dispositio cum murmure non fit. Extensa enim atque inflata instar vtris, hypochondria in ea repræsentantur. Altera verò fit cum murmure. Sic autem nominatur spiritus sonus , cùm neque magnus neque multus extiterit , cum quadam autem modica humiditate ad inferiora movetur. Et quidem accidit tali murmure descendente ad lumborum loca , vnà cum ipso hypochondriorum tumorem deportari : vnde partibus, quæ hîc sunt, ex ipso distentis prouenit dolor: deinde ita nonnunquam humore ad distributionem concitato, solus spiritus flatuosus emittitur , nonnunquam verò vnà cum humore. Quinetiam humor distributus sæpe per vrinas excernitur. Rectè ergo inquit, in dictis signis aluum deiici , nisi anticipet seorsum quidem humor distribui, seorsum verò spiritus in intestinis retentus per sedem excerni. Contingit verò quandoque vtrumque in corpus distributum , videlicet & spiritum & humorem, citò ad vesicam permeare. Quod verò in fine aphorismi scribitur : *In febribus verò hæc* :

talc

tale aliquid mihi videtur ſignificare. A febribus moleſtari dicebant antiqui illos, qui abſque inflammatione, vel abſceſſu, vel dolore, vel eryſipelate, vel vt ſimpliciter dixerim) abſque aliquo membro præcipuè affecto, ægrotabant. Quod ſi vel propter lateris inflammationem vel pulmonis, vel talis partis alterius, febricitarent: non febricitantes ipſos nominabant, neque à febribus moleſtari dicebant: ſed pleuriticos aut peripneumonicos, & aliis ſimilibus nominibus, veluti hepaticos & lienoſos appellabant. Nunc itaque mihi videtur Hippocr. duorum alterum velle inſinuare, vel quòd hæc quæ dixit, febribus accidunt, in quibus nullum membrum affectum eſt: vel quòd illis etiam accidunt morbis, non tamen ipſis aluus erumpit, vel flatus aut vrinæ prodeunt. Neque enim aliquo naturæ motu membris ſpiritum flatuoſum expellentibus, murmur in illis contingit fieri, ſed tanquam ſymptoma ſolùm.

LXXIV.

Ὁκόσοισιν ἐλπὶς ἐς τὰ ἄρθρα ἀφίστασθαι, ῥύεται τῆς ἀποστάσιος οὖρον πολὺ καὶ παχὺ, καὶ λευκὸν γινόμενον, οἷον ἐν τοῖσι κοπώδεσι πυρετοῖσι τεταρταίοισιν ἄρχεται ἐνίοισι γίνεσθαι. ἢν δὲ καὶ ἐκ τῶν ῥινῶν αἱμορραγήσῃ, καὶ πάνυ ταχὺ λύεται.

Quibus speratur abscessus futurus ad articulos, eos liberat abscessu vrina multa, crassa, & alba, qualis in laboriosis febribus quarto die quibusdam incipit fieri. Si verò etiam ex naribus fluxerit sanguis, breui admodum solutio fit.

Dictum est à me etiam priùs, quòd abscessus fiunt ad articulos iis, qui in his laborem passi sunt, & quibus quouis modo in morbo articuli lassati sunt, & præthereà in quibuscunque crassorum humorum multitudo longo tempore perdurauerit. Si itaque natura valuerit per vrinam expurgare corpus, ægrum ab abscessu liberat, humorem ad articulos decubiturum per vesicam euacuans. Satis autem habuit, laboriosarum febrium veluti in quodam exemplo meminisse, quæ initium ad vrinam motionis in die indice accipiunt. His enim laboriosis hoc inest, quòd citò abscessus faciant, non expectantibus, vt aliæ, tempus prolixius. Iisdem etiam iuxta aurem fieri abscessus consueuêre, sicuti aliis etiam longioribus redundantia humorum magis ad inferiora decumbit. Quibus igitur caliditas maior materiam subleuauit, vel sanguinis profluuium patiuntur, aut parotidas, id est, iuxta aures abscessus habent. Quòd autem solutio hæc citiùs fiat quàm

quàm quæ per vrinas, non oportet dicere: quare & in ipsa adiecit Hippocrates, *Et breui admodum solutio fit*, alterâ quæ fit per vrinas euacuatione plures exigente dies. Quòd autem *quarto die* dicitur, pro exemplo positum est: te verò oportet transferre ad omnes dies alios, quicunque sunt contemplabiles & iudicatorij.

LXXV.

ΗΝ αἷμα ἢ πῦον οὐρέῃ, τῶν νεφρῶν, ἢ τῆς κύστιος ἕλκωσιν σημαίνει.

Si sanguinem aut pus mingat, aut renum, aut vesicæ exulcerationem significat.

Siue in renibus, siue in vesica vlcus sit, si quidem in vase aliquo magno ac rupto constiterit, & præcipuè cum aliqua exesione, sanguinis excretio consequitur; sine his autem, puris tantummodò. Contingit autem vt facto vlcere in aliquo vrinæ † meatuum, & pus & sanguis per vrinam exeat. Hi verò renes ac vesicam interiacent, quos oportet vnà intelligere cum illis. Exulcerantur autem sæpè iis, qui in renibus lapidem habent, meatus vrinarij, quando à lapide aliquo acuto aut admodum aspero in ipsis intercepto excoriantur. Vlcera autem si in pene fiant, etiam sine vrinis & pus exit, & sanguis. Exit

† οὐρητήρων.

autem & simul cum vrinis aliquando pus, disrupto abscessu in aliquo superiorum locorum. Quare plures expositores alteram scripturam magis probarunt, in qua coniunctio, &, scribitur in hunc modum: *Si sanguinem & pus minxerit, renum aut vesicæ vlcerationem significat*, quasi altero solo, scilicet pure, per loca vrinæ exeunte, fieri possit, vt sit signum non modò renum vel vesicæ exulceratæ, sed etiam alicuius partium superiorum. Fortè autem hi aliquid dicunt. Fortè etiam verbum, *mingat*, quod aliud significat quàm minxerit, in seipso continet distinctionem. Neque enim idem est, ita dicere, Si sanguinem & pus mingat: & illo modo, Si sanguinem & pus minxerit. Vno enim, vel duobus, vel tribus diebus potuit meiere pus, disrupto abscessu ad vrinæ instrumenta. Multis autem diebus, ac mensibus, vbi hoc factum fuerit, renum au vesicæ exulceratio significatur. Vtrum autem istorum potiùs euenerit: dolor distinguit, qui in differentibus accidit locis, & ea quæ cum vrinis excernuntur: de quibus deinceps loquetur. Et quidem de vrinariis meatibus eadem est ratio.

Oxόσοι

LXXVI.

Ὁκόσοισιν ἐν τῷ οὔρῳ παχεῖ ἐόντι σαρκία μικρὰ, ἢ ὥσπερ τρίχες ξυνεξέρχονται, τουτέοισιν ἀπὸ τῶν νεφρῶν ἐκκρίνεται.

Quibus cum vrina crassa caruncula parua, aut veluti capilli vnà exeunt, iis à renibus excernitur.

Paruæ quidem carunculæ renum ſubſtantiæ indicia ſunt: quod autem dicit, *veluti capilli*, ad renes nullo modo pertinet. Neque enim fieri poteſt, vt ad talem ſubſtantiæ formam ren diſſoluatur. Qui enim hoc aiunt, renum ignorant naturam. Sed neque veſicâ reſolutâ aut exesâ, vt quibuſdam viſum eſt, tales vrinæ exeunt. Sunt enim huius particulæ, foliorum ſimiles magis: ſicuti & Hippocrates paulo pòſt eas, *ſquamas* appellat. atque veritas ita ſe habet: quod nobis ſorte quadam ſæpius videre contigit: & alij quidam Medici in operibus artis multùm exercitati, ſæpè ſe aiunt vidiſſe vrinas tales. Vocant autem Medici recentiores hanc paſſionem capillamenta, quoniam capillis albis præſertim ſimilia apparent, quæ in vrina feruntur. Nuper autem quidam talia corpora tam longa mingebat, vt incredibilis longitudo videretur. Nam quædam ex ipſis ad di-

midium cubitum extendebantur. Hic verò toto ferè anno qui antecesserat, in vsu cibario habuerat orobum, & fabam, & sæpissimè caseum tenerum, ac siccum. Et talia mingere contigit aliis omnibus, qui cibis crassioribus vescebantur. Tali igitur humore in renibus quodammodo vsto, capillis similes substantiæ generantur. Et quidem modus ipse curandi, causæ inuentionem probat. Nam ab extenuantibus atque incidentibus medicinis, adhibito etiam alio victu humectante, ægri tales curantur. Si verò tanta esset exulceratio renum aut vesicæ, vt eorum substantia dissolueretur, non modò nihil ex talibus medicinis iuuarentur, sed supra modum exacerbarentur. In his itaque, sicuti & in aliis, Hippocrates dignus est admiratione, eorum inuentor, quæ à pluribus Medicis ad hunc vsque diem fuêre ignorata. Ipsa quoque sermonis diligentia magnam habet admirationem, cùm dicat talia ex renibus excerni. Neque enim sicuti in superiore aphorismo renum causatur exulcerationem, ita & nunc dixit: verùm simpliciter ex renibus inquit excerni, quemadmodum si aliquo mingente lapidem, ex renibus ipsum excerni dicamus: non quòd sit pars substantiæ eorum, sed quoniam in ipsis suam habuit consistentiam.

tiam. Paruæ igitur caruncula substantiæ renum vlceratorum partes existunt: Qui verò veluti capilli sunt,in renibus quidem consistentiam accipiunt, veluti & lapides: non sunt autem partes eorum substantiæ Malè in omnibus exemplaribus hic aphorismus sine particula,*aut*,legitur: *Caruncula parua veluti capilli.* Nullo enim modo carunculæ paruæ assimilantur capillis. Verùm oportet inter verbum,*parua*,& *veluti*, mediam ponere dictionem,*aut*, tanquam Hippocrates non de vna re, sed de duabus faciat suo sermone mentionem, quarum vna est, *Carnes parua*: altera verò, *veluti capilli.* In iis igitur quæ sunt veluti capilli,semper vrina est crassa:vtpote cùm pituitosa substantia, quam venæ aggregarunt, per renes expurgetur. In carunculis autem non est necessarium. Nunquam tamen talem vidi renum dispositionem:sed quæ sunt veluti carunculæ,sæpius à me visæ sunt in illis febribus,in quibus etiam quæ sunt similia orobis sedimina conspiciuntur: sanguine crasso in renibus aut in hepate exusto. Non tamen veras carunculas vnquam vidi cum vrina exeuntes. Potest igitur, vt puto, crassa vrina ab ipso dici,quæ secundum naturam est & mediocris. Hæc enim tenui quodammodo opponitur.Neque

nos

nos latet, quòd propriè quidem excessus medio oppositi ita nominantur: per abusionem autem, & medio & mediocri, extremorum nomina tribuuntur: cùm & ad maximè crassum, tenue: & ad maximè tenue, crassum nominetur. Quod si ita intellexerimus, sermo talis erit: Quibus in vrina quæ tenuis non est, ea quæ diximus exeunt: renum est passio; si verò vrina sit tenuis, totum venosum patitur genus. Eundem intellectum mihi videtur etiam in sequenti ostendere aphorismo.

LXXVII.

Ὁκόσοισιν ἐν τῷ οὔρῳ παχεῖ ἐόντι πιτυρώδεα συνεξουρέεται, τουτέοισιν ἡ κύστις ψωριᾷ.

Quibus cum vrina crassa furfurea quadam simul exeunt, iis vesica scabie laborat.

Quando vrina tenuis fuerit, haud secundum naturam venæ se habēt. Cùm verò non tenuem, sed mediocrem habuerit substantiam, (in quo significato crassam accipere oportet hoc loco) ea quæ simul cum tali vrina excernuntur, circa renes, aut vesicam passionem ostendunt. Cùm enim ex venis vrina veniat, in renibus autem percoletur, in vesica verò aggregetur: quicquid in ea præter naturam

naturam apparuerit, aut venas, aut renes, aut vesicam malè se habere indicabit: sicuti & nunc furfurea vesicam scabie laborare, quando venæ nullum affectum habent. Feruntur enim & ex ipsis aliquando furfurea, cùm earum tunica patitur, quemadmodum & vesicæ: vel cùm sanguis qui in ipsis continetur, à febre ardente peruritur. Aptior autem ad hoc est quicunque humor in eis crassior existit, & magis qui veluti fæx sanguinis est, quem solemus humorem melancholicũ nominare. Sicuti enim cutis superficies (quam † cutem superiorem nominant) in scabie, lepra, atque lichenibus tenue quid abiicit, (quale quod serpentum senectus nominatur) sic vbi in partibus interioribus ea quæ est veluti cutis, tale aliquid patitur, symptoma quoque morbi, erit simile. Hac ratione igitur & venæ ipsæ, atque vesica scabie laborantes, furfureos cortices vnà cum vrinis emittent. Distinctio autem fiet ex tenuitate ac crassitudine vrinæ, vt anteà diximus. Tenuis enim vrina venas; non tenuis autem vesicam pati indicabit.

† ἐπιδερμίδα.

LXXVIII.

Ὁκόσοι ἀπὸ ταυτομάτου αἷμα οὐρέουσι, τουτέοισιν ἀπὸ τῶν νεφρῶν φλεβίου ῥῆξιν σημαίνει.

Quicunque sponte sanguinem mingunt, iis à renibus venula rupta significatur.

Illud *sponte*, poteſt ſignificare, ſine cauſa externa: aut velut repentè, nullo præcedēte caſu: vt in veſica vlcerata. In ipſa enim venam rumpi, ex influentis ſanguinis abundantia, quemadmodum in renibus, eſt impoſſibile. Neque enim per eius venas ſanguis percolatur, ſed ſolùm tantum quantum ipſi ſufficit, ſuppeditatur. Præterea neque venæ veſicæ nudæ, aut inueſtes naturâ ſunt: ſicuti quæ renum ventres ſubintrant, quarum ora aperiuntur, & quæ aliquando diſrumpuntur propter humorum multitudinem ac craſſitudinem qui in ipſis continentur: Diſruptio itaque puri ſanguinis facit euacuationem. Ora autem aperta non vniuerſim ſanguinem effundunt, præſertim cùm parua eſt apertio, ſed paulatim atque tenuiorem percolant: vnde totam vrinam ſubſanguineam efficiunt. Fit autem, vt dixi, & venis veſicæ exeſione laborantibus, ſanguinis euacuatio, quam antecedunt vlceris ſigna in veſica exiſtentis, hoc eſt, & loci dolor, & pus, & ſæpè ipſius corporis veſicæ quædam veluti fruſtula. Hac ratione igitur meliùs, verbum, *sponte* pro repentè, accipere: quàm pro ſine cauſa manifeſta. Siquidem ſanguis ex renibus ſæpius

pius & ſine cauſa excernitur manifeſta, vaſe ex multitudine rupto, ſed aliquando etiam ob ſaltum vehementiorem, vel ex alto caſum, vel ictum.*

LXXIX.

Ὁκόσοισιν ἐν τῷ οὔρῳ ψαμμώδεα ὑφίσταται, τουτέοισιν ἡ κύστις λιθιᾷ.

In quorum vrinis velut arenulæ ſubſiſtunt, iis veſica laborat calculo.

Non ſolùm veſica, ſed etiam renes poſſunt laborare. Itaque manifeſtè mancus eſt aphoriſmus: ſiue quia Hippocrates ipſe dimidiam partem ſermonis neglexerit, ſiue quia primus librarius omiſerit. Siue enim in renibus, ſiue in veſica calculi generentur, vnà cum vrinis exeunt arenoſæ ſpecies.

LXXX.

Ἢν αἷμα οὐρέῃ, καὶ θρόμβους, καὶ στραγγουρίην ἔχῃ, καὶ ὀδύνη ἐμπίπτῃ ἐς τὸ ὑπογάστριον, καὶ ἐς τὸ περίναιον, τὰ περὶ τὴν κύστιν πονεῖ.

Si ſanguinem mingant, aut grumos vel ſtillicidium vrinæ habeant, & dolor in imum incidat ventrem, & pectinem, & femen, ad veſicam labor eſt.

Duobus modis finis ſcribitur aphoriſmi: in quibuſdam exemplaribus ſcribitur *labor* eſt,

est, in quibusdam *morbus* est, & ferè in hoc nihil inuicem scripturæ differunt. Communiter autem ambæ errant, si quis intelligat *ad vesicam* ab Hippocrate dici, quasi ipsam vesicam laborare dixisset. Nam ij, quos memorat casus, communes sunt omnibus quæ vrinæ seruiunt instrumentis, vesicæ, renibus, vrinariis meatibus. Melius est itaque hoc modo *ad vesicam* accipere, non tanquam sola vesica significetur, sed & partes quæ illi annectuntur. Quinetiam vt ita accipiamus, hortabitur sequens aphorismus, in quo non ad vesicam morbum esse dicit, sed ipsius vesicæ esse exulcerationem, tanquam non idem sit dicere, vesicam affici, & ad vesicam esse affectum.

LXXXI.

Ἢν αἷμα καὶ πῦον οὐρέῃ, καὶ λεπίδας, καὶ ὀσμὴ βαρεῖα ᾖ, τῆς κύστιος ἕλκωσιν σημαίνει.

Si sanguinem aut pus minxerit, aut squamulas, & grauis odor adsit, vesica exulcerationem significat.

Sanguinẽ quidẽ & pus meiere, omniũ instrumentorũ quæ vrinæ obseruiũt, sunt signa communia: odor autẽ grauis, hoc est, insuauis, adhuc autem magis squamulæ, sunt propria vesicæ signa. In pluribus igitur exemplaribus,

plaribus, *Si sanguinem & pus minxerit*, scriptum inuenitur. In quibusdam verò, *Si sanguinem vel pus minxerit* : significabit autem hæc scriptura secunda coniunctionem, *aut*, esse disiunctiuam, quasi vtrumlibet horum quæ dicta sunt, significet vlcerationem; altera verò vult ambo assidere, vel simul vnà, vel alternatim.

LXXXII.

Ὁκόσοισιν ἐν τῇ οὐρήθρῃ φύματα φύεται, τουτέοισι διαπυήσαντος καὶ ἐκραγέντος, λύσις.

Quibus in vrinaria fistula tubercula nascuntur : iis suppuratione factâ & eruptione, solutio aduenit.

Ob sermonis breuitatem nihil magni hoc haberi aphorismo suspicabitur quispiam. Facile enim est vnicuique intelligere, quòd in meatu vrinario qui in pene est (hunc enim meatum, fistulam vrinariam nominant) si consistant tubercula, & mox rumpantur, fieri solutionem. Verùm si diligentiùs animaduertimus, magnum aliquid ex eo ostenditur. Contingit enim vrinam aliquando retineri ob tale tuberculum : ex cuius disruptione sanitas proculdubio sequetur. Verùm ex dictis quædam dubitatio suboritur, vtrùm

 solùm

solùm velit hæc, quæ in hoc loco sunt nata tubercula, rumpi: vel sæpius quidem hoc accidere, fieri tamen posse vt etiam dissoluantur: an exemplum solutionum vnum hoc aliquod scripserit, disruptionem, quod verius existit.

LXXXIII.

Οὔρησις νύκτωρ πολλὴ γινομένη σμικρὴν τὴν ὑποχώρησιν σημαίνει.

Mictio noctu plurima contingens, paruam significat deiectionem.

Quod quidem necessarium sit ventris humore distributo, minorem fieri alui deiectionem, vnicuique manifestum est: sed cùm hoc vnà illud apparet, quòd eo vnà cum cibis exeunte, aluus quidem humidior fit, atque ideò plura deiicit, vrina verò paucior excernitur. Docebit autem nos hæc ipsa ratio, alui fluentis, & siccæ remedia. In quibus enim supra modum humida aluus deprehenditur, iis potum minorem exhibebimus, ac prætereà illi viam ad vesicam parabimus. In quibus verò siccior, plus dabimus potus, & distributionem, quantum fieri poterit, prohibebimus.

Ὑμῆνα

Τμῆμα πέμπτον.

GALENI IN APHORISMOS Hippocratis,

COMMENTARIORVM LIBER QVINTVS.

APHOR. I.

Σπασμὸς ἐξ ἐλλεβόρου, θανάσιμον.

Conuulſio ex helleboro, lethalis eſt.

Iis qui helleborum accipiunt.album ſcilicet (hunc enim ſimpliciter helleborū nominare conſueuerunt : non ſicuti nigrum, cum adiectione)iis,inquam,ſi ex purgatione conuulſio aduenerit,caſum ait eſſe lethalem. Fit enim non ab initio purgationis,quando periculum eſt ne homo ſuffocetur : ſed quando vomentes vehementiùs vellicantur , vtpote per ipſamj vomitus vehementiam neruis laborantibus,ob cōſenſum quem habent cum ore ventriculi , ob quod aliàs vidimus , vbi

fortiùs mordetur, fieri conuulſiones: ſicuti adoleſcenti qui æruginem euomuerat. Præſtat enim æruginem, quàm æruginoſum, vomitum illum nominare. Erat enim qualis quæ vera ærugo nominatur, floridiſſimus, verùm inter vomendum, totum corpus conuulſum eſt: & ærugine euacuatâ, febris ſtatim & conuulſio ceſſauit. Tale autem erat quod euomuerat, ac ſi quis optimam æruginem aquâ diluat: adeò vt ex eorum vnione talis ſubſtantia exultet, quæ defruti craſſitudinem repræſentet. Non impoſſibile eſt igitur (vt dixi) propter conſenſum cum ore ventriculi fieri conuulſionem ex helleboro albo: & hæc conuulſio fuerit mitiſſima. Contingit etiam propter ipſam euacuationem ſupra modum ipſis purgatis conuulſionem aduenire: ſicuti & cholericis contractiones frequenter adueniunt, ac maximè eorum qui ſunt in ſuris muſculorum. Sed neque illud eſt impoſſibile, propter pharmaci efficaciam ex neruis humiditates ad ſe attrahentis, ex hac afflictione fieri conuulſionem. Sed & hellebori aliquādo vi ad diſtributionem impulſa vehementiùs, contingit neruorum ſubſtantiam violentiùs exſiccari. Ipſe enim nos docuit Hippocr. quòd fit conuulſio ex repletione & inanitione, corporum videlicet ner-
uoſo

uoſorum, à quibus motus voluntarij perficiuntur. Sunt autem hæc, nerui, ligamenta, muſculi,& tendones.Sicuti enim foris videmus lora & chordas tendi, vbi vehementiùs exſiccantur, aut multâ madent humiditate: ſic & in corporibus animalium par eſt fieri non raró conuulſionem. Liquet porrò quod ex repletione conuulſio,ſanabilis eſt per euacuationem. Ea verò quæ fit ex inanitione,& neruorum ſiccitate, non facilè admittit curationem. Fit autem,vt dixi,& propter conſenſum conuulſio: quam non debemus exiſtimare fuiſſe ab Hippocrate prætermiſſam. Eam enim quæ primariò fit, conuulſionem oſtendit,cùm ait conuulſionem ex repletione atque inanitione generari. Atqui ſcimus etiam morsûs ratione fieri in ore ventriculi ſingultum, adeò vt quiſpiam & neruos itidem pati exiſtimauerit. Et videbitur iſta conuulſio iis,qui helleboro purgati ſunt,aliquando fieri,ab Hippoc.prætermiſſa:niſi per Iouem,illam dixerit quiſpiam fieri ex inanitione, cùm humores mordaces vim habeant exſiccandi.Hi itaq; modi ſunt eorum,qui ex helleboro cõuelluntur.Sanatur autẽ ex ipſis, tum quæ propter morſum, tum quæ propter vomitus vehementiam euenit;quę autem ex ſiccitate accidit,inſanabilis eſt. Non abſque

ratione igitur totum hoc genus Hippocrates ait esse lethale, quoniam nonnullæ eius species cum difficultate sanantur: Vna autem insanabilis est.

II.

Ἐπὶ τρώματι σπασμὸς ἐπιγινόμενος, θανάσιμον.

Conuulsio ex vulnere, lethalis est.

Sicuti in eo qui hunc antecedit aphorismo, mortalem dixit esse conuulsionem, (quod idem est, ac si diceret periculosam, atque ad mortem sæpius terminantem) sic & nunc eam, quæ fit ex vulnere, conuulsionem, lethalem dixit esse; non tanquam ex necessitate ac semper mortem afferentem, sed tanquam admodum crebrò. Sic & in multis ex prioribus aphorismis, lethalis nomine, vsus est. Ex vulneribus igitur fiunt conuulsiones, ratione sequentis ipsa inflammationis, vbi partes neruosas attigerit. Et primùm quidem videntur conuelli, quæ è directo sunt partium inflammatione laborantium: deinde postquam & principium attigerit, passio ad totum extenditur corpus.

III.

Αἵματος πολλοῦ ῥυέντος σπασμὸς ἢ λυγμὸς ἐπιγινόμενος, κακόν.

Vbi

Vbi sanguis plurimus fluxerit, singultus aut conuulsio superueniens, malum.

Non est existimandum aliud significari superiore nomine, *lethale*, quàm præsenti, *malum*, videlicet. Consueuit siquidem Hippocrat. casus illos ita nominare, quos lethum sæpe subsequitur. Si cui verò per magis & minus differre hæc nomina videantur, maius periculum per vocem *lethale*, quàm per *malum*, ostendetur. Quæ igitur fit ex plurima sanguinis profusione conuulsio, ex altero genere causarum ipsam efficientium consistit, vt anteà dictum est.

IV.

Ἐπὶ ὑπερκαθάρσει σπασμὸς ἢ λυγμὸς ἐπιγινόμενος, κακόν.

Ex nimia purgatione conuulsio aut singultus superueniens, malum.

Quod aliquando iis qui helleborum sumpserunt diximus fieri, hoc nunc ostendi in omnibus qui quouis modo purgantur. Conuelluntur enim qui vltra modum purgantur, easdē ob causas quas diximus in iis qui helleborum assumpserunt; & iis qui hac ratione laborant, non paruum periculum imminet, siquidem multò peior est ea quæ fit ex inanitione conuulsio, alterâ quæ fit ex repletio-

ne. Quòd autem & ſingultus conuulſio ſit ſtomachi ſecundùm Hippocratem, nos vtique nouimus.

V.

Ἢν μεθύων ἐξαίφνης ἄφωνός τις γένηται, σπασθεὶς ἀποθνήσκει, ἢν μὴ πυρετὸς ἐπιλάβῃ, ἢ ἢν ἐς τὴν ὥρην ἐλθὼν καθ' ἣν αἱ κραιπάλαι λύονται, φθέγξηται.

Si ebrius quiſpiam repentè obmutuerit: conuulſus moritur, niſi febre corripiatur: aut vbi ad horam peruenerit, quâ ſoluuntur crapulæ, vocem recuperet.

Repletis neruis talis conuulſio fit. Solet autem facillimè eos replere vinum, vt quod calidam habeat temperaturã; talis ſiquidem natura promptè omnia ſubintrat, cùm præſertim non admodum craſſam ſubſtantiam habuerit. Subſtantiæ igitur copiâ vinũ neruis affert conuulſionem. Rurſus autem qualitate ſanat eam quam fecit diſpoſitionem, neruos calefaciendo atque exſiccando, & ſi hoc aliquando facere nequeat, mortem ſubſequi eſt neceſſarium. Quâ autem vi diximus vinum ſanare conuulſiones, eâdem videlicet & febris ſanat. Hîc verò maximè obſeruanda eſt Hippocr. conſuetudo, qui mutos nominat illos

illos, qui quouis modo obstupuerunt. Verùm propriè stupor nominatur totius corporis insensibilitas atque immobilitas repentina. Hanc itaque dispositionem consueuit Hippocrates ex vno symptomatum nominare: & fit proculdubio neruorum principio patiente. Neque enim aliter potest omnino conuelli corpus, antequàm id principium patiatur, vel primariò vel per consensum: altero priùs patiente membro. Liquet autem omnem capitis noxam ex vino factam, à Græcis cræpalem, id est, crapulam nominari. Vnde nonnulli vocabuli fecêre etymologiam, ἀπὸ τ͂ κάρηνον πάλλεσθαι, quod significat caput concuti. Horam autem quâ crapulæ soluuntur, tempus nominauit. Est autem hoc tempus non præcisum, neque circumscriptum omnibus vnâ mensurâ. Quidam enim postridie à crapula sunt liberati, quidam verò sequenti nocte, quidam verò tertio die, & fit hoc pro multitudine ac vi epoti vini, & eius qui potauit natura. Sicuti enim neque cibus vnum habet in omnibus tempus coctionis præfinitum: sic neque vinum. Aut igitur oportet nos ægri naturam habere experientiâ compertam, aut postremum terminum obseruare: in quo si neque febricitare, neque loqui anticipauerit, conuulsus morietur.

VI.

Ὁκόσοισι ἀπὸ τετάνου ἁλίσκονται ἐν τέσσαρσιν ἡμέρησιν ἀπόλλυνται. ἢν δὲ ταύτας διαφύγωσιν, ὑγιέες γίνονται.

Quicunque tetano corripiuntur, in quatuor diebus pereunt: si verò hos effugerint, sani fiunt.

Tetanus morbus peracutus est, vt qui compositus sit ex emprosthotono, id est, ad anteriora tensione, & opisthotono, id est, ad posteriora tensione, ita quòd citiùs in ipso fit iudicatio, non tolerante naturâ longiori tempore tensionis laborem. In primo igitur dierum iudicatoriorum circuitu passio iudicatur.

VII.

Τὰ ἐπιληπτικὰ ὁκόσοισι πρὸ τῆς ἥβης γίνεται, μετάστασιν ἔχει. ὁκόσοισι δὲ πέντε καὶ εἴκοσιν ἐτέων γίνεται, τουτέοισι τὰ πολλὰ ξυναποθνήσκει.

Quibuscunque morbi comitiales fiunt ante pubertatem, mutationem accipiunt: quibuscunque autem vigesimoquinto anno, ferè commoriuntur.

Propriè quidem passionis mutationes nominant, quando ex vna parte transeunt ad aliam: per abusionem etiam omnes solutiones ita nominantur; & mihi videtur Hipp. in

in ſecundo ſignificatu vſus eſſe appellatione. Non modò enim ad alias partes tranſlatis iis qui morbum comitialem faciunt humoribus, ſoluitur paſſio, ſed etiam omnino curatis. Sunt enim hi craſſi, frigidi, & pituitoſi. Ceſſant etiam ob ætatem ad ſicciorem naturam tranſmutatam, & ob exercitationem, & victum exiccantem, adiunctis ad hæc idoneis medicinis. Verùm Hippocrates nunc ſolùm eius meminit mutationis, quæ ex ætate fit: à qua docti, formam etiam victûs vnà cum medicinis inueniemus. Quod igitur in altera parte aphoriſmorum dicit, *Qui morbo comitiali laborant, ſi iuuenes fuerint, mutationibus maximè ætatis, & regionum, & victus, liberantur*: hoc nunc in ipſis paſſionibus declarauit: morbos comitiales qui ante pubertatem fiunt, ceſſare ex ætatis commutatione: qui verò vltra vigeſimumquintum annum proceſsêre, commori inquiens. Vnde liquet, quòd pubertatis tempus, vſque ad vigeſimumquintum annum extendi arbitratur, cùm ſumat initium pòſt ſecundam ſeptimanam. Certum eſt autem quòd neque omnibus ſanabitur paſſio ex pubere ętate, niſi & alia rectè geſſerint: neque quibus in hac accidit, omnino permanet, ſi bonam victûs rationem adhibeant. Verùm quòd

quòd non habeant ex ætate sanationem, sed quantum ad eam attinet, passio consenescat, liquidò ostendit. Non tamen adhuc manifestè dictum est, quamuis videatur manifestum iis, qui negligentiùs accipiũt verba illa, *Quibus verò vigesimoquinto anno, commoriuntur.* Neque enim iis solis passio commoritur, quibus vigesimumquintum annum agentibus aduenit, sed multò magis etiam vltra hanc ætatem progressis. Addentes igitur sermoni Hippocratis illud quod deest, verum ex omni parte ipsum faciemus: Morbi comitiales, qui quidem ante pubertatem fiunt, in eius ætatis tempore finiunt: qui vltra pubertatem procedunt, commoriuntur. Tempus autem pubertatis est post quartumdecimum annum vsque ad vigesimumquintum. Est autem & alia scriptura talis: *Quibuscunque vigesimoquinto anno accidunt, ferè commoriuntur*, significante verbo *ferè*, idem quod plurima ex parte.

VIII.

OΚόσοι πλευριτικοὶ γινόμενοι οὐκ ἀνακαθαίρονται ἐν τεσσαρεσκαίδεκα ἡμέρῃσι, τουτέοισιν ἐς ἐμπύημα μεθίσταται.

Quicunque morbo laterali laborantes, in quatuordecim diebus non repurgantur, ij ad suppurationem vertuntur.

Eam

Eam quæ fit per ſputa euacuationem humorum facientium morbum lateralem, ſolet Hippocrates *purgationem* ac *repurgationem* nominare, ſicuti etiam *expuere*, pro *purgari* tam in *libro de victu acutorum*, quàm in *Prognoſtico* vſurpauit. Verùm nunc tempus præfinit purgationis: in quo ſi non fiat, in ſuppurationem ait verti morbum lateralem, eam videlicet quæ fit in pus tranſmutationem, ita nominans omnem, (ſicuti in *Prognoſtico* ſæpius) aut eam quæ fit inter thoracem & pulmonem, puris effuſionem. Fit enim vtrumque horum, quando morbo laterali laborantes non expurgantur per ſputa. Verùm ſecundum quod diximus, ipſe in ſequentibus *eruptionem ſuppurationis* nominauit.

IX.

Φθίσις γίνεται μάλιστα ἡλικίῃσι τῇσιν ἀπὸ ὀκτωκαίδεκα ἐτέων μέχρι πέντε καὶ τριήκοντα ἐτέων.

Tabes fiunt præcipuè ætatibus à decimooctauo vſque ad trigeſimumquintum.

In ſuperioribus aphoriſmis quando morbos ætatum enarrabat: *iuuenibus autem*, inquit, *ſanguinis ſputa, tabes.* Nunc verò etiam numerum appoſuit annorum, non proptereà

propterea eadem rursus scribens quæ antea, sed propter passionum thoracis atque pulmonis communionem. Propter quid autem iuuenes his morbis præcipuè corripiantur, antea diximus: de annis autem ætatum nunc determinandum, quoniam & Hippocr. dixit tabem maximè fieri ætatibus à decimooctauo vsque ad trigesimumquintum annum. Quod enim *ætatibus* numero plurali dicitur, quandam habet significationem, quòd Hippocr. existimet non vnam esse ætatem quæ media est inter annos commemoratos. Neque sanè vna est, si diligentiùs consideremus: verùm ea quæ est à decimooctauo vsque ad vigesimumquintum annum, adolescentium est: quæ autem ab hinc vsque ad trigesimumquintum, iuniorum.

X.

Ὁκόσοισι κυνάγχην διαφεύγουσιν, ἐς τὸν πνεύμονα αὐτέοισι τρέπεται, καὶ ἐν ἑπτὰ ἡμέρῃσιν ἀποθνήσκουσιν, ἢν δὲ ταύτας διαφύγωσιν, ἔμπυοι γίνονται.

Quicunque ab angina liberantur, iis ad pulmonem vertitur, & in septem diebus pereunt: si verò has effugerint, suppurantur.

De transitione nunc ipsi est sermo anginæ in pulmonem: quam ait plerunque ante septimum diem occidere, ægro videlicet suffocato;

cato;

cato: si verò id tempus possit euadere, fluxione in pus conuersa, suppurari.

XI.

Τοῖσιν ὑπὸ τῆς φθισίων ἐνοχλουμένοισιν, ἢν τὸ πτύσμα ὅπερ ἂν ἀποβήσσωσι βαρὺ ὄζῃ ἐπὶ τοὺς ἄνθρακας ἐπιχεόμενον, καὶ αἱ τρίχες ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ῥέωσι, θανάσιμον.

Qui tabe molestantur, si sputum quod extussiunt graue olet iniectum carbonibus, & capilli à capite defluunt, lethale.

Eas quæ sunt in pulmone vlcerosas dispositiones, nunc tabes nominat: in quibus iubet odorem diligentiùs perpendi, id quod expuitur carbonibus iniiciendo. Sicuti autem priùs in vlceribus vesicæ odorem dixit grauem sentiri, ita & nunc tabidorum sputum grauiter olere. Si verò & ex capite capilli defluant ita affectis, lethalem esse notam: quoniam † maximus alimenti defectus ostenditur, atque aliquando humorum corruptio.

† Si rectè verba græca obserues, sic vertendum videtur, vltimi alimẽti defectus ostenditur, ait enim.

XII.

Ὁκόσοισιν ἂν φθισιῶσιν αἱ τρίχες ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ῥέωσιν, οὗτοι διαρροίης ἐπιγενομένης ἀποθνήσκουσιν.

Quibuscunque tabe laborantibus, capilli à capite

ἐνδείκνυται ἔνδειαν τροφῆς ἐσχάτης.

capite defluunt: iij alui profluuio superueniente, moriuntur.

De tabidis iam morti vicinis, nunc sermo habetur: quos etiam malè habere ostendebat defluuium capillorum. Alui autem profluuio superueniente, mortem appropinquare opinandum: cùm hoc symptoma mala causa, & malum signum existat. Fit enim ex virium imbecillitate, quæ vicissim ex ipso symptomate fiunt imbecilliores.

XIII.

Ὁκόσοι αἷμα ἀφρῶδες ἀναπτύουσι, τουτέοισιν ἐκ τοῦ πνεύμονος ἡ τοιαύτη ἀναγωγὴ γίνεται.

Quicunque spumosum sanguinem expuunt, iis è pulmone eductio fit.

Et pleraque exemplaria, & quàm plurimi huius libri expositores norunt aphorismum in hæc verba scriptum: *Quicunque sanguinem spumosum euomunt, iis è pulmone eductio fit.* Et quidam ipsum exponentes, aiunt verbum id multitudinem significare: ac propterea à proprio significatu esse translatum. Apertè autem mentiuntur contra id quod apparet. Sępè enim visus est sanguis spumosus absque multitudine fieri. Si igitur ita Hippocrates scripserit, ipsum abusum fuisse vocabulo dicemus.

cemus. Neque enim ſanguis multus, ex pulmone eductionem ſignificat;paucus verò ex alio loco. Si verò expuunt, aut extuſſiunt, ſcriptum ſit: tunc proprio vſum fuiſſe vocabulo, & oſtendere ſanguinem talem, carnoſam pulmonis ſubſtantiam (quæ eſt ipſius vera ſubſtantia) affectam vlceribus eſſe,adeò vt verè dicatur ſanguis ſpumoſus ſolius pulmonis vlcera indicare;non autem verè,vlcerato pulmone, ex neceſſitate ſpumoſum expui. Sæpius enim vidimus quibuſdam ex alto cadentibus, & confoſſis, atque in palæſtra percuſſis,ab illa maximè ictus parte,in quam cuipiam ad ſolum ruenti, alter ſuper thoracem inciderit, ſanguinem plurimùm bene coloratum expui tuſſiendo ſine vllo dolore: quem ratio dictat ex aliquo pulmonis vaſe diſrupto prodire.

X I V.

Ὑπὸ φθίσιος ἐχομένῳ, διάῤῥοια ἐπιγινομένη, θανατῶδες.

Tabe laboranti, profluuium alui superuenicns, lethale.

Paulò anteà dixerat,tabidis cùm pus graueolet,& capilli à capite defluunt, alui profluuio ſuperueniente, mortem ſubſecuturam. Hic verò ſimpliciter dixit eſſe lethale alui profluuium in tabe, nullâ factâ, neque

de pure, neque de capillis mentione, tanquam illud ſolum ſufficiat mortem ſignificare, non tamen ita è proximo, neque tam citò ſecuturam, ſicuti cùm defluuium capillorum adiungitur.

XV.

Ὁκόσοι ἐκ πλευρίτιδος ἔμπυοι γίνονται, ἢν ἀνακαθαρθῶσιν ἐν τεσσαράκοντα ἡμέρῃσιν, ἀφ' ἧς ἂν ἡ ῥῆξις γένηται, παύονται. ἢν δὲ μὴ, ἐς φθίσιν μεθίστανται.

Quicunque ex morbo laterali ſuppurantur, ſi in quadraginta diebus purgantur, à die quâ fit ruptio, liberantur. Si verò non, ad tabem tranſeunt.

Addens ſuo ſermoni *ruptionis* vocabulum, manifeſtum fecit ſe de illis loqui, in quibus lateris inflammatione in ſuppurationem conuerſa, deinde diſrupta, in ſpatio thoracis atque pulmonis intermedio pus continetur. His enim omnibus, niſi vtplurimùm in quadraginta diebus puris euacuatio fiat per ſpuitiones purgati: neceſſarium eſt pulmonem exedi, pure proceſſu temporis putreſcente. Morbo igitur laterali diem quartumdecimum, terminum poſuit purgationis, ſuppuratis autem quadrageſimum. Dictum autem eſt pleniùs de differentia & aliorum dierum iudicatoriorum, & horum, in eo *tractatu* qui inſcribi

inſcribitur *de diebus iudicatoriis.* Quare ſi quis vniuerſam illam legerit commentationem: ea quæ ab Hippocrate de diebus iudicatoriis dicuntur, promptiùs aſſequetur.

XVI.

TO' θερμὸν βλάπτει ταῦτα τοῖσι πλεονάκις χρεομένοισι, σαρκῶν ἐκθήλυνσιν, νεύρων ἀκρατείαν, γνώμης νάρκωσιν, αἱμοῤῥαγίας, λειποθυμίας, ταῦτα οἷσι θάνατος.

Calidum, vbi quis ſæpiùs eo vtitur, hæc mala affert, carnis effœminationem, neruorum imbecillitatem, mentis torporem, profluuia ſanguinis, animi defectionem: quibus mors ſuccedit.

De calidi & frigidi vſu immodico & modico, dicta ſunt non pauca in *libro de vſu humidorum.* Dicta ſunt etiam hoc in loco aphoriſmorum, omnia ferè capita, & primùm hoc ipſum, quòd calidum, ſi quis eo vltra modum vtatur, has facit paſſiones, carnis effœminationem, hoc eſt, debilitatem, (dictum eſt enim nomen per tranſlationem, quoniam fœmina debilior eſt maſculo) cui adſtipulatur hoc quod ſubiungitur: *Neruorum imbecillitatem.* Hi enim fiunt imbecilles, eorum ſubſtantiâ à calore diſſolutâ. Et rurſus mẽtis torpor, mentis [illegible] imbecillitas:

 ita

ita ſcilicet ſubſtantiâ cerebri, ſicuti etiam neruorum, diſſolutâ. Eodem modo & calidi vſus immodicus facit ſanguinis profuſiones, in iis videlicet corporum naturis, quæ ad ſanguinis profluuium ſunt diſpoſitæ. Sequuntur autem ad ſanguinis profuſiones, defectus animi, & ad hos mors, ſicuti & ad alia priùs dicta: ſed ad illa quidem tempore longiore: idque aliàs magis, aliàs minùs: ad ſanguinis verò profuſiones, & animi defectus, ſtatim. Scriptus eſt autem finis aphoriſmi vario modo in exemplaribus: ſcripturæ verò omnes dictam ſententiam oſtendunt. Eſt autem vna hæc, *His mors*, altera verò hæc, *Ob quæ mors*, tertia, *Hæc quibus mors*, alia, *Hæc ad mortem*.

XVII.

ΤΟʹ δὲ ψυχρὸν σπασμοὺς, τετάνους, μελασμοὺς, καὶ ῥίγεα πυρετώδεα.

Frigidum autem, conuulſiones, tetanos, liuores, rigores febriles.

Immodicum ſcilicet frigidum hæc facit, conuulſiones, & tetanos, ob neruorum refrigerationem. Sicuti enim non oportet ipſorum ſubſtantiam ab immodico calore diſſolui, ſic neque vltra modum conuenientem refrigerari, & in vnum cogi ac conſtringi. Et quidem liuores ex refrigeratione fiunt, & rigores

rigores febres aduocantes. Melius autem fuiſſet ita dicere : Rigores facientes conuulſiones,& liuores,& febres.Pleniùs autem de his ſeorſum diximus in *libro de ſymptomatum cauſis.*

XVIII.

Τὸ ψυχρὸν πολέμιον ὀστέοισιν, ὀδοῦσι, νεύροις, ἐγκεφάλῳ, νωτιαίῳ μυελῷ, τὸ δὲ θερμὸν ὠφέλιμον.

Frigidum, inimicum oſſibus, dentibus, neruis, cerebro, ſpinali medullæ: calidum verò vtile.

Quæcunque partes ſunt naturâ frigidiores, (ſunt autem in animalibus tales, quæcunque ſunt penitùs exangues) citiùs ac magis ab immodico frigidi vſu offenduntur: iiſdem autem rationabiliter calidum conuenientius eſt.

XIX.

Ὁκόσα κατέψυκται, ἐκθερμαίνειν δεῖ, πλὴν ὁκόσα αἱμοῤῥαγέει, ἢ μέλλει.

Quæcunque refrigerata ſunt, excalfacere oportet, exceptis iis, quibus ſanguis fluit, aut fluxurus eſt.

Hoc quod nunc dictum eſt, haudquaquam euertit illud theorema, Contrariorum contraria eſſe remedia: de quo pleniùs dixi-

mus in eo *tractatu* qui *de arte curatiua* inſcribitur, in quo oſtendimus aliud eſſe theorema magis neceſſarium : illa priùs curari præcipiens quæ magis vrgent, hoc eſt, quæ maius periculum afferunt : ſicuti & nunc profluuium ſanguinis. Contra hoc igitur priùs obſiſtendum eſt: deinde pars affecta, ad bonam temperiem eſt reuocanda.

XX.

Ἕλκεσι τὸ μὲν ψυχρὸν δακνῶδες, δέρμα περισκληρύνει, ὀδύνην ἀνεκπύητον ποιέει, μελασμοὺς, ῥίγεα πυρετώδεα, σπασμοὺς, καὶ τετάνους.

☞ *Vlceribus frigidum quidem mordax, cutem obdurat, dolorem inſuppurabilem facit, liuorem inducit, rigores frebiles, conuulſiones, tetanos.*

Si proprio vtamur vocabulo, calidum mordax eſt: ſenſus autem ſimilitudine, & frigida aqua vocatur mordax: non cùm in cutem ſimpliciter incidit, ſed in vlceratam. Nam quod mordax futurum ſit, eius quod morderi debeat ſubſtantiam oportet peruadere: quod in cute ſecundum naturam ſe habente, frigida aqua non poteſt efficere, quoniam cutis denſior eſt quàm pro eius ſubſtantia. In vlceratis autem, vt quæ rariora ſint, peruadere poteſt per eorum ſubſtantiam

tiam in profunda ſubintrans. Dictum autem eſt pleniùs de natura mordacium, in *libris de potentia ſimplicium medicinarum.* Vlceratis igitur frigidum eſt mordax, integris autem neque mordax eſt, & cutem facit duriorem, eius denſando ſubſtantiam. Et quidem dolorem efficit inſuppurabilem, natiuum refrigerando calorem, qui vlcera ad ſuppurationem perducit: & ea difflari prohibet quæ dolorem efficiunt. Quæ autem ſequuntur, priùs etiam dicta ſunt ab ipſo: liuores, & rigores febriles, & conuulſiones, & tetani.

XXI.

Ἔστι δὲ ὅκου ἐπὶ τετάνου ἄνευ ἕλκεος νέῳ εὐσάρκῳ θέρεος μέσου, ψυχροῦ πολλοῦ κατάχυσις ἐπανάκλησιν θέρμης ποιέεται. θέρμη δὲ ταῦτα ῥόεται.

Eſt autem vbi in tetano ſine vlceratione, iuuene bene carnoſo, æſtate media, frigida aqua multa perfuſio calorem reuocat. Calor autem hæc ſoluit.

Quæ rarò iuuet frigidum ac calidum, poſt ea quæ antè dixit, Hipp. deinceps proſequitur: & primùm quidem de frigido inquit, vt in tetano, (liquet autem quòd in omni alia conuulſione idem vſu veniat) in medio æſtatis tempore, cùm bene carnoſus fuerit æger,

ac iuuenis, frigidæ aquæ perfusio calorem reuocans naturalem, passionem sanet. Vnde & illud fit manifestum, quòd non suâ vi, frigida aqua morbum tunc sanat, sed ex accidenti, quoniam iuuenibus bene carnosis reuocationem caloris facit. In alia igitur ætate nil proderit: quoniam neque reuocationem efficit, cùm ne in hac quidem alio aliquo anni tempore, præterquam æstate mediâ. Nam aquæ frigidæ occursus aut vincit natiuum calorem, aut colligit. Vincit quidem, cùm debilis fuerit: colligit autem cùm fortis, ipsum difflari prohibens. Excipit autem eas quæ sunt cum vlcere conuulsiones, vt quæ nunquam ab aqua frigida sanari queant, ne quidem si æger iuuenis, & naturâ calidus fuerit, & æstiuo anni tempore, ac regione calida; quoniam (vt & ipse anteà dixit) *vlceribus frigidum mordax, dolorem insuppurabilem facit*. Iis igitur qui in vlceratione conuelluntur, ob neruosorum corporum inflammationem, contrarium vehementer est frigidum, vt quod neque vlcus sedet, neque corporum neruosorum dissoluat inflammationem.

XXII.

TO θερμὸν ἐκπυητικὸν οὐκ ἐπὶ παντὶ ἕλκει, μέγιστον σημεῖον ἐς ἀσφαλείην, δέρμα μαλάσσει,

λάσσει, ἰσχναίνει, ἀνώδυνον, ῥιγέων, σπασμῶν, τετανῶν παρηγορικόν. τὴν δὲ ἐν τῇ κεφαλῇ καρηβαρίην λύει. πλεῖστον δὲ διαφέρει ὀστέων κατάγμασι, μάλιστα δὲ τοῖσιν ἐψιλωμένοισι. τουτέων δὲ μάλιστα τοῖσιν ἐν κεφαλῇ ἕλκεα ἔχουσι, καὶ ὁκόσα ὑπὸ ψύξιος θνήσκει. ἢ ἑλκοῦται, καὶ ἕρπησιν ἐσθιομένοισιν, ἕδρῃ, αἰδοίῳ, ὑστέρῃ, κύστει, τουτέοισι τὸ θερμὸν φίλον καὶ κρῖνον. τὸ δὲ ψυχρὸν πολέμιον καὶ κτεῖνον.

Calidum ſuppuratorium non in omni vlcere, magnum ad ſecuritatem eſt indicium, cutem mollit, extenuat, dolorem ſedat, rigores, conuulſiones, & tetanos mitigat: capitis ſoluit grauitatem plurimum autem confert oſſium fracturis, ſed nudis præcipuè eorúmque maximè qui in capite vlcera habent, & quæcunque à frigore moriuntur, vel vlcerantur, & herpetibus exedentibus, ſedi, pudendis, vtero veſicæ, his calidum amicum & iudicans, frigidum inimicum & perimens.

Sicuti frigidum conuulſiones & tetanos facere naturâ aptum, tamen ſanat aliquando, quanquam rarò, tetanum: ſic & calidum quantum ad ſuam naturam, ad ſuppurandum efficax, aliquando prohibet ſuppurationem. Siquidem vlcera putrida, & ſimpliciter omnia quæ fluxióne conſtant, adeò

non suppurat calidum, vt his etiã plurimùm noceat:& hæc ambo vnà illi conueniunt, nocere vlceribus, & minimè suppurare: sicuti contrà cùm prodest & suppurat. Maximum enim est vlceri signum ad securitatem, & pus, & medicamen quod habet id faciendi facultatem. Nihil enim mali potest aduenire vlceri pus generanti. Quæ igitur conuulsionem afferunt, non suppurantur omnino. Similiter autem & quæcunque vlcera sunt putredini obnoxia, & quæ partes circunstantes exesas habent, & quæ difficulter ad cicatricem perducuntur, vniuersa minimè suppurantur: & quæcunque ex malis vlceribus propriis nominibus insigniuntur, veluti quæ cancrosa, chironia, telephia, & phagedænica, id est carnem comedentia, hæc omnia non suppurantur. Maximum igitur signum vlceri ad securitatem, est pus, & hoc potes conii-cere ex calidi vsu. In quibus enim non congruit, videbis hæc à calido insuppurabilia perdurare. Deinceps autem calidi opera quæ frequenter apparent, enumerat: Etenim *cutem induratam mollit, & crassatam extenuat, & dolorem sedat, & conuulsiones ac tetanos mitigat* nec (sicuti frigidum) dolorem insuppurabilem efficit, eo quòd sit à natura nostra alienum: quæ est calor natiuus, quem

coauget,

coauget, vbi mediocriter adhærescit. Calor verò extrinsecus facit hæc omnia quæ dicta sunt, nonnulla concoquens, & ad melius alterans; quædam verò discutiendo atque euacuando noxia, ad sanitatem perducit: quod si non ex toto sanat, saltem dolores mitigat. In capitis verò dispositionibus facit hæc eadem, & eas quas καρηβαρείας, id est capitis grauitates nominant, sanat, concoquens atque dissoluens quæcunque molestant. Et quidem *fracturis ossium vtilissimũ est, & precipuè nudis, hoc est, carne exutis: adhuc autem magis iis quæ in capite fiunt.* Nam talia frigidum maximè offendit: vt quod non ossibus tantùm, sed ipsi quoque cerebro sit inimicum. Et quidem quæcunque partes, ex algore emortuæ sunt, iis calidum remedio est: sic quæcunque frigidum exulcerat, sicuti hyberno tempore calcanea, & digitos, & extrema omnia, horum remedium est calidum; & sanat etiam herpetes exedentes, quamuis ab humore bilioso & calido fiant. Sed propter exulcerationem, frigidum est ipsis inimicum, vt quod eis mordax existat. Sic & omnibus quæ sunt in sede dispositionibus, amicum quidem est calidùm, contrarium verò frigidum: quoniam neruosa sedes est, frigidum verò est neruis inimicum, & quoniam

niam per communicationem frigiditas facilè ex ſede ad ventriculum aſcendit,& eodem modo caliditas. Sic & vtero & veſicæ calidum quidem , amicum , & iudicans : inimicum verò & occidens, frigidum : nam & hæ pariter neruoſæ ſunt , & ſupraiacentibus partibus facilè tradunt frigiditatem. Quòd autem de omnibus quæ in aphoriſmo dicuntur , communiter pronuntiauit, his calidum eſſe amicum, & iudicans;frigidum verò inimicum,& occidens, liquet, etſi à me non dicatur.

XXIII.

Ἐν τουτέοισι δὲ δεῖ τῷ ψυχρῷ χρέεσθαι, ὁκόθεν αἱμοῤῥαγέει ἢ μέλλει, μὴ ἐπ' αὐτὰ, ἀλλὰ περὶ αὐτὰ ὁκόθεν ἐπιῤῥεῖ. καὶ ὁκόσαι φλεγμοναὶ, καὶ ἐπιφλογίσματα ἐς τὸ ἐρυθρὸν, καὶ ὕφαιμον ῥέποντα νεαρῷ αἵματι, ἐπὶ ταῦτα. ἐπεὶ τάγε παλαιὰ μελαίνει. καὶ ἐρυσίπελας τὸ μὴ ἑλκούμενον. ἐπεὶ τόγε ἑλκούμενον βλάπτει.

In his frigido eſt vtendum , vnde fluit ſanguis,aut fluxurus eſt, non ad ipſa admoto , ſed circa ea vnde influit : & vbicunque inflammationes aut velut incendia quædam ad rubrum & floridum , ſanguine recenti tendunt: iis ipſis admoto : nam veteribus nigredinem affert. Eryſipelas etiam non vlceratum iuuat: nam exulceratum lædit.

Eas

Eas quas facit frigidum vtilitates ac mala,hoc transigit aphorismo. Primùm, in quibus sanguis fluit, aut fluxurus est, inquiens conferre ipsum, non ipsis partibus fundentibus sanguinem admotum (*vlceribus* enim *frigidum mordax*) sed circumstantibus,& illis præcipuè vnde aliquid ad vlcera profluit. Et quidem ait omnes iuuare inflammationes, & quæ ipse ἐπιφλογίσματα nominat, hoc est, partes velut à flamma quadam deustas, propter humorum à quibus fiunt caliditatem. Nam & hæc frigido gaudent. Videntur autem hæc omnia intuenti,colore rubra & florida, recenti scilicet, & non antiquo suffusa sanguine. Nam sanguis antiquus, floridum non habet colorem. Quare frigido admoto liuêre, & nigras fieri contingit partes patientes tali sanguine præditas.Eodem modo & erysipelas non exulceratum iuuatur à frigido;sicuti vlcerato mordax est frigidum, & dolorem affert, & hac ratione nocet, cùm partes dolentes semper ad seipsas moueant fluxiones.

XXIV.

ΤΑ' ψυχρὰ, οἷον χιὼν κρύσταλλος, τῷ στήθει πολέμια, βηχέων κινητικὰ, αἱμοῤῥοϊκὰ, καταῤῥοϊκά.

Frigi-

Frigida, qualis nix & glacies, pectori inimica: tusses mouent, sanguinis profluuium & destillationes.

Hactenus de aqua calida & frigida sermonem habuit, nunc autem de niue & glacie differit, illud ostendens: quòd tanto magis hæ nocere possunt, quantò sunt aquâ frigidâ frigidiores: & quòd thoracis partibus sunt inimicissimæ, cùm & tusses moueant, & vasis disruptis sanguinem sæpius manare faciant, & ex capite destillationibus thoracem offendant atque pulmonem: nam has quoque nix facit & glacies cerebrum refrigerantes.

XXV.

ΤΑ' δὲ ἐν ἄρθροισιν οἰδήματα καὶ ἀλγήματα ἄτερ ἕλκεος, καὶ ποδαγρικὰ, καὶ σπάσματα, τουτέων τὰ πλεῖστα τὸ ψυχρὸν πολλὸν καταχεόμενον ῥηΐζει τε καὶ ἰσχναίνει, καὶ ὀδύνην λύει. νάρκη γὰρ μετρίη ὀδύνης λυτική.

Tumores articulorum atque dolores absque vlcere, podagras & conuulsiones, horum plurima frigida aqua largè effusa leuat, & extenuat, soluitque dolorem: nam modicus torpor dolorem soluit.

Quòd quidem aqua frigida horum plurima iuuet, ostendit. Sed quænam hæc sint, dicere

cere prætermisit: tanquam ex illis quæ anteà tetigit, non sit admodum difficile inuenire. Quæcunque enim inflammationes, vel tumores ardentes, ad rubrum & floridum recenti sanguine tendunt, frigidâ ait aquâ sanari, quæ influxum scilicet cohibet,& hac ratione corpora euacuat: quapropter & dolorem in talibus soluit, quia & eius causam abscindit. Quin & refrigeratio etiam partium largior affert torporem mediocrem,qui & ipse dolorem soluit, sensum hebetando.

XXVI.

ΥΔωρ τὸ ταχέως θερμαινόμενον καὶ ταχέως ψυχόμενον, κουφότατον.

Aqua quæ citò calet, & citò refrigeratur, leuissima est.

Non pondere talem esse leuissimam dicendum est: sic enim nihil magnum edoceret,præter id quòd per quasdam ambages illud doceret inueniendum, quod facile erat statim inuenire. Nam si pondere leuiorem aquam dignoscere quærit,facile erat ad proprium eorum quæ ponderantur iudicium rem perducere, eius per lancem ac pondus facientes inquisitionem. Sed nunc leuiorem dixit aquam,quæ vētrem non grauat, & quæ citò permeat:sicuti isti contrariam, grauem vocamus,

vocamus, quæ citò non permeat. Liquet autem, quòd non solùm hoc iudicium facit vitium aquæ, sed quòd quum alia in propatulo sint, & omnibus nota: hoc verò aliquid habeat artificij, sic ad id prodendum scripto, Hippocrates venerit. Sed quænam sunt alia. Primum quidem, si neque turbida, neque cœnosa est, neque in gustu aliquam alienam qualitatem præ se fert, deinde & illud quod nunc Hippocrates dixit, si citò refrigeratur & calet, nam perspicuum existit talem facilè alterari. Sicuti autem cibi virtus est, facillimè posse alterari, ita & aquæ: siquidem facilè transmutari volumus, quicquid probè concoqui debeat ab instrumentis, quibus est coctionis munus à natura demandatum. Quicunque verò solâ potantium affectione, optimam aquam iudicant: certissimo quidem vtuntur indicio: verùm si hoc tantùm assumpserint, non rectè faciunt. Priùs enim oportet de aqua ex dictis signis iudicare, antequam ad talem veniatur experientiam.

XXVII.

ΟΚόσοισι δὲ πιεῖν ὀρέξιες νύκτωρ, τοῖσι πάνυ διψῶσιν ἢν ἐπικοιμηθῶσιν, ἀγαθόν.

Qui noctu bibere appetunt, iis admodum sitientibus, si superdormiuerint, bonum.

Neque

Neque si dandus, neque si minimè dandus sit potus iis qui noctu admodum sitiunt, quicquam ostendit, sed hoc tantùm, quòd superdormire confert. Coquitur enim per somnum vtique, & subsidit, quæcunque sit sitis causa. Non tamen illud est in obscuro, quòd valdè sitientibus potus est dandus, siue ex potatione vini meracioris, siue ex defectu potus sitis aduenerit. Nam & defectum supplere adiectione, & vini caliditatem aquâ restinguere, theorema est medicinale. Si tamen modicè sitierint, non omnino eis dandus est potus, sed considerandum nunquid ex defectu humidi tale quid patiantur, an ex nimia vini potatione: contingit enim his ex somno iuuari.

XXVIII.

Γυναικείων ἀγωγὸν ἡ ἐν ἀρώμασι πυρίη, πολλαχοῦ δὲ καὶ ἐς ἄλλα χρησίμη ἂν ἦν, εἰ μὴ καρηβαρείας ἐνεποίει.

Suffitus aromatum, muliebria ducit: sæpius verò & ad alia vtilis esset, nisi capitis faceret grauitatem.

Muliebria dicit, videlicet, ea quæ ex vtero mulieribus euacuantur in menstruis purgationibus, & à partu. Clarum etiam illud est, quòd & hoc in loco, illas quæ vel propter

vteri inflammationem, vel euersionem, aut talem aliam causam non purgantur, non aliter rectè curabimus, quàm eam curantes passionem, cuius est symptoma suppressio menstruorum. Quæ verò sine hac passione parciùs purgantur, iis qui nunc ab ipso docentur, suffitibus curat. In his enim vel sanguinis crassitudo causa est retentionis, vel obstructio vasorum, quæ pertingunt ad vterum, vel horum obseratio, vel totius substantiæ densatio. Quodcunque verò dictorum in causa fuerit, aromatum suffitus sanat dispositionem, qui suâ vi aperit quidem vasorum ora obserata, extenuat autem humorum crassitudinem: obstructiones verò incidendo liberat. *Multoties verò & ad alia,* inquit *vtilis esset, nisi capitis faceret grauitatem.* Nam totum corpus poterat continuò suffiri per vterum in omnibus frigidis atque humidis dispositionibus, nisi timeremus illam quæ fit ex suffitu, capitis grauitatem, præsertim in febribus. Quòd verò omnia ferè aromata naturâ apta sint facere capitis dolorem, & experientia ostendit, & ratio docet. Quæcunque enim valde calefaciunt, omnia ferè capiti dolorem inferunt, vtpote suâ naturâ calido superiora petente. Calida autẽ est multùm omnium aromatum natura: & præ

præcipuè Casiæ, Costi, Cinnamomi, & Amomi.

XXIX.

Τὰς κυούσας φαρμακεύειν ἢν ὀργᾷ, τετράμηνα, καὶ ἄχρι ἑπτὰ μηνῶν. ἧσσον δὲ ταύτας. τὰ δὲ νήπια, καὶ πρεσβύτερα εὐλαβεῖσθαι χρή.

Grauidas purgare, turgente materiâ, quarto mense vsque ad septimum, minùs verò has. Recentiores autem & seniores fœtus cauere oportet.

Hic aphorismus dictus est anteà, vbi de purgatione sermo habebatur. Sed & hîc vbi de mulieribus agitur, in quampluribus exemplaribus inuenitur. Quidam verò eximunt ipsum, ne bis scriptus inueniatur. Nouâ autem expositione non indiget præter illam quam priùs scripsimus.

XXX.

Γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ, ὑπό τινος τῶν ὀξέων νοσημάτων ληφθῆναι, θανάσιμον.

Mulierem vtero gerentem capi ab aliquo morbo acuto, lethale est.

Non absque ratione. Si enim sit febrilis morbus, necesse est febrem esse continuam. Talis enim est morbus acutus: & in hoc duplex periculum. Vnum quidem à febre ipsa interimente fœtum, alterum verò quòd ex

longo interuallo cibum dantes, ex alimenti defectu fœtum destruemus. Si verò vt seruemus hunc, non verebimur crebrò cibũ exhibere, febrem continuam victu intẽpestiuo augentes, mulierem grauidam occidemus. Sic etiam, si absque febre aliquis alius morbus acutus fiat, veluti morbus comitialis, morbus attonitus, conuulsio, tetanus, propter magnitudinem morbi & vehementiam, impossibile est laborantem euadere.

XXXI.

Γυνὴ ἐν γαστρὶ ἔχουσα φλεβοτομηθεῖσα ἐκτιτρώσκει, καὶ μᾶλλον εἰ μεῖζον εἴη τὸ ἔμβρυον.

Mulier vtero gerens, sanguine misso ex vena, abortit: & præcipuè si fœtus sit grandior.

Ex defectu alimenti fœtus destruitur, non modò misso sanguine ex vena, sed etiam ex longiori inedia. Ostendemus autem hoc ipsum paulò pòst per alios aphorismos. Non absque ratione autem grandior fœtus citiùs destruitur, misso sanguine ex vena mulieris, quia plurimo indiget alimento.

XXXII.

Γυναικὶ αἷμα ἐμεούσῃ, τῶν καταμηνίων ῥαγέντων, λύσις γίνεται.

Mulieri

Mulieri ſanguinem euomenti, menſtruis erumpentibus, ſolutio aduenit.

Non abſque ratione. Erit enim retractio ſimul atque euacuatio ſanguinis ad ſuperiora tendentis. Hoc etiam experientia comprobat vtiliter fieri: nos verò ex ipſa permoti, naturæ opera quæ bene geruntur, imitabimur: & mulieres hac paſſione laborantes, miſſo ſanguine ex vena, euacuabimus.

XXXIII.

Γυναικὶ τῶν καταμηνίων ἐκλειπόντων, αἷμα ἐκ τῶν ῥινῶν ῥυῆναι, ἀγαθόν.

Menſtruis deficientibus. ſanguis ex naribus fluens, bonum.

Quòd quidem ſit neceſſarium eum, qui ſingulis menſibus bene euacuatur, ſanguinem, quando ob aliquam diſpoſitionem fuerit retentus, mulierem lædere, & quòd per aliam partem euacuatus, omnem corporis tollet læſionem, vnicuique eſt manifeſtum. Cùm verò multa ſint loca, per quæ poteſt euacuari, omnibus aliis quidẽ aut maius, aut minus ineſt detrimentum: ſola autem quæ fit per nares euacuatio innoxia eſt, quam nunc laudat Hippocrates. Non tamen ſi aliqua etiam alia euacuatio ſine noxa eſt, propterea

aphorismus est falsus. Neque enim quòd sola per nares euacuatio deficientibus menstruis bona sit, dixit; sed hanc simpliciter laudauit, non adiuncto, quòd sola. Si quispiam igitur alteram quæ fit per sedem, dixerit ita affectis mulieribus vtilem esse, hoc non aduersatur aphorismo. Videtur enim aliquando Hippocrat. per vnum velut exemplum de omnibus aliis similibus pronunciare.

XXXIV.

Γυναικὶ ἐν γαςρὶ ἐχούσῃ, ἢν ἡ κοιλίη πολλὰ ῥυῇ, κίνδυνος ἐκτρῶσαι.

Mulieri in vtero gerenti, si aluus plurimùm profluat, periculum est ne abortiat.

Ratione euacuationis nunc quoque Hippocrates inquit, periculum abortûs esse, quemadmodum & antea in missione sanguinis ex vena, ostendebamus.

XXXV.

Γυναικὶ ὑπὸ ὑστερικῶν ὀχλουμένῃ ἢ δυστοκούσῃ, πταρμὸς ἐπιγενόμενος, ἀγαθόν.

Mulieri quæ vterinis molestatur, aut difficulter parit, superueniens sternutatio, bonum.

Vnum in aphorismo verbum habet obscuritatem, *vterinis* scilicet. Nonnulli enim per

per id accipiunt omnes,quæ vtero aduenitũr, diſpoſitiones; nonnulli verò illas tantùm in quibus paſſio contingit, quam vocant vterinam ſuffocationem : quæ tamen non eſt verè ſuffocatio : ſed defectus anhelitûs. Alij locos ſiue ſecundas intelligunt, nam & has hyſtera nominant. Verùm hi apertè aberrãt, quamuis maximè verum dicere videantur: quoniam ſecundæ contentæ in vtero, ex ſternutatione diſrumpuntur. Alius enim de his aphoriſmus eſt ab ipſo perſcriptus. Et plurimùm differt, an vterum dixeris, an vterina. Falſum autem eſt de omnibus vteri paſſionibus dictum eſſe ab ipſo ſermonem. Neque enim exulcerationes, neque inflammationes, neque eryſipelata, ſicuti neque abſceſſus, ſternutatio iuuat. Verum eſt autem, quòd in vterinis ſuffocationibus ſuperueniente ſternutatione, patiens aliquantulum leuatur: non ſolùm quia bonum eſt ſignum ſternutatio ſponte adueniens iis, quæ ita ſe habent, mulieribus; ſed quoniam & cauſa, vt quæ ſit huius paſſionis remedium. Signum quidem bonum exiſtit, quia naturam oſtendit & propriarum meminiſſe motionum:& quæ priùs torpebat, excitari ac reuiuiſcere: quandoquidem aliquam eiicit ſuperfluitatem. Oſtenſum eſt etenim in *libro de*

causis accidentium, sternutationem fieri hoc modo. Causa autem iuuaminis est, quia vehementiore concussu atque feruore partim quidem naturam excitat, partim verò excernit quæ partibus corporis firmiter infixa adhærent. Sic enim & singultum solet sanare.

XXXVI.

Γυναικὶ τὰ καταμήνια ἄχροα, καὶ μὴ κατὰ τὰ αὐτὰ ἀεὶ γινόμενα, καθάρσιος δεῖσθαι σημαίνει.

Mulieri menses decolores, nec per idem semper tempus venientes, purgationem indicant esse necessariam.

In multis exemplaribus scripturam ita se habentem possumus inuenire: Mulieri menses tardi, nec per idem semper tempus venientes. Possunt quidem & menses *tardi*, hoc est, qui post consuetum veniunt circuitum, purgatione indigere humoris pituitosi, ob quem & decolores fiunt: non tamen hac solâ egent necessariò. Nam & per extenuantē aliquando victum tales dispositiones sanauimus. Aliàs autem scriptum à nobis est de hoc victu, *libro vno* seorsim. Huic sunt adiiciendi suffitus aromatum, & pessi eandem ipsam vim habentes, & medicamentorum potiones, quæ incidunt, & humorum crassitudinem

tudinem extenuăt, quale diacalaminthe, quo nos assiduè vtimur, quódque sæpius ciere solet tardantes mensium purgationes. Nam intentio sanationis in ipsis est, ora quidem adaperire vasorum quæ pertingunt ad vterum, & sanguinem extenuare. Et quidem purgatio totiùs corporis, vt dixi, quādo crassi euacuantur humores, tales sanat dispositiones. Si verò *decolores* scriptum sit, multò magis purgatio sanabit ita se habentes mulieres. Neque enim propter humorem pituitosum tantummodo, sed & propter melancholicum & biliosum, menses fiunt decolores. Quomodo igitur dignoscere oporteat humorem superabundantem, ipse *in primo de muliebribus* docuit: nunc autem quòd per purgationem euacuandum sit, ipse monstrauit. Verba autem illa, *Nec per idem semper tempus venientes*, huic scripturæ magis consonant: vt totus sermo sit talis: Si menses decolores fiant, & non per idem tempus veniant quo anteà venire consueuerant, mulier purgatione indiget. Contingit enim in mulieribus, quæ malos humores habent, non modò decolores apparere menstruas purgationes, sed etiam tempus periodi non seruari: si quidem crassiores fuerint humores, & difficiliùs fluentes iis, qui secundùm

naturam se habent, morando, & longius tempus expectando: si verò contrarij, hoc est, humidiores ac tenuiores, consuetum terminum anticipando.

XXXVII.

Γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ ἢν οἱ μαζοὶ ἐξαίφνης ἰσχνοὶ γένωνται, ἐκτιτρώσκει.

Mulieri vtero gerenti si mammæ graciles repentè fiant, abortit.

Hic pariter aphorismus ex illorum numero est, quos diximus defectum alimenti fœtui significare. Communes enim quædam venæ sunt mammis ac vtero: quæ vbi parum habuerint sanguinis, graciles quidem mammas reddunt, inediâ verò nonnunquam fœtum perimunt, nonnunquam etiam ad excretionem excitant, illam ob causam, quam ipse in *libro de natura fœtûs*, per hæc verba explicat: *Alimentum atque auctio ab vtero veniens, non ampliùs est infanti sufficiens, quando decem menses præterierint, & fœtus auctus fuerit. Trahit enim à sanguine ad se id quod dulcissimum, simul autem & lactis parte aliqua fruitur. Vbi verò hæc illi rariora fuerint, & iam infans adultus est, plus cibi requirens quàm illud quod adest: calcitrat, & membranas disrumpit, initiúmque partûs ma-*

tri

tri affert. Liquet igitur quòd & ante decem menses fœtus est indigens alimento, & calcitrans & membranas disrumpens, initium partus matri affert.

XXXVIII.

Γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ ἢν ὁ ἕτερος μαζὸς ἰσχνὸς γένηται δίδυμα ἐχούσῃ, θάτερον ἐκτιτρώσκει. καὶ ἢν μὲν ὁ δεξιὸς ἰσχνὸς γένηται, τὸ ἄρσεν. ἢν δὲ ὁ ἀριστερὸς, τὸ θῆλυ.

Mulieri vtero gerenti & geminos habenti, si altera mamma gracilis fiat, alterum abortit: & siquidem mamma dextra gracilis fiat, marem: si verò sinistra, fœminam.

Quòd suprà scriptus aphorismus de ambabus mammis dicebat, hoc de altera iste dicit, atque propter illam, quam diximus, causam, venarum scilicet communionem, fœtus è directo mammæ diminutæ constitutus aboritur. Quòd autem existentibus geminis, altero mare, altero fœminâ, si dextra quidem mamma gracilis fiat, solus mas: si verò sinistra, fœmina sola corrumpatur: ex illa ipsius pendet opinione, qua mares quidem in dextris, fœminas verò in sinistris magis concipi opinatur.

Infrà, aph. 48.

XXXIX.

Ἢν γυνὴ μὴ κύουσα, μηδὲ τετοκυῖα γάλα ἔχῃ, ταύτῃ τὰ καταμήνια ἐκλέλοιπε.

Si

Si mulier quæ neque grauida est, neque peperit, lac habet: huic menstrua defecerunt.

Ratio quidem longior existit: & oportet illum qui eam exquisitè assequi debeat, exercitatum esse in *libris de potentiis naturalibus*, tantum tamen de his nunc à nobis dicetur quàm breuissimè, provt præsenti propositi vsus concedit. Hoc quidē commune est omnibus animalis partibus, quæ aptæ sunt humores aliquos vtiles generare, aut partibus aliis, aut ad generis propagationem, aut ad conceptûs nutritionem esse humorem illum quandam veluti superfluitatem alimenti partis ipsum generantis. Non enim quia norit ad quid vtilis erit humor animali, ipsius facit pars generationem, nisi debeat talem habere intellectum, qualē habere oportere arbitrantur ciuitatū gubernatores, sed animalis quidem opifex illum habet intellectum, ipsa autem pars (vt ostensum est) potentiis regitur naturalibus, tum aliis quibusdam, tum alteratiua, per quam assimilat alimentum sibi ipsi. Quantum igitur alimenti ab ipsa alterati fuerit nutrito corpori exquisitè assimilatum, illi apponitur parti, ac nutrit eam: & hoc est quod ipse ait: *Alimentum autem est, quod alit, & quod est veluti alimentum, & quod debet alere.* Superfluum verò

Lib. de Alim.

dereli

derelictum, similis quidem naturæ partis humor existit: in ossibus quidem id quod in eorum cauernis continetur, in hepate verò sanguis. Ex hoc genere est & spumeus humor, qui in carne pulmonis continetur, & in articulorum compagibus glutinosus humor, & in testibus, & assistentibus anfractibus semen, & in lingua saliua. Sunt etiam quidam in mammis adenes, vim habentes id, quod ad se influat, alterandi. Cùm autem sint exangues & albi, proprium efficiunt humorem, talem qualis est lac: atque amplius huius faciunt, quando plus alimenti defertur ad ipsos. Plus verò defertur octauo & nono mense conceptionis: quando abundanter oppletæ sunt communes venæ mammarum & vteri: sicuti in animalium prægnantium resectionibus manifestè conspicitur. Fit etiam tale quandoque, licet raro, cùm mulier grauida non est, quando ad similem peruenerint venæ repletionem ex menstruorum retentione: cuius nunc dispositionis Hipp. meminit.

X L.

Γυναιξὶν ὁκόσῃσιν ἐς τοὺς τιτθοὺς αἷμα συστρέφεται, μανίην σημαίνει.

Quibuscunque mulieribus ad mammas sanguis colligitur, furorem significat.

Quòd

Quòd quidem ſanguis ad mammas feratur, deinde ab adenibus qui inibi ſunt, in lac tranſmutetur, in antea ſcripto dictum eſt aphoriſmo. Nunc autem, quando intranſmutabilis manſerit hic, qui ad eos ſanguis peruenerit, furorem ait Hippocrates ſignificari. Ego quidem nondum hoc accidiſſe vidi: & ſi quando eueniat, ex iis eſt quæ rarò eueniunt. Hippocrates verò tanquam viderit, ſcribit: quod ſi verum ſit, talem ipſius oportet cauſam exiſtimare. Adenum natura, & illorum præſertim qui in mammis ſunt, exanguis eſt, & proculdubio frigida; omne enim exangue, frigidum. Quinetiam eum qui ad ipſos defertur ſanguinem, in frigidius tranſmutant. Quantò enim adenes hi ſunt hepatis carne frigidiores, tantò lac ſanguine. Cùm igitur plurimus aliquando ſanguis & feruens per totum labitur corpus, & caput præcipuè petit, in furorem vertuntur, quoniam ſanguis talis occupat caput. Qui verò ad mammas defertur, ad contrariam naturam alterari non poterit, ita vt lac fiat, cùm propter feruorem, tum propter abundantiam.

XLI.

Γυναῖκα ἢν θέλῃς εἰδέναι εἰ κύει, ἐπὴν καθεύδειν μέλλῃ, σὺν ἀδείπνῳ ἐούσῃ μελίκρητον διδόναι

διδόναι πιεῖν, κἢν μὲν στρόφον ἔχῃ περὶ τὴν γαστέρα, κύει, ἢν δὲ μὴ, οὐ κύει.

Si velis noscere an conceperit mulier: cùm dormitura est, ei non incœnatæ aquam mulsam potandam da: & si alui tormina patietur, concepit; si minus, non concepit.

Tormina fiunt quidem propter mordacitatem: fiunt etiam propter spiritum flatuosum, qui facilem non habet exitum: cuiusmodi tormina fieri nunc est arbitrandum in mulieribus quæ conceperunt, propter vteri angustationem. Dat autem aquam mulsam mulieri dormituræ, crudam videlicet: quoniam qualitas flatuosa (si noscere volumus) est necessaria, volens & quiescere simul, & plenam esse cibis mulierem; hæc enim ambo conferent ad torminum generationem.

XLII.

Γυνὴ ἔγκυος, εἰ μὲν ἄρρεν κύει, εὔχρους ἐστιν, ἢν δὲ θῆλυ, δύσχρους.

Mulier grauida si marem concepit, bene colorata est: si verò fœminam, malè colorata.

Ad seipsam muliere collatâ videlicet, non autem ad alteram, dictum est ab Hippocrate indicium, quod ex bono colore ac malo sumitur. Nam quæ fœminam concepit, minùs seipsa colorata apparet: quoniam frigidior

est

eſt fœmina mare. Nunquam verò talem concepiſſet, niſi & viri ſemen, & vterus mulieris, frigidiora eo tempore fuiſſent, in quo concepit. Quare quod dicitur, ex eorum numero eſt, quæ ſæpius eueniunt. Contingere enim poteſt, ita omnia rectè agere mulierem poſt tempus conceptionis, vt bene colorata fiat. Liquet autem, quòd & alia ſigna ſunt marem eſſe conceptum: ſicuti ipſius conceptus plurimæ ac validæ motiones, quæ neque ipſæ, ſigna perpetua ſunt. Contingit enim aliquando, licèt ſit rarum, quòd concepta fœmina ſit mare robuſtior, & multis ac validis motibus moueatur: & aliquando mas ſit debilior fœminâ, ac paucioribus debilioribúſque motibus cieatur.

XLIII.

Ην γυναικὶ κυούσῃ ἐρυσίπελας ἐν τῇ ὑστέρῃ γένηται, θανατῶδες.

Si mulieris grauidæ in vtero ſit eryſipelas, lethale.

An ſolum eryſipelas in vtero mulieris grauidæ conſtitutum, putat eſſe lethale, vel illam etiam quæ proprio nomine dicitur inflammatio. Quòd enim exiſtente in vtero eryſipelate, fœtus moriatur ex neceſſitate, manifeſtum eſt: ſiquidem & febres acutæ aliquando ſine inflammatione ipſum interficiunt.

ciunt. An verò & vtero inflammationem patiente, poſſit aliquando fœtus viuere, dignum eſt inquiſitione.

XLIV.

Ὁκόσαι παρὰ φύσιν λεπταὶ ἐοῦσαι ἐν γαστρὶ ἔχουσι, ἐκτιτρώσκουσι πρὶν ἢ παχυνθῶσι.

Quæcunque præter naturam tenues exiſtentes, vtero gerunt, abortiunt prius quàm craſſeſcant.

Tribus modis acceperunt expoſitores libri huius, præſentis aphoriſmi intellectum. Quidam enim omnino arbitrantur ipſas abortire: quidam verò niſi craſſeſcant & reficiantur, ſed maneant abſque refectione, ac tenues: quidam verò cum reficiuntur, tunc maximè eas exiſtimant abortire, quod minùs fit quàm prius dicta veriſimile. Verumtamen ita expoſuit Numeſianus, dictum inquiens eſſe aphoriſmum de iis, quæ præter naturam ſunt extenuatæ, & quas priùs refici oporteat. Sed cùm concipere anticipent, non refici ait abſque quòd ſanguis ad conceptus alimentum deputatus, ad eius quæ concepit nutritionem recipiatur: quare non abſque ratione fœtus ſufficienti indigens alimento corrumpitur. Sed & verba illa, *Præter naturam tenues*; quidam ita acceperunt,

ſicuti Numeſianus, vt præter ſuiipſius naturam grauida mulier ſit extenuata. Quidam verò magnum exceſſum volunt ſignificari, volente Hippocrate nobis inſinuare, non quòd mediocriter extenuatæ, id ex neceſſitate patiantur, ſed quæ valdè ſunt extenuatæ. Vtraque autem expoſitio non caret ratione.

XLV.

Ὁκόσαι δὲ μετρίως τὸ σῶμα ἔχουσαι ἐκτιτρώσκουσι δίμηνα καὶ τρίμηνα ἄτερ προφάσιος φανερῆς, ταύτῃσιν αἱ κοτυληδόνες μύξης μεσταί εἰσι. καὶ οὐ δύνανται κρατεῖν ὑπὸ τοῦ βάρεος τὸ ἔμβρυον, ἀλλ' ἀπορρήγνυνται.

Quacunque mediocriter corpora habentes abortiunt ſecundo aut tertio menſe ſine occaſione manifeſta, iis † acetabula vteri plena mucoris ſunt, & non poſſunt propter pondus fœtum continere, ſed diſrumpuntur.

† *Cotyledones.*

Sine manifeſta occaſione ait, vtpote febre vehemente, & alui fluxu, vel profluuio ſanguinis, vel eryſipelate in ipſo vtero conſtituto, vel ſaltu grauidæ mulieris vehementiore, vel clamore, vel mœrore, vel ira, vel timore, vel victu parciore, vel tali aliqua actione ſeu paſſione. Fit enim veriſimile, in his eſſe plena mucore ora vaſorum venientium ad vterum, ex quibus ſecundæ pendent: quæ ora,

acetabula nominauit : non(ſicuti quidam arbitrantur) adnatas ipſis carnes adenoſas. Nam vti ipſe inquit in *primo libro de paſſionibus muliebribus, Si acetabula plena fuerint pituitâ menſtrua fiunt pauciora* : & Praxagoras in *primo de naturalibus, Acetabula*, inquit, *ſunt ora venarum & arteriarum,quæ feruntur ad vterum.*

XLVI.

ΟΚόσαι παρὰ φύσιν παχεῖαι ἐοῦσαι, μὴ ξυλλαμβάνουσιν ἐν τῇ γαστρὶ, ταύτῃσι τὸ ἐπίπλοον τὸ στόμα τῶν ὑστέρων ἀποπιέζει, καὶ πρὶν ἢ λεπτυνθῶσι, οὐ κύουσιν.

Quæcunque præter naturam craſſæ, non concipiunt vtero, iis omentum os vteri comprimit : & priùs quàm extenuentur, non concipiunt.

Verba, *præter naturam*, dupliciter etiam accipiunt hoc loco, quidam ſupra modum ſignificari arbitrantes, quidam præter ipſius mulieris grauidæ naturam. Verior eſt autem prior acceptio : nam ab omenti pinguedine comprimitur atque anguſtatur vteri os iis quæ ſupra modum craſſæ ſunt. Dicit autem nunc os,ſcilicet internum,vbi vterus deſinit, collum verò incipit : quod magis propriè os vteri diceretur. Nam altera colli extremitas quæ mulieris pudendis coniungitur, non

vteri, sed ipsius colli os haud sine ratione diceretur.

XLVII.

HN ὑστέρη ἐν τῷ ἰσχίῳ ἐγκειμένη διαπυήσῃ, ἀνάγκη ἔμμοτον γενέσθαι.

Si vterus in coxam vergens suppuratur, necesse est linamentum fieri.

Cùm necessarium est fieri per linea fila curationém, linamentum nominauit. Quòd autem vterus suppuratus, & præsertim ad exteriora, (nam hoc nunc videtur dicere) curatione tali ex necessitate indigebit, non est obscurum.

XLVIII.

EΜβρυα, τὰ μὲν ἄρσενα ἐν τοῖσι δεξιοῖσι, τὰ δὲ θήλεα ἐν τοῖσιν ἀριστεροῖσι μᾶλλον.

Fœtus, mares quidem in dextris, fœminæ verò in sinistris magis.

Quòd propter temperaturam, quæ statim ab initio calidior existit, fœtus masculus generatur, in *commentariis de semine*, est demonstratum. Calidior verò temperatura fœtibus aduenit maximè ob locum, qui est dextra vteri pars: hic autem ipse calidior existit, propter hepatis vicinitatem. Confert autem aliquid ad conceptûs caliditatem & muliebre semen, profusum quidem ex propriis

priis testiculis per vtrumque corniculum, par vna in dextrum vteri sinum, pars altera in sinistrum, quæ dissimilis est: quemadmodum etiam ostendimus. Siquidem serosior est atque frigidior. quæ in sinistro testiculo continetur: & iuxta hoc conceptus in læua parte vteri constitutus, non absque ratione esset frigidior. Dictum autem est de omnibus talibus sufficienter in *quinto libro Hippocraticarum anatomiarum.*

XLIXI

Ἐς ὑστερίων ἐκπλώσιας πταρμικὸν ἐπιθεὶς ἐπιλαμβάνειν τοὺς μυκτῆρας, καὶ τὸ στόμα.

Vt secundæ procidant, sternutatorio apposito, nares comprime, & os.

Non cum accentu circumflexo vltimam syllabam ὑστερῶν, legere oportet, vt significet vterum, sed cum graui, ὑστέρων, vt secunda intelligatur. Neque enim vult vteros ipsos excidere, tensione facta cum medicinis sternutare facientibus, sed ea quæ *choria* seu loci vocantur atque secundæ.

Γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ τεινεσμὸς ἐπιγινόμενος, ἐκτρῶσαι ποιέει.

Mulieri in vtero habenti, tenesmus superueniens abortum facit.

vteri, ſed ipſius colli os haud ſine ratione diceretur.

XLVII.

ΗΝ ὑστέρη ἐν τῷ ἰσχίῳ ἐγκειμένη διαπυήσῃ, ἀνάγκη ἔμμοτον γίνεσθαι.

Si vterus in coxam vergens ſuppuratur, neceſſe eſt linamentum fieri.

Cùm neceſſarium eſt fieri per linea fila curationẽm, linamentum nominauit. Quòd autem vterus ſuppuratus,& præſertim ad exteriora, (nam hoc nunc videtur dicere) curatione tali ex neceſſitate indigebit, non eſt obſcurum.

XLVIII.

ΕΜβρυα, τὰ μὲν ἄρσενα ἐν τοῖσι δεξιοῖσι, τὰ δὲ θήλεα ἐν τοῖσιν ἀριστεροῖσι μᾶλλον.

Fœtus, mares quidem in dextris, fœminæ verò in ſiniſtris magis.

Quòd propter temperaturam, quæ ſtatim ab initio calidior exiſtit, fœtus maſculus generatur, in *commentariis de ſemine*, eſt demonſtratum. Calidior verò temperatura fœtibus aduenit maximè ob locum, qui eſt dextra vteri pars: hic autem ipſe calidior exiſtit,propter hepatis vicinitatem. Confert autem aliquid ad conceptûs caliditatem & muliebre ſemen, profuſum quidem ex propriis

priis testiculis per vtrumque corniculum; par vna in dextrum vteri sinum, pars altera in sinistrum, quæ dissimilis est: quemadmodum etiam ostendimus. Siquidem serosior est atque frigidior. quæ in sinistro testiculo continetur: & iuxta hoc conceptus in læua parte vteri constitutus, non absque ratione esset frigidior. Dictum autem est de omnibus talibus sufficienter in *quinto libro Hippocraticarum anatomiarum.*

X L I XI

Ἐς ὑστερίων ἐκπλώσιας πταρμικὸν ἐπιθεὶς ἐπιλαμβάνειν τοὺς μυκτῆρας, καὶ τὸ στόμα.

Vt secunda procidant, sternutatorio apposito, nares comprime, & os.

Non cum accentu circumflexo vltimam syllabam ὑστερῶν, legere oportet, vt significet vterum, sed cum graui, ὑστέρων, vt secunda intelligatur. Neque enim vult vteros ipsos excidere, tensione facta cum medicinis sternutare facientibus, sed ea quæ *choria* seu loci vocantur atque secundæ.

Γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ τεινεσμὸς ἐπιγενόμενος, ἐκτρῶσαι ποιεῖ.

Mulieri in vtero habenti, tenesmus superueniens abortum facit.

L.

Γυναικὶ ἢν τὰ καταμήνια ἢν βούλῃ ἐπισχεῖν, σικύην ὡς μεγίστην πρὸς τοὺς τιτθοὺς πρόσβαλλε.

Mulieri ſi velis menſtrua cohibere, cucurbitulam quàm maximam ad mammam appone.

Sicuti menſtruorum, quæ aut nullo modo, aut parcè fluunt, docuit Hippocrat. curationem: ita & nunc docet illorum quæ vltra modum euacuantur: iubens nos cucurbitulam quàm maximam mammis apponere. Melius autem eſt non ipſis mammis, ſed ſub ipſis partibus inferioribus firmare cucurbitulam: vbi maximè ſunt eæ quæ ad ipſas venæ deſubter veniunt. Atque ideò nonnulli ſcribunt: Cucurbitulam quàm maximam ſub mammis appone. Vult autem maximam eſſe cucurbitulam, vt fortiorem faciat ex vtero ad ſuperiora retractionem, per communes id venas artificiosè commentus.

L I.

Ὁκόσαι ἐν γαστρὶ ἔχουσι, τουτέων τὸ στόμα τῶν ὑστερέων συμμέμυκεν.

Quæ vtero gerunt, iis vteri os comprimitur.

Maximum hoc eſt mulieris quæ concepit indicium, ſi obſtetrix potuerit immiſſo digi-

ro

to os vteri tangeŕe. Statim enim cùm ſemen intra ſeipſum acceperit, totam ſuam capacitatem contrahit, & claudit os. Videtur tamen etiam propter ſcirrhum & inflammationem vteri comprimi. Diſtinguitur autem ex duritie vteri.

L I I.

ΗΝ γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ γάλα πολὺ ἐκ τῶν μαζῶν ῥυῇ, ἀσθενὲς τὸ ἔμβρυον σημαίνει. ἢν δὲ στερεοὶ οἱ μαστοὶ ἔωσιν, ὑγιεινότερον τὸ ἔμβρυον σημαίνει.

Mulieri vtero gerenti ſi lac multum è mammis effluat, fœtum imbecillem ſignificat; ſi verò mammæ ſolidæ fuerint, fœtum ſignificant ſaniorem.

Illo videlicet tempore fluit lac, quibus apparet fluere, quando natura fert, vt in grauidis generetur. Neque enim in primis generatur menſibus. Quòd autem omnino fluat, & non maneat intus, hoc ideò fit quia plurimum colligitur. Plurimum verò colligitur multum oppletis venis communibus, quæ à mãmis pertingunt ad vteri os. Sed adhuc magis implentur, quãdo minimum conceptus abſumit. Hoc verò ipſum fit ob eiuſdem conceptus imbecillitatem. Liquet igitur, quòd mammas tenues non oportet ap-

parere, ficuti in muliere non grauida: (hoc enim fignum inopiam fanguinis oftendit, & hac ratione fœtus in ipfis corrumpitur) neque adeò plenas vt lac effluat, fed tantum intumefcere, vt folidæ tangentibus videantur. Media enim hæc confiftentia eft inter renitentes propter nimiam repletionem, & molles ac laxas propter defectum fanguinis. Quare meritò laudat hoc fignum Hippocrates, vt quod indicio fit neque fœtum effe imbecillem, neque deficere ipfi alimentum.

L I I I.

Ὁκόσαι διαφθείρειν μέλλουσι τὰ ἔμβρυα τιτθῶν, τῆσιν οἱ τιτθοὶ ἰσχνοὶ γίνονται. ἢν δὲ πάλιν σκληροὶ γένωνται, ὀδύνη ἔσται, ἢ ἐν τοῖσι τιτθοῖσιν, ἢ ἐν τοῖσιν ἰσχίοισιν, ἢ ἐν τοῖσιν ὀφθαλμοῖσιν, ἢ ἐν τοῖσι γούνασι, καὶ οὐ διαφθείρουσιν.

Quæ corruptura funt fœtus, iis mammæ extenuantur. Quòd fi rurfus duræ fiant, dolor aut mammas, aut coxas, aut oculos, aut genua infeftabit, & non corrumpent.

Priùs dixerat: *Mulieri vtero gerenti fi mammæ repentè extenuentur, abortit.* Dixerat etiam, *fi altera mamma extenuetur geminos habenti, alterius fœtus abortum fecu*-

secuturum. Nunc verò ordinem consecutionis commutauit, & non à signis ipsis, sed à mulieribus fœtum corrumpentibus fecit initium, ipsis præcedere inquiens, mammas tenues. Non est autem omnino idem, si dicatur vel ad mammas tenues sequi corruptionem, vel debente fieri corruptione mammas tenues præcedere. Qui enim ait, ad mammarum extenuationem sequi corruptionem: hic solùm istud ostendit esse signum futuræ corruptionis. Qui verò dicit, iis quæ debent corrumpere fœtus, mammas extenuari: non solùm hoc videtur ostendere signum præcedere fœtus corruptionem. Quare diligentiùs est inquirendum, & obseruandum in iis quæ in grauidis mulieribus apparent, an nunquam alter fœtum corrumpant, sed semper præcedat mammarum extenuatio, an' saltantibus, vel valde vociferantibus, vel ita excandescentibus, & nimio repentè pauore correptis contingat mammarum non præcedere extenuationē. An contingat etiā quibusdam, vt propter magnitudinē febris, aut ortum in vtero erysipelas, vel propter mucorem acetabulorum, seu tale aliquid, fœtus corrumpatur absque mammarum extenuatione. Nam videtur Hippocr. hanc semper præcedere existimare: & mihi sæpiùs

 obser

obſeruanti, viſæ ſunt in ſupradictis occaſionibus ante corruptionem mammæ extenuatæ. Nunquid igitur quando citra aliquam huiuſcemodi cauſam mammæ extenuantur, defectum ſanguinis eſſe in cauſa exiſtimemus in venis vtero mammíſq; communibus: vnde propter inediam fœtus corrumpitur. In aliis verò cauſis ob quas interit, ſi quid ſit læſus aut diſrumpitur fœtus, cùm ipſum membranæ continentes diuelluntur, naturâ os vteri adaperiente, & dolores excitãte, ob has ipſas cauſas ſanguinem ad genitales deferri partes. Hæc enim eſt quædam ratio communis, in iis per quæ natura aliquid violẽter excernit, vt ſanguinis & ſpiritus impetus eò feratur; quibus duobus veluti inſtrumentis natura vtens, ea quæ infeſtant, per vim expellit. Hac ratione igitur, & dolentibus partibus inflammationes adueniunt, naturâ excernere atque expellere cauſam doloris properante: vt verò hoc faciat, ſanguine ac ſpiritu locum implente. Hæc itaque à me dicta ſint in primam partem aphoriſmi: ſecunda verò quæ ſequitur (in qua contrariæ mammarum meminit diſpoſitionis) talis eſt: *Quòd ſi rurſus*, ait, *mammæ duræ fiant*. Cùm autem, *rurſus*, duo ſignificet in huiuſcemodi locutionibus, alterum quidem quod antedictæ coniungitur

iungitur diſpoſitionia,lterum verò quod aliâ dictione conſueuerunt dicere contrà : mihi verius,& magis Hippocratis ſententiæ cohærere videtur ſecundum ſignificatum:vt quod in toto dicitur aphoriſmo,ſit tale : Mammæ quidem tenues omnino præcedunt fœtuum corruptionem : & non poſſunt iſti corrumpi ſine earum extenuatione præcedente. Duræ verò, corruptionem quidem non ſignificant, ſed dolor quidam dictarum partium ad ipſas conſequitur : vt ſicuti mammæ tenues, defectus ſanguinis ſignificationem habent : ſic duræ,multitudinis : differentes ab illis quas, priùs dixerat *ſolidas* : in quibus rurſus reponente naturâ ad quaſdam partes materiam inutilem, illæ dolent , ſed fœtus nullam habet offenſionem. Quæſtio autem occurrit hoc loco , ob quam cauſam in corpus vteri natura nunquam materiam reponit inutilem , & facit inflammationem : vel cur inflammato vtero , fœtus non corrumpitur? An quod ab Hippocrate dicitur , aliud eſt? Neque enim quòd nunquam ad mammas duras corruptio fœtuum , ſequatur , putandum eſt fuiſſe ab Hippocrate dictum , ſed quòd non ſemper , (quemadmodum in tenuibus) verùm ſi in alterum locum natura reponat ſuperfluitates , (quod ex dolore cognoſcimus)

gnoſcimus) corruptio non ſequitur. Fit autem rurſus, ſi ita acceperimus, vniuerſus ſermo talis: Mulieribus quæ fœtus corrupturæ ſunt, ſemper mammæ extenuatæ præcedunt: duræ autem ac plenæ, non ſemper, ſæpe enim in his ad alteram partem materiam inutilem natura reponit. Si verò in vterum ipſam expellat, fient tunc omnino tenues. Nam ſecundum Hippocratis (vt apparet) ſententiam, ſi propter aliud quicquam & non defectum alimenti, abortus fiat, omnino præcedet mammarum gracilitas, ob cauſam antedictam: Quare ſi etiam ob acetabulorum humiditatem conceptus effluet, tunc etiam ipſum naturâ expellente ad excretionem, motio ſanguinis erit ad vteros; & hac ratione mammæ fient graciles magis quàm priùs erant.

L I V.

ΟΚόσῃσι δὲ στόμα τῶν ὑστερέων σκληρόν ἐστι, ταύτῃσιν ἀνάγκη τὸ στόμα τῶν ὑστερέων ξυμμύειν.

Quibus os vteri durum eſt, iis vteri os comprimi eſt neceſſarium.

Dictum eſt & antea, quòd os vteri comprimi commune eſt ſignum & tumoris alicuius in eo præter naturam exiſtẽtis, & conceptionis in muliere, & quòd oportet id ex duri

duritie distinguere Grauidis enim molle est, & secundum naturam. In quibus autem est tumor præter naturam, siue inflammationi similis, siue scirrho, durum. Melius itaque fuerat hunc aphorismum post illum scribere in quo dicebatur : *Quæcunque vtero gerunt, iis os vteri compressum est.*

LV.

Ὁκόσαι ἐν γαστρὶ ἔχουσαι ὑπὸ πυρετῶν λαμβάνονται, καὶ ἰσχυρῶς † ἰσχναίνονται ἄνευ προφάσιος φανερῆς, τίκτουσι χαλεπῶς καὶ ἐπικινδύνως, ἢ ἐκτιτρώσκουσαι κινδυνεύουσιν.

† θερμαίνονται ἄτερ.

Quæcunque vtero gerentes à febribus corripiuntur, & fortiter extenuantur calefiunt sine occasione manifesta. difficulter pariunt, & cum periculo; aut abortum facientes periclitantur.

Accidit quibusdam grauidis, in quibus vitiosi humores priusquàm conceperint, sunt aceruati, nonnunquam à febribus adeò vehementibus corripi, vt ex necessitate abortiant : nonnunquam verò à mediocribus: sed cùm non purgentur sufficienter, aliquid superest reliquiarum humorum in corpore vitiosorum, ex quibus febres constiterant, vtpote non potentibus Medicis mulieri grauidæ aliquod forte auxilium adhibere, neque exquisitâ victûs ratione in ipsis vti, Ob hanc igitur causam febris

febris in ipsis frequenter reuertitur: & magnâ temporis parte grauiter se habent. Non sine ratione igitur fœtus aliquando nequit obsistere, sed ex febre & vitio humorum corrumpitur: nonnunquam verò perdurat quidem vsque ad tempus partûs, sed cùm & ipse valetudinarius sit, vt qui longo tempore laborauerit, & matrem habeat imbecillem, non sine periculo paritur. Nam ad bonum partum, duorum corporum vigore est opus, & grauidæ mulieris, & infantis.

LVI.

Ἐπὶ ῥόῳ γυναικείῳ σπασμὸς καὶ λειποθυμίη ἢν ἐπιγένηται, κακόν.

In fluxu muliebri si conuulsio & animi defectus aduenerit, malum.

Non statim post fluxum ortum hæc fiunt, sicuti neque aliud quicquam eorum, quæ in sequenti sermone quibusdam aliis ait aduenire, sed cùm vel validior fuerit, vel diu perdurauerit. Defectus quidem animi, communis omnis immodicæ euacuationis est casus: conuulsio verò etsi non communis existat, ad plurimas tamen consequitur, & præcipuè si pars quæ patitur, neruosa fuerit.

Κατὰ

LVII.

Καταμηνίων γινομένων πλειόνων, νοῦσοι ξυμβαίνουσι, καὶ μὴ γινομένων ἀπὸ τῆς ὑστέρης ξυμβαίνουσι νοῦσοι.

Menstruis largiùs fluentibus, morbi eueniunt: non fluentibus autem, ex vtero morbi contingunt.

Quibusdam Medicis visum est ex multitudine quidem plurimos fieri morbos, ex defectu autem nullum. Verùm Hippocrates arbitratur etiam ob defectum fieri aliquando morbos, non solùm in mulieribus, sed etiam in viris. Siquidem ad defectus consequitur aliquando siccitas, aliquando frigiditas, aliquando vtrumque. Ostēsum autē est, quòd intemperaturæ, quæcunque tantam habent magnitudinem, vt possint iam lædere operationem, sunt ex morborum genere. Verùm secundùm hoc neque falsum, neque obscurùm est Hippocratis dictum. Quatenus autem largiùs quidem fluentibus menstruis simpliciter dixit fieri morbos, neque *ex vtero* adiecit; in non *fluentibus autem*, istud adiunxit, dignum est inquisitione, nunquid ad antedictum vtrumque communiter retulerit hoc, *ex vtero*: an hoc solùm sit proprium non fluentium menstruorum. Hoc autem scire

ſcire exquiſitè, eſt impoſſibile, niſi omnes nouerimus cauſas, ob quas vel plura quàm opus ſit, vel pauciora veniant menſtrua. Poſſibile eſt autem, ſi ora vaſorum quæ pertingunt ad vterum, vltra modum aperiãtur, & ſi ſanguis vel calidior vel tenuior fiat, & ſi totũ corpus propter malum habitũ aliquem aggrauetur ſanguine, etſi modum naturæ conuenientem ſuâ multitudine non exceſſerit: dum ipſum expellit ad venas quæ in vtero ſunt, vt in fluxionibus accidit, poſſibile eſt, inquã, aliàs ad aliam partẽ immodicas fieri mẽſtruorum euacuationes. Eadem verò menſtrua poſſunt fieri pauciora, vel quia venæ ferentes ad vterum menſtruam purgationem, comprimuntur, vel obſtruuntur, propter craſſitiem ſanguinis, vel lẽtorem, vel robur vaſorum vteri, adeò vt quod influit, non admittant. Quodcunque autẽ horum fuerit, neceſſe eſt proceſſu tẽporis ipſum vterũ pati aut ſimilem inflammationi diſpoſitionẽ, aut eryſipelati, aut ſcirrho, aut cancro: quibus denuò totũ compatitur corpus. In immodicis verò euacuationibus nulla talis accidit vteris paſſio, adeò vt per compatiendi rationem totum corpus vnà laboret. Quare fit veriſimilius, in ſola retentione menſtruorum dixiſſe Hippocratem, morbos contingere ex vtero.

Ex

LVIII.

Ἐπὶ ἀρχῷ φλεγμαίνοντι, καὶ ἐπὶ ὑστέρῃ φλεγμαινούσῃ, στραγγουρίη ἐπιγίνεται, καὶ ἐπὶ νεφροῖσιν ἐμπυέουσι στραγγουρίη ἐπιγίνεται. ἐπὶ δὲ ἥπατι φλεγμαίνοντι λύγξ ἐπιγίνεται.

Recto intestino aut vtero inflammationem patiente, & renibus purulentis vrinæ aduenit stillicidium: iecinoris verò inflammationem singultus sequitur.

Quando aliquis parum,& frequenter mingit:hæc passio,vrinæ stillicidium nominatur, & fit aliquando ex imbecillitate potentiæ retentiuæ vesicæ,nonnunquam verò ex acritudine vrinæ. Imbecillitas quidem fit propter intemperaturam, & aliquem tumorem præter naturam:acritudo autem vel propter renum passionem,vel quia talis ad ipsos venit ex venis superfluitas serosa percolata. Rectè itaque Hippocr. inquit, *vrinæ stillicidium recto intestino, & vtero inflammationem patiente, & renibus suppuratis aduenire.* In recto quidem intestino & vtero, per compatiendi rationem vesicâ patiente : in renibus autem purulentis, pure per vesicam euacuato. Hoc enim suâ acritudine mordens vesicam, excitat ad excretionem. In vteri autem, vel recti intestini inflammatione, vicinitatis ratione pati vesicam est necessa-

rium, vt quæ & intemperaturam participet & inflammationem, & præterea prematur atque anguſtetur à tumoribus præter naturam qui in illis exiſtunt. Dictum autem eſt à me priùs, quòd non ſimpliciter altera paſſio alteri ſuccedit, ſed iis quæ magnitudinem habent iuſtam. Sic igitur & hepate inflammationem patiente, ſingultus accidit, propter neruorum communicationem, non quidem ſemper, ſed quando ad maximam attollitur inflammationem.

LIX.

Γυνὴ ἢν μὴ λαμβάνῃ ἐν γαστρὶ, βούλῃ δὲ εἰδέναι εἰ λήψεται, περικαλύψας ἱματίοισι, θυμία κάτω. κἢν μὲν πορεύεσθαί σοι δοκέῃ ἡ ὀδμὴ διὰ τοῦ σώματος ἐς τὰς ῥῖνας καὶ ἐς τὸ στόμα, γίνωσκε ὅτι αὐτὴ οὐ δι᾽ ἑαυτὴν ἄγονός ἐστιν.

Si mulier non concipit, ſcire autem velis ſi conceptura ſit, pannis circumtectam infernè ſuffias: & ſi odor videatur per corpus ire ad nares & os, ſcito quòd ipſa non ex ſeipſa ſterilis eſt.

Verbum *ſuffias* materiam indicat quæ naturā habet vt ſuffiri poſſit, Thus videlicet & Myrrham, & Styracem, & quæcunq; alia calidam habēt tēperaturam, & ſunt valde odorata. Vult enim in totum ferri corpus ipſorum vim,

vim, vt cùm & os & nares attigerit, à muliere manifestè sentiatur. In iis igitur solis totum non peruadet corpus qualitas suffitorum, quibus durum est ac densum vteri corpus, cùm verò sit tale, non est aptum ad conceptionem, sicuti & paulo pòst ipse inquiet: *Quæcunque frigidos habent vteros & densos, non concipiunt.* Quod autem in fine aphorismi scribitur, *Scito quòd ipsa non ex se ipsa sterilis est*, indicat eius rei necessitatem. Sæpius enim, vt permaneat genus, ad quod pertinet vel dignitas sacerdotij, vel regni, student ciuitates, vt prolem habeant virorum seu mulierum, eorum in quibus solis genus consistit: deinde vbi mulieres non concipiunt, quæritur vtrius causa hoc accidat, vt facto diuortio mulieres concipiant, & hanc Plato *in Theæteto* innuit esse bonarum pronubarum artem. Totus autem sermo dicetur paulò pòst, quando omnes exponemus qui ad ipsum pertinent aphorismos.

L X.

ΗΝ γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ αἱ καθάρσιες πορεύωνται, ἀδύνατον τὸ ἔμβρυον ὑγιαίνειν.
Si mulieri vtero gerenti purgationes procedant, impossibile est fœtum esse sanum.

Verbum *purgationes*, numero plurali dictum, & *procedant*, quod ſequitur, oſtendunt non paucum excerni ſanguinem, neque ſemel, ſed ſæpius, & multum. Nam ſemel aut bis paucus excernitur ſæpius, abſque hoc quòd fœtus patiatur. Cùm verò nihil derelinquitur de multitudine purgationis menſtruorum, & ſeruat deinceps terminum circuituum per menſes, impoſſibile eſt fœtum eſſe ſanum: ſiquidem fortis fœtus, ad ſui alimentum abutitur illo, qui ex toto corpore ad vterum fertur. Verùm excretio quæ grauidis fit, videtur ex venis quæ in collo ſunt, exiſtere. Nam ab interioribus, quæ in cauitate vteri ſunt, loci pendent, quare nihil per illas poteſt in muliebrem ſinum excerni.

LXI.

ΗΝ γυναικὶ καθάρσιες μὴ πορεύωνται, μήτε φρίκης, μήτε πυρετοῦ ἐπιγινομένου, ἄσαι δὲ αὐτῇ προσπίπτωσιν, λογίζου ταύτην ἐν γαστρὶ ἔχειν.

Si mulieri ceſſent purgationes, neque febri, neque rigore ſuperueniente, & faſtidia cibi incidant: iudica ipſam in vtero habere.

De iis quæ legitimè purgantur mulieribus, & quibus repentè ſine cauſa manifeſta ſupprimuntur purgationes, ſermonem fecit:

fecit: docens nos ea quæ plurimæ mulieres ipsâ experientiâ didicerunt. Cùm enim fastidium cibi patiuntur, menstruis suppressis, tunc se concepisse coniiciunt. Fit autem fastidium cibi eâdem quâ pica ratione, læso ore ventriculi in mulieribus grauidis. Contingit autem & propter vitiosos humores totum corpus occupantes, tale aliquid accidere: verùm hoc cum horrore & febre patiuntur, & his distinguuntur à grauidis.

LXII.

Ὁκόσαι ψυχρὰς καὶ πυκνὰς τὰς μήτρας ἔχουσι, οὐ κυΐσκουσι· καὶ ὁκόσαι καθύγρους ἔχουσι τὰς μήτρας, οὐ κυΐσκουσιν, ἀποσβέννυται γὰρ αὐταῖς ὁ γόνος, καὶ ὁκόσαι ξηρὰς μᾶλλον καὶ περικαεῖς, ἐνδείῃ γὰρ τῆς τροφῆς φθείρεται τὸ σπέρμα. ὁκόσαι δὲ ἐξ ἀμφοτέρων τὴν κρᾶσιν ἔχουσι σύμμετρον, αἱ τοιαῦται ἐπίτεκνοι γίνονται.

Quacunque frigidos & spissos vteros habent, non concipiunt. Et quacunque prahumidos vteros habent, non concipiunt: extinguitur enim in eis genitura. Et quacunque siccos multum, & pracalidos: nam ex defectu alimenti corrumpitur semen. Quacunque verò ex vtrisque mediocrem habent temperaturam, ea facunda sunt.

Si mihi liceret omnibus aphorismis ordinem congruentem apponere, non essem

veritus paulò anteà dictum aphorismum in huius locum transferre : vt finito sermone de purgationibus, de ipsis vteris deinceps scriberetur, docente ipso quot modis mulieres steriles fiant. Primus igitur inter illos esset aphorismus in quo dixit : *Si mulier non concipit, scire autem velis si conceptura sit, pannis circumtectam infernè suffias.* Secundus autem hic præsens, cuius summa est, quòd bene temperati vteri ad conceptionem sunt idonei : malè autem temperati, si parum à bonitate recedunt, difficulter concipiunt : si verò nimiùm, mulieres steriles fiunt, ita vt simul etiam detur intelligi, vnde viri sint steriles : quod multos latet. Qui verò ea quæ dicta sunt, diligentiùs considerat : primùm quidem sciet, quam ob causam quidam viri omnino steriles sunt. Secundo autem loco postea de viris quidem ac mulieribus bonam habentibus temperaturam, quòd semper generabunt, etiamsi cùm malam habentibus coëant. De habentibus autem malam temperaturam, quòd cum solis iis qui contrariam habent, coëuntes, gignent. Priùs autem dicetur de mulieribus sterilibus, quarum vterus statim ab initio est malè temperatus, exuperante scilicet vel vnâ primarum qualitatum, vel duabus : quemadmodum

Mercur. corr. 1. var. lect. c. 6. sed immeritò.

modum in *commentariis de temperaturis* determinauimus, ostendentes octo esse numero omnes intemperaturas, simplices quidem quatuor, quarum nunc Hippocr. meminit, compositas autem alias quatuor, his simplicibus inuicem complicitis. Vbi igitur frigiditas immodica exuperat, adeò vt vterus spissior efficiatur, angusta quidem sunt supra modum ora vasorum, quæ ad ipsum pertingunt: mulieres verò steriles, cùm neque secundæ possint adnasci ad ora vasorum; neque si hoc fiat aliquando, possit bene nutriri conceptus. Vel enim nullo modo fiunt hisce mulieribus purgationes, vel omnino paucæ, & hæ ipsæ vitiosæ, solo tenuiore atque aquosiore sanguine perlabente. Sed & hæc quoque ora facilè obstruuntur, & propter natiuam angustiam, & quoniam magna ex parte hæ mulieres humorem aggregant pituitosum, siquidem corpus totum ferè est vtero simile. Contingit autem & maris semen in talibus vteris refrigerari, nisi sit naturâ calidissimum. De frigida itaque temperatura Hippocrates fecit primùm mentionem, inquiens: *Quæcunque frigidos & spissos vteros habent.* Non per Iouem volens simul coniungere in ipsis cum frigiditate densitatem, veluti si siccitatem, aut humidi-

tatem addidisset. Harum enim neutra semper consequitur frigiditatem, & properea ipsi modò vna, modò altera adiungitur. Densitas verò ex necessitate valde frigidos vteros comitatur, ob quam non possunt concipere, vt diximus. Quare ita sermonem totum huius aphorismi accipiamus: Quæcunque frigidos vteros habent, non concipient, propter substantiæ ipsorum spissitudinem. Cur verò spissitudo aduersetur conceptioni, dicere prætermisit, tanquam nobis potentibus intelligere. ***Et quæcumque vteros nimis humidos habent non concipient. Extinguitur enim genitura***, quemadmodum in terra palustri, cerealia semina. ***Et quæcunque siccos siue præcalidos habent vteros, propter defectum alimenti non concipient.*** Nam in siccis vteris tale quid accidit, quale vbi aut arenæ, aut argillosæ terræ, aut petrosæ mandantur semina. In habentibus autem immodicam caliditatem, quale vbi valde calidæ terræ semina cõmittuntur, quemadmodum in æstibus sub Cane contingit. Sic quidem quatuor qualitatũ Hippocrates meminit, singularum seorsum facultatem exponens: vt si quando inuicem misceantur, manifesta sit earum commistio. Post hæc autem inquit: ***Quæcunque verò ex vtrisque modicè tempe***

temperatæ sunt, fœcunditatem habent. Ex vtrisq; autem, non qualitatibus scilicet (sunt enim quatuor) sed ipsarum impositionibus. Sicuti enim dictum est *in libro de temperaturis*, vna quidem est bona temperatura, ex moderata calidi & frigidi cōmixtione: altera verò humidi & sicci, & fieri potest vt sit aliquis vterus secundùm vnam quidē oppositionem bene tēperatus, secundùm alteram verò malè. Sed ne mulier concipiat, potest vel altera efficere intemperatura. Mulierem verò esse fœcundam, sine ambabus bonis temperaturis, est impossibile. Hippocr. igitur, sicuti totum sermonem superiorem de mulieribus scripsit, sic etiam nuper habitum de vteri intēperaturis: nihil tamen adiecit de viris: vel quia prōptum nobis sit ex iis quæ dicta sunt, easdem intemperaturas ad semen transferre, vel quia distulit ad sequētia, sed posteà oblitus est. Quidam autem sequentem aphorismum de maribus adscripsêre, cuius est initium: *Similiter & in maribus.* Sed probatissimi aphorismorum expositores aiunt, ipsum & ab Hippocratis mente, & modo elocutionis, manifestè deficere. Et quidem secundum proportionem illorum, quæ de mulieribus scripsit, licet nobis ad viros transcendentibus dicere, quòd vel propter tēperaturæ fri-
 gidi

giditatem non bene ſemen concoquitur: atque ideò ſi mediocris quidem ſit intemperatura in ipſo, indiget vtero calido multum: ſi verò immodica ſit, omnino ſterile eſt: vel quòd propter humiditatem rurſus non concoquitur: & hoc etiam indiget, ſi modica ſit intemperatura, vtero calidiori ac ſicciori; ſi verò immodica, ſterile eſt. Eodem modo quòd propter excedentem calorem ſemen ſit toſto ſimile. Ob ſiccitatem verò, quòd vbi primùm excidit, neque extendi poteſt: quod maximè eſt neceſſarium, ſi mulier debeat concipere. Oſtenſum eſt enim in *ſermone de ſemine*, niſi per vteri cauitatem parte plurima ſemen extendatur, mulierem non concipere. His velut quibuſdam elementis à nobis adſtructis, deinceps dicamus id quod ab initio diſtulimus dicere, quòd etiam à Platone *in Theæteto* proponitur. Inquit enim & hoc eſſe maximum opus obſtetricum, ſcire coniungere inuicem corpora apta ad conceptionem (quod nunc in ſermone dictum eſt) & ſimul poſſe diſcernere qui viri ſint infœcundi, & quæ mulieres ſteriles. Nam immodicæ intemperaturæ, horum ſunt cauſæ, modicæ verò ſi ſint, & contrariis coniungantur, tunc concipient mulieres; ſi verò ſimilibus, non concipient. Neque enim

enim fieri poteſt,vt frigidum ſemen in vtero frigidiore ſit fertile, neque ſiccum in ſicciore, & aliorum vtrumque eodem modo: ſed indiget ſemen quidem frigidius,vtero tantò calidiore,quantò deficit ab optima temperatura:& humidius ſicciore : & in aliis eodem modo.Cognitio autem omnium immodicarum vteri intemperaturarum eſt quam paulò antè dixit Hippocrates, in ſuffitu qui fit per aromata. Frigiditas enim, ſpiſſitudinis ratione, non permittit vſque ad os & nares ferri aromatũ exhalationem. Eodem modo & ſiccitas. Humiditas verò,ſicuti ab ipſo dicta eſt extinguere genituram,ſic & aromatũ qualitatem. Reliqua eſt vehemens caliditas, ſiquidem eâ ratione quâ vincit aromatum facultatem, alterat,atque corrumpit,ac proptereà non permittit ipſa ſeruantia ſuam naturam ſinceram, ad os & nares ferri. Sufficiet autem in hiſce naturis ex ſuffitu aromatum cognitio. Si verò non poteſt hæc ſufficienter haberi, ex aliis indiciis nobis erit talis natura inueſtiganda, hoc ipſum cognoſcentibus, quòd rara admodum eſt huiuſcemodi temperatura in mulieribus, ſiquidem fœmina eſt mare frigidior. Vnde ob hoc, ea quam facit Hippocrates ex aromatum ſuffitu dignotio, in ſterilibus mulieribus

bus vtilissima est, vel quia omnis immodica intemperatura isti subiicitur, vel quia rarissimè vna ipsam subterfugit in mulieribus illis quæ tenues apparent, nigræ & hirtæ: ita vt ex his signis percipiatur earum immodica intemperatura, sine suffitu aromatum.

LXIII.

Παραπλησίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἀῤῥένων, ἢ γὰρ διὰ ἀραιότητα τοῦ σώματος τὸ πνεῦμα ἔξω φέρεται πρὸς τὸ μὴ παραπέμπειν τὸ σπέρμα, ἢ διὰ τὴν πυκνότητα τὸ ὑγρὸν οὐ διαχωρέει ἔξω, ἢ διὰ τὴν ψυχρότητα οὐκ ἐκπυρεᾶσθαι οὐδὲ ἀθροίζεσθαι πρὸς τὸν τόπον τοῦτον, ἢ διὰ τὴν θερμασίην τὸ αὐτὸ τοῦτο γίνεται.

Similiter autem & in maribus. Aut enim propter corporis raritatem spiritus extrà fertur, ita vt semen non transmittat ad os; vel propter spissitudinem humor non exit foras; vel propter frigiditatem non concalescit, itaque in eo loco concrescit; vel propter caliditatem hoc idem accidit.

Qui hunc interposuit aphorismum, ne proprias quidem voces intellexit. Nam cùm profiteretur, eundem de viris sermonem se facturum, sicut Hippocrates de mulieribus scripserat, non adimpleuit hoc.

Cùm

Cùm enim ille de quatuor intemperaturis fecisset mentionem, oportuit hunc etiam quatuor in maribus, vt nos fecimus, in medium adducere: verùm non sic iste, sed primùm quidem statim damnat corporis raritatem, quæ in mulieribus fuit prætermissa. Deinde, ne eius quidem sermo, si ipse seorsum diligentiùs examinetur, verus deprehendetur. Videntur siquidem viri multi habentes rarum corpus, semen tamen habere fœcundissimum, neque id mirum. Raritas siquidem corporis in calidioribus atque humidioribus prouenit temperaturis, quæ plurimò semine & fœcundissimo abundant. Nam & materiam habent ex qua semen generatur copiosum, & vim à qua concoquitur. Vasa autem seminaria suo robore expressum semen extrà iaculantur, nec spiritus est qui propellit, siquidem substantia spiritualis cum humore permiscetur seminis, quæ & ipsa indiget exprimentibus, sicuti & humor: qui tantum siccum superexcedit, quantò & celeriùs extrà eiicitur,& ad longius spatium defertur. Hæc igitur sunt ab eo ignorata,qui aphorismum adiecit, & prætereà cùm ait humorem propter spissitudinem non exire foras. Si enim alium humorem à semine dicit, sermo
delirus

delirus eſt. Si verò ait ſemen propter corporis totius ſpiſſitudinem non exire foràs, ignorat omnino quæ ſit ſtructura inſtrumentorum quæ ſeminaria vocantur:melius enim fuerat ipſorum cauſari anguſtiam. Et quidem id quod deinceps eſt dictum, vſque ad aliquid verum, non habet id quod ſequitur, intelligibile. Nam quòd propter temperaturæ frigiditatem ſémen non concaleſcat, ac proptereà ſit infœcundum, verum exiſtit. Quòd autem concreſcat in eo loco, ſuperfluò adiectum eſt, præter id quòd neque locus ab ipſo explicatur, ſed à nobis intelligendus relinquitur:& tamen id verbum: *hunc*, ad ea quæ priùs dicta ſunt, habet relationem. Sed hæc quidem parva ſunt: qui verò circa finem error, eſt magnus, cùm dicat propter ipſius caliditatem hoc idem euenire; nam manifeſtè ad illud quod antea dictum eſt,ſermo iſte refertur. Dictum autem anteà fuit, quòd propter frigiditatem non concaleſcat, itàque concreſcat in eo loco. Quare propter calorem oportet intelligere non concaleſcere,ſed concreſcere in vaſis ſeminariis ſemen.Hoc autem eſt apertè abſurdũ.Nam torreri aut aſſari,aut tale aliquid ſemẽ pati propter calorẽ,rationem habet;non concaleſcere autẽ eſt omnino perabſurdum.

Γάλη

LXIV.

ΓΑλα διδόναι κεφαλαλγέουσιν, κακόν. Κακὸν δὲ καὶ πυρεταίνουσι, καὶ οἷσιν ὑποχόνδρια μετέωρα διαβορβορίζονται, καὶ τοῖσι διψώδεσι. Κακὸν δὲ καὶ οἷσι χολώδεες αἱ διαχωρήσιες, ἐν τοῖσιν ὀξέσι πυρετοῖσιν ἐοῦσι, καὶ οἷσιν αἵματος πολλοῦ διαχώρησις γέγονεν. Ἁρμόζει δὲ τοῖσι φθινώδεσι μὴ λίην πολλῷ πυρέσσουσι διδόναι γάλα, καὶ ἐν πυρετοῖσι μακροῖσι καὶ βληχροῖσι, μηδενὸς τῶν προειρημένων σημείων παρεόντος, παρὰ λόγον δὲ ἐκτετηκόσι.

Lac dare caput dolentibus, malum. Malum verò & febricitantibus, & quibus hypochondria suspensa murmurant, & siticulosis: malum autem & quibus in febribus acutis biliosa sunt deiectiones, & quibus sanguinis multi deiectio facta est. Conuenit autem tabidis dare, qui non valdè multum febricitant, & in febribus longis, & paruis, si nullum ex supra dictis signis affuerit, & præter rationem consumptis.

Quòd lac facilè alteretur, & quòd duplicem habeat alterationem: quando in multo versatur calore, statim in nidorem abiens: quando autem pauco, citò acescens: tibi licet perdiscere, partim statim cùm ex mammis excidit, ad ignem elixanti: partim ipsum

iacere per seipsum permittenti. Nam dum coquitur, in nidorem fit abitio: neglecto autem, acor omnino aduenit, vel citiùs, vel tardiùs. Sic autem & in sanis, si non bene concoquatur, in quibusdam acescit, in quibusdam autem nidorem concipit: in ventriculo quidem frigidiore acescit, in calidiore verò nidorulentum euadit. Lac quidem quod bene concoquitur, nutrit & bonos facit humores: dum verò concoquitur, attollit hypochondria, & ferit caput. Hos effectus & passiones in sanis etiam videbis. Verùm quæ ægrotis accidunt, percurrit Hippocrates: quæ semper quidem experiri volentibus manifestantur: & possunt etiam ante experientiam cognosci. Vbi enim in iis qui integra sanitate fruuntur, videmus lac capiti dolorem afferre, & hypochondria inflare: non est difficile intelligere quòd iis qui iam caput dolent, vel suspensa habent hypochondria, sit inimicissimum. Rectè autem dicit hypochondria suspensa, licèt dicere potuerit inflata & flatuosa. Neque enim hæc sola lac potest offendere, sed & alia omnia quouis modo suspensa, propter aliquam talem, qualis est inflammatio, vel erysipelas, vel scirrhus, vel œdema, passionem. Adhuc autem magis si abscessus nondum sit in hypo-

chondrio

chondrio disruptus, lac iis est inutile. Hæc itaque omnia per vnum verbum ostendit Hippocrates, inquiens: *hypochondria suspensa*. Nocere autem ait & murmurantibus lac, quæ alia sunt ab inflatis & distentis, flatuosa tamen ac ventosa sunt hæc quoque. Maior autem offensio est hypochondriis distentis, minor verò murmurantibus: sed tamen neque his est vtile lac. Acescit enim in ipsis. Serum tamen lactis sale & melle condientes, plurimis talibus exhibuimus: & iuuantur citatâ ipsis aluo. Et sitientibus malum inquit lac esse. In nidorem enim abit in ipsis, siue naturâ sitierint, siue ex aliquo tempore sitis aduenerit. Et quidem quibus biliosa deiiciũtur, iis dicerem lac nidorulentum esse. Non minùs autem & iis qui talia euomunt. Nam in vniuersum didicimus, quòd celerrimè ab omnibus causis calidis lac in nidorẽ conuertitur. Rationabiliter itaque iis qui acutè febricitant nocet. Et mihi videtur sermo melius in hunc modum se habere, Malum autem & quibus biliosæ deiectiones; & acutis febribus. Neque enim vtrisque simul iunctis tantummodò noxium est lac, sed seorsum in alterutro. His igitur passionibus lac plurimùm aduersatur. Vtile autem est iis quæ sequũtur ab Hippocrate scripta in hunc modũ,

Conuenit autem tabidis non valde multum febricitantibus dare. Nam primùm de tabidis facit mentionem. Intelligendum autem est ipsum ita nominare illos, qui tabẽ ex vlcere pulmonis patiuntur; de cæteris autẽ marcidis deinceps dicit, verbis illis quorũ initium est, *Et in febribus paruis.* Commune autem in omnibus qui lacte indigent, quòd cibus bonum generans succum, & qui citò per venas distribuatur, illis est necessarius. Neque mirandum est, si lac dicimus bonum succum generare, cùm tamen quid habeat flatuosum. Nam in vniuersum, bonum succum generare dicimus, quæcunque post coctionem ad bonum humorem transmutantur, hoc est, ad sanguinem, hic enim humor est nobis amicus. Cur autem cùm dixisset, *Conuenit autem tabidis* adiecit, *Non valde multum febricitantibus*: mihi videtur dignum inuestigatione non paruâ, nam sufficiebat etiam sine *valde* dicere. Nunquid solis multum febricitantibus lac non exhibet: solis iis qui non valde multum febricitant, exhibens? an ab aliquo adiectum fuit verbum, *valde*, sicuti & pleraque alia? Hæc itaque quispiam per otium inquirat. Sciat autem à nobis addiscens, lac multùm febricitantibus dandum non esse. Miror autem, quomodo in illis quibus

bus lac dari iubet, aſcripſit, *ſi nullum ex ſupradictis ſignis affuerit*: quod fuit à breuitate aphoriſtica alienum. Id enim erat ex iis quæ priùs dixerat, cognitum, etiam hoc non adiecto, quòd dandum eſt tabidis, & præter rationem extenuatis lac, niſi caput doleat, aut hypochondrium intumuerit, aut bilioſæ ſint deiectiones, aut tale aliquid aliud ipſis adſit. An non ſimpliciter, neque ſemper ſeruare breuitatem videtur Hippocrates, ſed in quibus magnum aliquod periculum imminet, ſi negligentiùs quod ab ipſo docetur audiatur, in his bis térve repetere eadem non veretur.

LXV.

Ὁκόσοισιν οἰδήματα ἐφ' ἕλκεσι φαίνεται, οὐ μάλα σπῶνται, οὐδὲ μαίνονται. τουτέων δὲ ἀφανισθέντων ἐξαίφνης, τοῖσι μὲν ὄπισθεν σπασμοὶ, τέτανοι, τοῖσι δὲ ἔμπροσθεν μανίαι, ὀδύναι πλευροῦ ὀξεῖαι, ἢ ἐμπύησις, ἢ δυσεντερίη, ἢν ἐρυθρὰ ᾖ τὰ οἰδήματα.

Quibus tumores in vlceribus apparent, non admodum conuelluntur, neque inſaniunt: verùm his euaneſcentibus derepente, illis quidem quibus à tergo, conuulſiones & tetani fiunt; quibus autem à fronte, inſania, vel dolor lateris acutus, vel ſuppuratio, vel difficultas inteſtinorum, ſi tumores ſunt rubicundi.

Omnes præter naturam tumores Hippocrates *οἰδήματα* nominat: comprehensis videlicet etiam phlegmonis. Quanquam hoc ipsum nomen phlegmones apud veteres omnes magis de phlogosi dicebatur, etiamsi sine tumore consisteret. Quod igitur dicitur, tale est: *Quibus tumores vlceribus adueniunt, non admodum conu-lluntur, neque insaniunt.* Hoc autem indicio est, quòd nonnulli quidem ob ipsa conuelluntur & insaniunt: sed rarò hoc accidere, quando videlicet magnitudinem eximiam, vel malignitatem assumpserint. *Si verò tumores derepentè erubescant, conuulsiones ac tetani, quando in partibus posterioribus*, hoc est, in dorso *vlcera fuerint.* Quæ verò deinceps dicuntur, *si in partibus anterioribus fuerint*, consequi dicit. Posteriora siquidem neruosa sunt, anteriora venosa atque arteriosa. Quando igitur ab vlceratis partibus humor qui fecit tumorem, ad aliquam partem principalem se contulit, in partibus quidem neruosis posterioribus conuulsiones fient & tetani, (nam hæ sunt neruorum passiones) in anterioribus verò, insania, si feratur ad caput: lateris autem dolor, si ad thoracem humor conuertatur. Sæpius verò & hi suppurantur, si humor non dissoluatur. Difficultatem verò intestinorum

fore

fore inquit, si tumoribus rubētibus transmutatio repentè fiat. Illam quidem intestinorum difficultatem, sanguineam nominant, quæ est sanguinis euacuatio per intestina absque exulceratione. Quòd igitur si vel in dorso, vel in partibus anterioribus illi oppositis cōtigerit aliquando tumores derepentè euanescere, in tales ægri incidunt passiones, nos vidimus: non tamen ipse nobis Hippocrates manifestauit, si de his partibus solis loquatur, an simpliciter de omnibus; itavt etiam † membra extrema hoc sermone cōprehēdantur. In tibiis enim non sunt in partibus anterioribus musculi in chordas validas desinētes. In femore verò, in partibus genu anterioribus magnam videmus chordā: ob quam per compatiēdi rationem rationabile magis est fieri conuulsionem, quàm in aliquo musculorum, qui sunt in partibus femoris posterioribus. Sunt enim omnes carnosæ. Quare non verum videretur id quod vniuersaliter dicitur, quod in partibus tātùm posterioribus accidunt cōuulsiones. Videtur quidē magna ex parte id fieri, non in cruribus solis, sed etiā in manibus, fortè quoniam hæ partes omnes è directo sunt dorsalis medullæ. Nascuntur autē ab hac & membrorū extremorum nerui, & dorsalium musculorū.

† Κῶλα.

LXVI.

HN τραυμάτων ἰσχυρῶν ἐόντων καὶ πονηρῶν οἰδήματα μὴ φαίνηται, μέγα κακόν.

Si in vulneribus fortibus & prauis tumores non appareant, ingens malum.

Poteſt quidem & vltimo verbo aphoriſmi, malum,adiungi *ingens*:poteſt autem & priori parti aphoriſmi. Fiet enim ſermo talis, Vulneribus prauis exiſtentibus, ſi tumor ingens non appareat,malum. Poteſt etiam de vtroque verbum , ingens, communiter dici, ac ſi ita dixiſſet:Si vulneribus prauis exiſtentibus,tumor ingens non appareat,ingens eſt malum. Melior verò ex tribus ſermonibus meo iudicio eſt talis : Si vulneribus prauis exiſtentibus , tumor non appareat , malum eſt ingens. Dictum autem & antea eſt quod œdema generaliter dicitur de omnibus tumoribus præter naturam. Vulnera praua dici exiſtimandum eſt , quæ ſunt in capitibus aut finibus muſculorum , & maximè neruoſorum.Nam in capitibus muſculorum, muſculis nerui adnaſcuntur , ex finibus autem chordæ oriuntur. Sicuti igitur paulo priùs damnabat omnes tumores derepente euaneſcentes , ita nunc , cùm nullo modo adueniunt vulneribus prauis.Nam in his ſuſpicio eſt , quòd humores ad vulnera defluentes,

tes, ad partes principaliores transmutentur. Et hoc in illis præsertim fieri vulneribus est existimandum, in quibus adest quidem dolor, & propter ipsum omnino aliquid influit; à Medicis autem reprimitur valde, infrigidantibus aut adstringentibus medicamentis, sicut si dolor absit, neque fluxio mouetur. Maximè autem dolores patiuntur partes neruosæ, quæ medicinas calefacientes atque exiccantes desiderant.

LXVII.

TA' χαῦνα χρηστὰ, τὰ δὲ ἔνωμα, κακά.

Molles boni, crudi verò mali.

Hic sermo pars est antecedentis, docente Hippocrate omnes tumores quicunque molles sunt, bonos esse: contrarios verò prauos. Propriè autem molli opponitur durum atque renitens, Hippocrates verò crudum ipsum nominauit. Neque enim fieri potest vt sit tumor renitens, bene concoquente membri naturâ humores ad ipsum confluentes.

LXVIII.

TA' ὄπισθεν τῆς κεφαλῆς ὀδυνωμένῳ, ἡ ἐν μετώπῳ ὀρθὴ φλὲψ τμηθεῖσα, ὠφελέει.

Dolenti parte capitis posteriore, in fronte recta vena incisa prodest.

Non solùm studet Hippocrates vbi sit opus euacuare, sed etiam cum auersione. Auersio autem ad contraria fit; secundum longitudinem quidem suprà infráque, secundum latitudinem verò hinc & inde, hoc est, ad dextram & sinistram; secundum profunditatem verò, ad anteriora & posteriora. In doloribus itaque partis capitis posterioris, cum auersione euacuatio ex fronte fiet: sicuti & in anterioribus, ex occipite. Sic enim diuturnæ oculorum fluxiones sæpius sanatæ sunt, ex occipite, sanguine misso, vnà cum cucurbitulæ vsu.

LXIX.

ΡΙγεα ἄρχεται γυναιξὶ μὲν ἐξ ὀσφύος μᾶλλον, καὶ διὰ νώτου ἐς κεφαλήν· ἀτὰρ καὶ ἀνδράσι μᾶλλον ὄπισθεν ἢ ἔμπροσθεν τοῦ σώματος, οἷον ἀπό τε πηχέων καὶ μηρῶν. ἀτὰρ καὶ τὸ δέρμα ἀραιόν. δηλοῖ δὲ τοῦτο ἡ θρίξ.

Rigores incipiunt, mulieribus quidem ex lumbis magis, & per dorsum percurrunt ad caput, sed & viris parte corporis posteriore magis quàm anteriore, veluti ex femore & cubito. Sed & cutis rara: indicio autem est pilus.

Rigores omnes incipiunt quidem cum sensibili frigore: paratiores autē non solùm ad suscipiendam, sed etiam sentiendam frigidita

giditatem ſunt dorſi partes : quare non abſque ratione hinc rigores inchoant : & hoc citiùs euenit mulieribus, quoniam fœmina eſt naturâ frigidior atque imbecillior. Recurrit autem hinc rigor incipiens ad principium neruorum, ſcilicet caput, celerrimè factâ per ſpinalem medullam compaſſione: quoniam & ipſa naturâ frigida eſt, ſicuti & cerebrum, & propter ſubſtantiæ mollitiem ſimiliter facilè alterationem ſuſcipiens. Ex partibus autem anterioribus rigores non inchoant, quoniam calidiorem habent quàm partes poſteriores temperaturam, & horum argumentum ſumit ex cutis raritate : huius verò ipſius rurſus ex pilorum multitudine. Dictum autem à me eſt de generatione pilorum ſufficienter in *commentariis de temperaturis.*

LXX.

Οἱ ὑπὸ τεταρταίων ἁλισκόμενοι ὑπὸ σπασμοῦ οὐ πάνυ τι ἁλίσκονται. ἢν δὲ ἁλίσκωνται πρότερον, εἶτα ἐπιγένηται τεταρταῖος, παύονται.

A quartanis capti, non admodum à conuulſionibus capiuntur. Si verò priùs capiantur, & quartana ſuperuenerit, liberantur.

Quæ quidem fit ex euacuatione conuulſio, acutiſſima eſt & pernicioſiſſima: quæ

verò ex repletione partium neruoſarum, qualis in morbo comitiali,neque acutiſſima, neque ſimiliter periculoſa. Meminit autem Hippocrates nunc de tali conuulſione:nam verba *capti* & *capiuntur*, longitudinem temporis oſtendunt.Hanc itaque conuulſionem quartana non ſolùm prohibet fieri, verùm ſi fieri anticipauerit,ſoluit. Fit autem ab humoribus lenis ac pituitoſis,qui partibus neruoſis inſerti ſunt. Cùm verò horum humorum duplex ſanatio ſit, excretio ſcilicet & coctio, ambas habet quartana, excretionem quidem ex rigore; (hæc enim ſola agitatio ſufficiens eſt craſſum excernere humorem) coctionem verò, caloris febrilis ratione,qui rigorem conſequitur.

LXXI.

ΟΚόσοισι δέρματα περιτείνεται καρφαλέα καὶ σκληρὰ, ἄνευ ἱδρώτων τελευτῶσιν. ὁκόσοισι δὲ χαλαρὰ καὶ ἀραιὰ, σὺν ἱδρῶτι τελευτῶσιν.

Quibus cutes circuntenduntur aridæ & duræ,ſine ſudore moriuntur : quibus verò laxa & raræ, cum ſudore moriuntur.

Morituri, qui quidem ſqualidas, duras & ſiccas habent cutes, & extenſas, ſine ſudore moriuntur : quando verò contrario modo, laxas videlicet & molles & raras, cum ſudore moriuntur. Prioribus ſiquidem humiditas

miditas vel omnino deest, vel cuti:aliis verò inest & cuti.

LXXII.

Οἱ ἰκτεριώδεες οὐ πάνυ τι πνευματώδεες εἰσίν. *Qui regio morbo laborant, non multum v-ntosi sunt.*

Ventosos ab ipso nunc dici est existimandum illos,qui in ventre colligunt multitudinem venti flatuosi, qui vel per ructus vel flatus excernitur, vel remanet,& extendit quæ inibi sunt. Fit autem hoc nonnunquam quidem ob debilitatem, & partium ad ventrem attinentium imbecillitatem, nonnunquam verò ex pituitoso & frigido humore. Hi itaque qui propter pituitosum humorem ventosi sunt, contrarij sunt regio morbo laborantibus,vtpote biliosis. Quare hi nunquam ex humoris exuperantis natura ventosi fierent. Contingit autem ipsos ob partium imbecillitatem fieri aliquando ventosos.Quare sermoni adiecit, *Non admodum*, perpetuitatem pronunciato adimens, ostendens autem maiori ex parte quod priùs dixerat fieri.Neque enim admodum inuenire contingit regio morbo laborantes, habere partium ad ventrem attinentium imbecillitatem.

Τμῆμα

Τμῆμα ἕκτον.

GALENI IN APHORISMOS Hippocratis,

COMMENTARIORVM

LIBER SEXTVS.

APHOR. I.

EN τῇσι χρονίῃσι λειεντερίῃσιν ὀξυρεγμίη ἐπιγινομένη, μὴ γινομένη πρότερον, σημεῖον ἀγαθόν.

In longis leuitatibus intestinorum, si ructus acidus superueniat, qui priùs non erat, signum bonum.

Læuitas intestinorum est velox exitus eorum quæ comeduntur atque bibuntur: quæ talia deiiciuntur, qualia fuêre deuorata. Si quis verò vellet breuiorem afferre definitionem, diceret esse carentiam coctionis, cùm neque secundum consistentiam, neque secundum colorem, vel odorem, vel vllam omnino qualitatem, in ventriculo facta fuerit mutatio

tio ciborum. Tale autem nomen hæc paſſio ſortita eſt, exiſtimantibus illis qui priùs talem ei indiderunt appellationem, fieri ipſam propter intrinſecæ ſuperficiei inteſtinorum læuitatem, ob quam cibos in eis contentos non ampliùs retinent, vt, cùm ſuam ſeruarent ſibi à natura inditam aſperitatem, retinebāt. In pluribus itaque aliis, qui primi nomina rebus impoſuêre, ſunt collaudandi: non tamen in læuitate inteſtinorum eos accepto, qui ignorauerint quòd ipſius ventriculi proprium eſt cibos amplecti, ac ſe circumſtringendo, certo tempore retinere, & poſtea ad inferiora demittere. Et ſicuti in veſica fit vrinæ ſtillicidium, non expectante vt illa colligatur, ſed ſtatim tanquam mordentem aut aggrauantem expellente: ſic & in ventriculo velotes exitus. Hæ enim ſunt communes omnium excretionum cauſæ: quas ſi illi ſciuiſſent, qui primi hanc paſſionem læuitatem inteſtinorum nominarunt, talem de læuitate opinionem abieciſſent, & vice eius, totius ventriculi atque inteſtinorum imbecillitatem in cauſa poſuiſſent, ob quam hæ partes corporis grauatæ à cibis aſſumptis, ipſos confeſtim excernunt. Fieri autem poteſt etiam aliquando, vt à quorundam humorum mordacitate in

ſuperficie

ſuperficie exulceratis fiat hęc paſſio, et ſi ipſæ vires non multum patiantur: tunc enim erit neceſſarium, vt permeantibus cibis, partes exulceratæ dolorem ſentiãt, atque ideò illos deorſum propellant, atque à ſeipſis citiſſimè emittant: hoc autem in omnibus partibus facto, velocitas exitus ſubſequetur, & nullum fiet initium coctionis. Verùm tali inteſtinorum læuitati cuiuſdam morſus inerit ſenſus. In illa verò quæ accidit propter ventriculi atque inteſtinorum imbecillitatem, abſque vllo doloris ſenſu fient deiectiones. Differt autem hæc non parum ab altera lienteria. Quæ enim fit, humorum acritudine totius ventriculi atque inteſtinorum abrasâ ſuperficie, ceſſante humorum malignitate, ſtatim ſanatur cibis ac potibus qui vim denſandi habent. Quòd ſi longiori tempôre perſeueret, in alteram paſſionem quæ dyſenteria, id eſt, difficultas inteſtinorum nominatur, trãſmutatur. Quæ autem potentiæ retentiuæ ſequitur imbecillitatem, omnino quidem fit ex intemperatura, ſed vel ipſorum corporum quæ iam habitum quendam non facilem ſolui contraxerunt, eſt diſpoſitio; vel propter humorem aliquem, qui in ventriculo atque inteſtinis continetur, euenit, ex quibus humoribus vnus eſt pituita. Vnde & acidos ru-

ctus,

ctus, qui tali passione laborant, habent, quos Græci ὀξυρεγμίας nominant, qui sine aliqua pituita quandoque in ventriculo frigidiore fiunt, & quibus læuitates intestinorũ ex frigiditate ortum habent, eos etiam inuadunt acidi ructus, sed progressu temporis cessant. Nam ab initio paruo quodam tempore cibi in ventriculo retinentur, procedente autem atque auctâ passione, ne hoc quidẽ. In quibus igitur paruo remanent tempore, fit quoddam veluti initium coctionis, & propter hoc non sortitur effectum. Nos verò didicimus, imperfectas coctiones ex frigiditate prouenientes, ructus acidos facere. In quibus autem cibi nullum habent coctionis initium, ita neque vlla ab initio fit secundum qualitatem mutatio; itaque neque ructus acidi, nisi pituita præsertim acida in ventriculo abundet. Propterea Hippocrates non simpliciter dixit bonũ esse signum acidos ructus in læuitatibus intestinorum, sed primùm quidem *in longis* adiecit: quasi cum incipientibus, vt dictum est, sæpius vnà eueniant: deinde *vbi priùs non fuerint*, inquit. Quæcunque enim à pituita vẽtriculum refrigerante fiunt læuitates intestinorum, semper cum ipsis sunt acidi ructus, velut symptoma quoddam. Illis igitur quæ neque adhuc incipiunt, neque ex pituita fiunt, non insunt acidi ructus;

quòd si aliquando fiant, significant tantisper cibum in ventriculo retineri, donec principium mutationis accipiat, & naturam suorum operum reminisci. Et iam, vt arbitror, satis implesse videor expositoris officium. Si quis verò eorum quæ dicta sunt, vult capita omnia scientificè discere: in *tractatu* qui *de potentiis naturalibus* inscriptus est, non paucas habet de ventriculi viribus demonstrationes: in causis autem accidentium, de omnibus quæ velociter excernuntur. Quoniam verò Erasistratus in *secundo de ventriculo* mentitus est de Medicis se ætate superioribus, turbauit autem atque confudit intestinorũ læuitatis notionem: melius mihi visum est hæc etiam superaddere, & primùm ipsius Erasistrati verba subscribere, quæ ita se habent: *De ea qua lauitas intestinorum nominatur, est dicendum: quam priores Medici in tres partes diuiserunt, in difficultatem intestinorum, in lauitatem intestinorum, & tenesmum, & quidem in iis qua excernuntur differentias considerantes passionis, atque dicentes. Quando enim sanguinolenta atque mucosa exeunt, qua à ventriculo fuére concocta, tunc difficultatem intestinorum nominabant. Si verò exeuntia sunt cruda, mixta autem sanguinolentis atque mucosis, lauitatem*

tem intestinorum vocabant. Cùm verò biliosa mixta cum sanguinolentis atque mucosis excernuntur, tenesmum, passionem appellabant. Hæc igitur Erasistratus inquit, nescio quâ ductus opinione, adiiciens crudis excrementis mucosa ac sanguinolenta. Hoc enim nullus apposuit, neque eorum qui eius ætate claruerunt Medicorum, veluti Philotimus, Herophilus, Eudemus, neque eorum qui posteriores fuerunt, vsque ad Archigenis sectatores: ac ne quidem quos ipse citat, Medici superiores, hoc est, Erasistrato seniores: Diocles siquidem in *libro de curatione causæ passionis*, scribit in hunc modum: *Tertia fit magna ex parte ex difficultate intestinorum. Vocatur autem læuitas intestinorum, ad quam sequitur deiectio humida ac spumosa, & cruda, & multa, & cita post cibum assumptum, ac potum.* Praxagoras autem *in secundo de assidentibus*, inquit: *Intestinorum læuitate laborantibus, quoniam lubricum est intestinum, ieiunum præsertim, necesse est citò ciborum fieri deiectiones.* Post hæc deinceps, quòd *necessarium* sit *citò exeuntia esse omnino cruda*, Praxagoras scribit, maximam quidem passionis proprietatem in cita ponens deiectione: quòd verò cibi omnino incocti permaneant, hoc vnum

faciens ex iis quæ necessariò consequuntur. Neque enim quia omnino incocti permanent cibi, ideò citò deiiciuntur: sed quia citò deiiciuntur, idcirco nullam habent coctionem. Atque ideò nos, & alij Medici plurimi, citam ciborum nullam habentium coctionem deiectionem, dicimus esse læuitatem intestinorum. Sic etiam de ipsa videntur sentire & alij Medici antiqui. Nam & in *lib. de passionibus*, Hippocratis, siue eius sit is liber, siue Polybi eius discipuli, hæc de læuitate intestinorum scripta inueniuntur: *Cibi deiiciuntur imputridi, humidi, absque dolore, corpus autem extenuatur.* Liquet verò fuisse morem antiquum istorum virorum, vocare imputrida, quæ nos incocta nominamus. In *libro* autem *de victu salubri*, qui etiam & ipse Hippocrati adscribitur (licèt qui adulterinum censent, nonnulli ad Aristonem, nonnulli ad Philistonem, quidam ad † Phestam referant) scribuntur hæc verba: *Patiuntur nonnulli talia, cibus eis deiicitur humidus, incoctus, non propter morbum, veluti læuitatem intestinorum: neque aliquem ipsis affert dolorem* Hi quidem viri omnes Erasistrato fuerunt seniores. Mille autẽ alij, quos dixi qui omnes Erasistrati ætate & posteà viguerunt, in eandem sententiam de intestinorum

† *Pherecidem.*

rum

rum læuitate ſcripſerunt. Quare neſcio quâ causâ ductus de priſcis hominibus mentiatur, illos inquiens arbitrari in læuitatibus inteſtinorum ſanguinolenta atque mucoſa cibis incoctis commiſceri.

II.

Οἷσι ῥῖνες ὑγρότεραι φύσει, καὶ ἡ γονὴ ὑγροτέρη, ὑγιαίνουσι νοσηρότερον. οἷσι δὲ τἀναντία, ὑγιεινότερον.

Quibus nares naturâ humidiores, & genitura humidior, minùs integrâ ſanitate fruuntur: quibus verò contraria, ſalubriùs degunt.

In ſiccioribus naturâ temperaturis nulla omnino ſuperfluitas manifeſta, neque ſenſibilis per nares effluit ex cerebro, ſicuti neque per cutem ſudor: ſed illa quæ à Medicis difflatio occulta nominatur, excrementa extenuata per modum vaporis euacuat. Humidioribus verò naturis ſenſibiles fiunt ſuperfluitates, præſertim cerebri, quoniam eſt naturâ frigidius. His verò eiſdem genituram, hoc eſt, ſemen ipſum, ait eſſe humidiorem: ſicuti in ſiccioribus, aquosâ humiditate conſumptâ, craſſius ac ſiccius eſt ſemen. Eos igitur qui ſunt humidiores, ſiue ſecundum cerebrum tantùm, ſiue corpus vniuerſum, non contingit ſalubrem vitam omnis expertem

noxæ traducere,verùm continuò deſtillationibus ex parua occaſione capiuntur: & ſi ſuperfluitas eis ad inferiora per palatum deſcendat,partes ſubiectæ offenduntur, fauces, guttur,aſpera arteria, pulmo, gula,ventriculus. Tuſſes itaque in ipſis fieri, & difficiles anhelitus,& anginas cruditatéſque & ventris profluuia eſt neceſſarium,nonnunquam verò & difficultates inteſtinorum, quando quod deſtillat,ſalſum quodammodo fuerit. Dixit autem & ipſe de his in *libro de aquis,aëre & locis*,ſicuti & in *libris de morbis ac paſſionibus*.

III.

ΕΝ τῇσι μακρῇσι δυσεντερίῃσιν αἱ ἀποσιτίαι, κακὸν, καὶ σὺν πυρετῷ κάκιον.

In longis difficultatibus inteſtinorum, cibi faſtidium malum,& cum febre peius.

Difficultates inteſtinorum fiunt quidem ex humoribus acribus:ſunt autem inteſtinorum exulcerationes primùm quidem ſummâ ſuperficie abraſâ, progreſſu autem temporis profundiora omnino habēt & putrida vlcera: quo maximè tempore etiam ventriculus ipſis compatiens,non bene concoquit: quâ offenſione magis ac magis ad ſuperiora perueniente, quando os ventriculi vnà afficitur,

citur, ſunt cibum faſtidientes, hoc eſt, inappetentes. Sunt quidem & ab initio nonnunquam cibum faſtidientes, propter malos humores fluentes ab hepate, à quibus diximus abradi inteſtina, præſertim cùm hi amaræ bilis naturam habuerint. Nam pars eorum ſuperfluitans, ad os ventriculi effertur. In longis verò difficultatibus inteſtinorum cùm hic caſus euenerit, mortem quandam ipſi aduenisſe ventriculo compatiendi ratione ſignificat, in qua omnino interiit appetentia, opus ad vitam neceſſarium. Si verò vnà cum inappetentia febris adueniat difficultati inteſtinoram, duorum alterum eſt, vel putredo aliqua circa vlcera, vel magna inflammatio; atque ita, vt dictum eſt, toto patiente ventriculo, ægri ſe habent exitialiter.

IV.

TA' περιμάδηρα ἕλκεα κακοήθεα.
Vlcera circumglabra praua ſunt.

Quando videris pilos defluentes à circumiacentibus vlceri locis, vel cutem ſquamulas è ſumma parte dimittere: ſcito iis qui ita ſe habent prauos humores ad partem confluere, qui vlcus erodunt. Cùm enim radices pilorum corrumpant: non permittunt loca vlcerata ad cicatricem peruenire.

V.

τ μέλεσι.

ΤΩν ὀδυνέων καὶ ἐν πλευρῇσι, καὶ ἐν τοῖσι στήθεσι, καὶ ἐν τοῖσιν ἄλλοισιν ἢν μέγα διαφέρωσι, καταμαθητέον.

Dolores laterum, pectoris, & aliarum partium si multum differant, sunt considerandi.

Considerare oportet non modò locum dolẽtem, qualisnam sit, sed & magnitudinem doloris in eo, quanta sit. Hoc autem confert & ad loci patientis dignotionem, & ad præcognitionem eorum quæ circa ægrum futura sunt, & præterea ad curationis inuentionem. Vt si in lateribus magnus fuerit dolor, primùm, hic esse non potest quin membrana, quæ succingens nominatur, patiatur: secundò autem neque absque periculo est: deinde & maiore indiget curatione: siquidem ad clauiculam dolor pertingat, venæ sectione: si verò ad hypochondria, purgatione: quemadmodum ipse in *libro de victu acutorum* edocuit. Si verò mediocris fuerit dolor, & præterea non pungat, vt qui in membrana succingente est, neque ad clauiculam pertingat aut hypochondria, potest carnosi costarum partibus patientibus fieri, atque adeò neque magno auxilio indigere. Sic & in singulis aliis partibus doloris magnitudo est

consid[e]

conſideranda: veluti ſi renum pars carnoſa patiatur inflammationem, dolor eſt grauis: quemadmodum ipſe inquit in *Epidemiis*, ita illum nominans, qui veluti cuiuſdam ponderis loco incumbentis inuehit ſenſum. Aliis verò partibus quæ ſunt in rene patientibus, dolor ſentitur acutus. Appello autem alias partes, tunicam hunc obtegentem, & ventrem eius interiorem, & eas quæ ad hunc terminantur arterias ac venas, ac præterea productiones vaſorum vrinariorum. Sic ſe habet res etiam in hepate. Nam eius parte carnoſa inflammationem patiente, grauis fit dolor: Tunicâ verò circumductâ vel vaſis, acutus: & ipſius doloris acuti quantitas maior aut minor, cauſæ facientis affert indicium: humor ſiquidem bilioſus & acris dolorem auget, ſicut & ſpiritus flatuoſus non habens exitum: hebetat autem pituitoſus. Non ſolùm autem magnitudo qualitatis aliquod nobis dat doloris indicium, ſed etiam quantitatis. Augetur enim cuiuſlibet cauſæ efficientis opus, eius auctâ ſubſtantiâ. Si itaque vniuſcuiuſque doloris volés à nobis magnitudinem conſiderari, hunc aphoriſmum ſcripſit Hippocrates, ſufficienter ipſius vſum expoſuimus. Si verò non ſolùm magnitudinem dolorum dicit fore conſiderandam, ſed ge-

neralius quiddã ac veluti vniuersalius ostendit, consulens nobis omnes effatu dignas dolorum differentias inspicere: maiorem adhuc ex eo fructum vtilitatis percipiemus. Fiet enim huiuscemodi sermo: Non simpliciter partium dolorem considerare oportet: neque arbitrandum eandem esse in omnibus dispositionem: veluti si priùs quidem Dion, postea verò Theon costam doluerit: non eodem modo vtrumque se habere existimandum, sed considerare oportet, nunquid maximè inuicem in dolore differant, an quodammodo similes existant. Fit autem hoc ex duobus perspicuum, ex doloris specie, & ex vehementia. Ex specie quidem, si pungenti similis, vel tendenti, vel torporem inducenti, vel grauanti, vel lancinanti, aut rodenti, aut vulneranti, vel continuus, vel cum intermissione, vel æqualis, vel inæqualis fuerit. Secundum autem vehementiam, quis sit maior aut minor, aduertendum: quæ paulò antea secundum magnitudinem differentia in doloribus dicebatur. Consueuére siquidem Medici verbo abutentes, omne vehementius maius nominare, siue sit secundum qualitatem, siue secundum quantitatem. Quare neque cessant febrem magnã, vel paruam, vel mediocrẽ omnes nominare,

quæ

quæ ſuam habet in caliditate ſubſtantiam. Quare nihil mirandum, ſi & dolorem vehementiorem, maiorem appellant. Adhuc autem eſt minùs dignum admiratione, ſi quæcunque inuicem diſtant ſpeciebus, aiunt magnum habere diſcrimen: veluti dolorem qui ponderis cuiuſdam ſimilitudinem gerit, ab eo qui videtur ferire, vel aliquod aliud facere ex iis quæ antea diximus.

V I.

TA' νεφριτικὰ καὶ ὁκόσα κατὰ τὴν κύστιν ἀλγήματα, ἐργωδῶς ὑγιάζεται τοῖσι πρεσβύτῃσι.

Renum & veſica vitia in ſenioribus difficulter ſanantur.

In ſenibus vix, inquit, ſanantur, hoc eſt, multo negotio ac longo tempore, quæ in renibus ac veſica ſunt vitia: quoniam earum opus indeſinens eſt, quiete autem opus eſt ſi quid ſanari debeat: & quia excrementum acre exacerbare natum eſt, ſiue vlcus, ſiue inflammatio, ſiue aliqua alia paſſio in ipſis conſtiterit. Multò autem difficiliùs ſanantur in ſenibus veſicæ paſſiones: quoniam & omnes alij morbi, præcipuè longi. Tales enim ipſe ſuperiùs dixit commori.

VII.

TA' ἀλγήματα τὰ κτ̄ τὴν κοιλίην γινόμενα, τὰ μὲν μετέωρα, κουφότερα. τὰ δὲ μὴ μετέωρα ἰσχυρότερα.

Dolores ventris sublimes, leuiores: qui verò non sublimes, fortiores.

Sublimes nunc intelligendi sunt non secundum longitudinem corporis, sed profunditatem. Circumscribit autem illos in ventris regione peritonæum, adeò vt quicunque supra hoc fiunt, sublimes vocentur: qui verò infrà, hoc est, in ipsis intestinis atque ventriculo & in profundo, non sublimes dicantur. Liquet autem quòd tales meritò dixit esse fortiores.

VIII.

TOῖσιν ὑδρωπικοῖσι τὰ γινόμενα ἕλκεα ἐν τῷ σώματι οὐ ῥηιδίως ὑγιάζεται.

Aquâ intercutem laborantibus, vlcera in corpore facta difficulter sanantur.

Docuit ipse in *libro de vlceribus*, non priùs ad cicatricem perduci vlcera, quàm omnino exiccentur: hoc autem non facilè fit in hydropibus, ob humiditatis immoderantiam.

IX.

TA' πλατέα ἐξανθήματα οὐ πάνυ τι κνησμώδεα.

Lata

Latæ pustulæ non admodum pruriunt.

Sicuti tubercula omnia duplicem habent differentiam, quoniam quædam tendunt in acumen, & altum petunt: quædam ad maiorem extenduntur locum, non tamen in altum attolluntur: sic & pustulæ nonnullæ sublimes, nonnullæ latæ fiunt. Sublimiores autem pustulæ atque tubercula à calidiore humore generantur, humiliores autem à frigidiore. Quare ob duplicem caussam latæ pustulæ non admodum pruriunt. Difflantur enim in latitudinem extensæ, & facientem ipsas humorem minùs acrem habent.

X.

Κεφαλὴν πονέοντι καὶ περιωδυνέοντι, πύον ἢ ὕδωρ ἢ αἷμα ῥυὲν κατὰ τὰς ῥῖνας, ἢ κατὰ τὸ στόμα, ἢ κατὰ τὰ ὦτα, λύει τὸ νόσημα.

Caput dolenti, & vehementer laboranti, pus, vel aqua, vel sanguis effluens per nares, aut os, aut aures, morbum soluit.

Plura etiam alia sic visus est Hippocrates dicere: quibus nisi quis animum aduerterit, videbitur quod ab ipso dicitur, solum ad curationem passionis proficere, ad aliud verò nihil. Verùm ipse non hoc tantùm dicit, sed simpliciter quòd pus, vel aqua effluens per nares vel aures, morbum soluit. Quod siquidem

dem ordine inuerſo protuliſſet, quemadmodum ego nunc, ſermo foret irreprehenſibilis. Quando vel propter inflammationem, vel humorum crudorum multitudinem in capite aceruatorum fieri dolorem contigerit, tunc inflammatione ſuppuratâ, aut humore excreto, ſolutio fit morbi. Si verò propter ſpiritum flatuoſum, aut ſanguinis multitudinem, aut bilem mordacem, aut omnino ex intemperatura dolor acciderit, per alia ſanabitur.

XI.

Τοῖσι μελαγχολικοῖσι, καὶ τοῖσι νεφριτικοῖσιν, αἱμοῤῥοΐδες ἐπιγινόμεναι, ἀγαθόν.

Melancholiâ & nephritide laborantibus hæmorrhoides ſuperuenientes, bonum.

Non ſolùm ratione euacuationis hæmorrhoides ſanant huiuſcemodi paſſiones, ſed & ipſa qualitate humoris euacuati. Hæ etenim ſanguinem craſſum conſueuerunt euacuare, humore plenum melancholico, talem habente in ſanguine conſiſtentiam, qualis eſt in vinis fæx: quare nihil mirum ſi melancholiæ & renum paſſionibus conferunt hæmorrhoides, vtpote quæ velut fæcem ſanguinis vacuare ſunt natæ.

XII.

Αἱμοῤῥοΐδας ἰηθέντι χρονίας, ἢν μὴ μία φυλαχθῇ, κίνδυνος ὕδρωπα ἐπιγενέσθαι, ἢ φθίσιν.

A diuturnis sanato hæmorrhoidibus, si vna non seruatur periculum est aquam inter cutem vel tabem aduenire.

Hæmorrhoidas fieri impossibile absque hoc, quòd propter multitudinem & crassitudinem sanguinis, ora quarundam venarum aperiantur, hepate ad ipsas reponēte fæcem, & quandoque sanguinem melancholicum. Si quis igitur ei hoc intercludat iter, vnà & duritiem in hepate facit, & simul multitudine grauans ac crassitudine, calorem in ipso natiuum extinguit: cùm tale quid accidat, quale in flammis exterioribus, in quibus multa ligna superingesta strangulant ignem atque extinguunt. Si igitur à natiuo calore generatur sanguis, clarum est quòd ipso extincto non generabitur ampliùs. Aqua verò inter cutem fit, cùm sanguinis generatio frustratur. Si verò aliquando possit hepar propellere multitudinem ad venas pulmonis, hi vase aliquo rupto tabidi fiunt. Non frustra igitur consulit, vnā saltem seruare hæmorrhoidem, vt per hanc euacuetur fæculenta ac vitiosa materia hepatis, præsertim in quibus solita est tempore longo per tales venas excerni.

Ὑπὸ

XIII.

ΥΠὸ λυγμοῦ ἐχομένῳ. πταρμοὶ ἐπιγενόμενοι λύουσι τὸν λυγμόν.

A singultu correptum, sternutatio superueniens liberat.

Author est ipse, sicuti conuulsionem, ita & singultum, vel ex inanitione, vel plenitudine fieri. Quando igitur à plenitudine fit, (magna autem ex parte ita fit) violento opus est motu, vt veluti concussæ ipsum efficientes humiditates difflentur atque euacuentur, hoc autem facit sternutatio. Eos verò, qui ex inanitione fiunt, qui sunt rariores, non sanat sternutatio. Quòd verò ex plenitudine singultus iugiter fiat, indicant pueri crebrò singultientes, cùm sunt multum repleti. Rigor autem & frigiditas, quia omnia neruosa corpora efficiunt ad difflandum difficilia, sunt causa vt hæc repleantur, atque ideò singultus inde existit.

XIV.

ΥΠὸ ὕδρωπος ἐχομένῳ, ὕδατος κατὰ τὰς φλέβας ἐς τὴν κοιλίην ὕδατος ῥυέντος, λύσις.

Hydrope correpto, si aqua è venis in ventrem defluxerit, soluitur.

Hoc exemplum est vnum earum quæ sponte fiunt & vtiliter euacuationum. Spon-

taneum

taneum autem dicimus non quod ſine cauſa ſit, ſed quod ſine cauſa noſtra ſit. Quando enim data à nobis medicina aquam trahente, talis ſit euacuatio, nequaquam hanc ſpontaneam nominamus.

XV.

YΠὸ διαῤῥοίης ἐχομένῳ μακρῆς, ἀπὸ ταυτομάτου ἔμετος ἐπιγενόμενος λύει τὴν διαῤῥοίην.

Longo alui profluuio laboranti, ſpontaneus vomitus ſuperueniens, morbum ſoluit.

Et hoc pariter exemplum vnum eſt eorum quæ rectè fiunt à natura, quod Medicum imitari oportet. Auxilium autem reuulſionis ratione conſtat.

XVI.

YΠὸ πλευρίτιδος ἢ ὑπὸ περιπνευμονίης ἐχομένῳ, διαῤῥοίη ἐπιγενομένη κακόν.

Pleuritide & peripneumoniâ correpto, alui profluuium adueniens, malum.

Cùm partes aliquæ patiuntur, non ſimpliciter aliæ compati ſunt naturâ aptæ, ſed cùm forti paſſione detinentur. Secundum hoc igitur, & hepate fortiter patiente, ſingultus ſuperuenit, compatiente ſtomacho: tuſſis autem, & difficilis anhelitus, compatiẽtibus iis quæ reſpirationi obſeruiunt inſtrumentis.

Sic

Sic etiam instrumentis respiratoriis magnopere laborantibus hepar compatitur, & hoc ipsum manifestè ostendit Hippocrates, cùm non simpliciter dixerit, In morbo laterali vel pulmonia aluum turbatam esse malũ signum, sed adiecerit, *correpto*, ac si dixisset, detento atque vexato homini à talibus passionibus profluuium alui superueniens malum esse signum, quoniam ita se habentibus profluuium alui solet aduenire,non potente hepate ad se trahere alimentum, neque conuertere in sanguinem, & quandoque ventriculo idem alimentum corrumpente. In mediocri autem morbo laterali atque pulmonia profluuium alui superueniens potest prodesse,ratione euacuationis,& magis cùm signa coctionis apparuerint inesse passionibus, neque adest timor, sed morbus est citra periculum. Communiter autem & in his & in omnibus aliis quæcunque eodem modo dicuntur,illud meminisse oportet,quòd nullus alius extemporaneus & manifestus casus superuenerit, veluti & nunc vt alui profluuiũ non ex cibo aut potu aliquo, sed morbi ratione contingat.Nam si alia ex causa,& non vi morbi fiat, non potest eius morem significare: siquidem oportet signum cum re significata aliquatenus esse coniunctum.

XVII.

Ὀφθαλμιῶντι ὑπὸ διαῤῥοίης ληφθῆναι, ἀγαθόν.

Lippientem alui profluuio corripi, bonum.

Hoc non dicitur ab eo tanquam bonum lippientium signum, sed tanquam causa: quia humorum abundantia simul euacuatur, atque ad inferiora retrahitur. Est autem & hoc apud ipsum exemplum vnum eorum quæ sponte & vtiliter euacuantur, quod Medicum imitari oportet: videlicet, & ita omnes faciunt in lippitudinibus, aluum & clysteribus & purgationibus subducentes.

XVIII.

Κύστιν διακοπέντι, ἢ ἐγκέφαλον, ἢ καρδίην, ἢ φρένας ἢ τῶν ἐντέρων τι τῶν λεπτῶν, ἢ κοιλίην, ἢ ἧπαρ, θανατῶδες.

Vesicâ discissâ, aut cerebro, aut corde, aut præcordiis, aut aliquo ex tenuioribus intestinis, aut ventriculo, aut iecore, lethale est.

Hoc verbum *lethale*, sæpius dixit in aliis, & in hoc ipso libro, de iis qui ex necessitate sunt morituri, sæpius autem & de iis qui magna ex parte. Quare neque nunc est manifestum, si omnino secuturam mortem, discissis his partibus, velit ostendere, vel in quibusdam rarò hominem seruari contingat. Quòd

igitur cor vulneratum mortem afferat n
cessariò, vnum ex iis est quæ in confesso h
bentur: non tamen in aliis æquè recipit
vulnus quodcunq; mortem afferre ineui
bilem, sed illud quod magnum est atq; pr
fundum: quod rationabile est à verbo *disc*
sa, significari, vt tota vesicæ tunica diu
vsque ad spatium interius intelligatur: atq
in singulis aliis eodem modo. In vesica q
dē confessum est tale vulnus non coalesce
sicuti & in parte præcordiorum neruosa
in tenuibus intestinis. In ventriculo aut
dubitatur. Nam quosdam in eo vulnera
dicunt aliquando, sed rarò fuisse sanat
Hepatis autem non solùm profundum v
nùs in fibris eius factum, sed etiam fibr
abscissam aiunt fuisse sanatam. Neque r
latet, quod in *libro de vulneribus exitia*
bus, quædam ex his eius libri autor cona
sanare. Quòd verò partes ipsæ diuisæ agg
tinari non possint, in corde quidem ac se
transuerso ex iugi eorum motu contingi
vesica autem, quia neruosa est ac tenui
exanguis, eius profectò collum vider
quotidie sanari, cùm lapis extrahitur, q
niam carnosum est. Hepar verò vuln
habet plurimo manantia sanguine: atque
circo mori anticipant qui ita sunt vulner

P

priusquam vulnera agglutinentur. Dixi autem sic, volens intelligi etiam venam esse dissectam. Ob hoc ipsum igitur qui vulnera in profunda eius parte consistentia aiunt sanari, & fibras hepatis abstulisse, verum non videntur dicere. Cerebrum autem vulneratum sæpius sanatum vidimus, & semel in Smyrna Ioniæ, viuente adhuc præceptore Pelope: & erat vulnus satis effatu dignum. Hoc igitur rarissimum est. Verum autem est, quòd magna vulnera, quæ consueuit Hippocr. nominare *discissiones*, afferant mortem. Et fatetur omnes, vulnera cerebri, quæ aliquatenus in ventriculos penetrant, etiam afferre mortem. Tenuium autem intestinorum natura & ventriculi magis, non parum participant carnosæ substantiæ: & ideò in summa parte vulnerata sæpiùs agglutinãtur. Tota autem discissa vsque ad eorum cauitatem, rarissimè. Hoc autem non (vt mihi videtur) propter eorum substantiam accidit, sed quoniam non possumus æquè intrinsecis, sicuti extrinsecis imponere vulneribus medicamentum. Quapropter per ea quæ assumuntur, conatur autor *libri de vulneribus perniciosis* inscripti, siue Hippocr. fuerit, siue quis alius, sanare ventriculum.

XIX.

Ἐπὴν διακοπῇ ὀστέον, ἢ χόνδρος, ἢ νεῦρον, ἢ γνάθου τὸ λεπτὸν, ἢ ἀκροποσθίη, οὔτε αὔξεται, οὔτε ξυμφύεται.

Contra hanc aph. est Dioscor. lib. 4. c. 157. de taps.

Cùm discissum fuerit os, aut cartilago, vel neruus, aut genæ particula tenuis, vel præputium, neque augetur, neque coalescit.

Augeri vocat, talem aliquam generari substantiam, qualis est abscissa, sicuti in cauis vlceribus videtur caro germinare: coalescere autem, quando discissi corporis labra agglutinantur. Quòd quidem neque cartilago, neque os generentur, est in confesso. An verò agglutinentur, nonnulli dubitant. Inquiunt enim perspicuò videri ossa perfracta agglutinari. Hi verò aberrant, & doceri possunt in brutis, quorum pars aliqua fracta contraxit callum. Hæc enim seu viua, seu mortua, si quis velit inspicere dissecando, videbit manifestè à callo, quodam veluti vinculo circumscripto, partes ossium discissas esse constrictas: quas si abraserint, fracturæ profundum videbunt non glutinatum. Sic igitur de iis quæ diximus ambigunt, nonnulli augeri dicentes, non tamen coalescere: quidam verò etiam coalescere, sed rarò. Igitur illa augeri desiderant, quæ per exesum sunt vlcerata, & nul-

lum

lum vidi taliter affectum, cui non increuerit caro. Agglutinari autem illa quæ diuisa sunt,& non discissa. Hæc enim inuicem differunt: cùm discissa diuisionem habeant vsque ad finem peruenientem, quæ nunc Hippocr. inquit non coalescere: non ob id tantum quòd neruosa sunt atque tenuia, sed quoniam etiam, ex eo quòd talem habent naturam, labra vulneris non sunt parum distantia inuicem.

X X.

HN ἐς τὴν κοιλίην αἷμα ἐκχυθῇ παρὰ φύσιν, ἀνάγκη ἐκπυηθῆναι.

Si in ventrem sanguis præter naturam effunditur, necesse est suppurari.

Quidam sine articulo apud Græcos *ventrem* scribunt: volentes omnem significari cauitatem, quibus adstipulatur quòd *præter naturam* adiicitur, per quam adiectionem tale quid ostendit Hippocrates, Si vnquam sanguis à propria cauitate in aliam quamcunque peruenerit: vt sanguis permaneat, est omnino impossibile. Sic igitur & in inflammationibus, & illis quas Græci ἐκχυμώσεις nominant, fieri videtur. In inflammationibus quidem, per minimas partes disperso sanguine ad eas quæ sunt in musculis cauitates, quas solâ ratione contemplamur: in

 ecchymo

ecchymosibus autem, in spatia effuso q
vasis circumiacent. Suppurari autem non
rectè dictum, cùm nomen sit vnius mutati
nis in sanguine factæ. Quare nonnulli ipsu
ad generalius transferunt, ad corrumpi
delicet, hoc ab ipso dicentes significari.
enim videtur fieri, non permanere sang
nem, cùm à suo loco exciderit naturali,
aliquando quidem suppurari, aliquando
rò liuescere, aliquando in grumos ve
præsertim quando in magnam cauitat
exciderit præter naturam.

XXI.

Τοῖσι μαινομένοισι κιρσῶν ἢ αἱμοῤῥοΐδων ἐ
γινομένων, τῆς μανίης λύσις.

Insanientibus si varices vel hæmorrhoi superuenerint, insaniæ solutio.

Hìc insaniam illam, quæ propriè mel
cholia dicitur, vocat, non illum qui fit ex
le furorem. Est autem varix, cùm venæ la
res fiunt in femore & cruribus: quod
crasso & melancholico humore contin
adeò vt pellente naturâ ad partes igno
liores eos, qui insaniam efficiunt humo
& præsertim cùm melancholici fuerint,
crassi, dictarum sequatur passionum gene
tio, & insaniæ solutio.

XXII.

Οκόσα ῥήγματα ἐκ τοῦ νώτου ἐς τοὺς ἀγκῶνας καταβαίνει, φλεβοτομίη λύει.

Quacunque ruptiones ex dorso ad cubitum descendunt, vena sectio soluit.

Meliùs quidam scribunt: *Quicunque dolores*, nam ruptum ipsum descendere, vnum est impossibilium, siquidem diuulsa ac rupta musculi parte carnosa, fit ruptio. Videtur quippe nonnunquam manifestè admodum collectus in loco ruptionis sanguis: & discussione sanatur. Reliqui verò dorsi dolores transmigrantes, ex defluente humore generantur, solo aliquando, sed magna ex parte crasso ac flatuoso spiritui associato: quem excipere oportet, atque euacuare per venæ in cubito existentis sectionem, quando huc apparet fluens. Est enim eius præceptum, secundum quod humores repunt, facere euacuationes. Idem autem significant & verba hæc: *Eò ducendum est, quò repunt, per loca opportuna.* Si autem de ruptis sermo est scriptus ab eo: eos qui fiunt compatiendi ratione dolores, intelligendum est dici ab ipso descendere ad cubitos, non ipsam carnosæ partis diuisionem. Et quidem fieri potest, vt & talibus venæ sectio vtilis sit, communis euacuationis ratione.

XXIII.

Ην φόβ@- κ̀ δυθυμίη πολιω̃ χρόνον διατελέῃ, μελαγχολικὸν τὸ τοιȣ̃τον.

Si timor atque mœstitia longo tempore perseuerent, ex eo atra bilis significatur.

Si quis non ex causa manifesta metuat, aut mœstus sit, sunt atræ bilis casus manifesti, & præcipuè si longum tempus perseuerent. Sed si propter causam manifestam incipientes, deinde inueterascant, non te lateant insaniam significare. Nam & plures visi sunt furore correpti, qui ab excandescentia, vel ira, vel mœstitia principium habuit, ipso scilicet corpore tempore illo promptè se habente ad incidendum in tales passiones.

XXIV.

Εντέρων ἢν διακοπῇ τ̃ λεπ]ῶν τι, ȣ̓ ξυμφύεται.

Si quid intestinorum gracilium discindatur, non coalescit.

Hoc & in aphorismo paulo anteà dicto monstrauit, cuius initium: *Vesicâ discissâ, vel cerebro.* Nescio igitur quo pacto nunc frustra fuerit adscriptus. Hoc autem ipsum profectò vidimus, & in pluribus aliis aphorismis quos melius fuerit eximere.

Ερυσίπε

XXV.

ΕΡυσίπελας ἔξωθεν μὲν εἴσω τρέπεσθαι, οὐκ ἀγαθὸν, ἔσωθεν δὲ ἔξω, ἀγαθόν.

Erysipelas ab exterioribus verti ad interiora, non est bonum: ab interioribus autem ad exteriora, bonum.

Non solum erysipelas, sed aliud quodcunque quod ex profundis & principalioribus partibus transfertur ad cutem, bonum esse signum ac causam debemus existimare. Si verò contrà ad interiora & profunda transmutetur, malum. Sed & alia multa videtur dixisse Hippocrates quædam veluti exempla sermonum vniuersalium, à quibus eius quod solet euenire, experientiam possumus habere manifestiorem. Talia etenim exempla oportet esse.

XXVI.

ΟΚόσοισιν ἐν τοῖσι καύσοισι τρόμοι γίνονται, παρακοπὴ λύει.

Qui in febribus ardentibus tremores fiunt, delirio soluuntur.

Siue Hippocrates tales sermones scripserit, quædam veluti exempla magis generalium atque vniuersalium sermonum, siue alij interposuerint, aliis perquirendum relinquentes, illud tantùm in ipsis obseruabimus, quod & anteà dictum, & nunc in febre

ardente dicetur. Quæ enim hanc febrem efficiunt cauſæ in venoſo genere exiſtentes, quando ad neruos transferuntur, primùm tremores faciunt;compatiente verò principio, etiam deliria. Sicuti igitur in febre ardente tranſlatio, ſic & in omni alia febre poteſt fieri,& omnino ex arteriis & venis ad neruos transfluxus humorum noxiorum: ſicuti rurſus ex neruis ad has. Impropriè igitur dictum eſt,febrem ardentem à tremore ſolui. Hæc enim dicere Hippocr. conſueuit, aliis quibuſdam ſuperuenientia ſoluere eorum ſubſtantiam,quæcunque omnino hominem liberant, non quæ alteram generant paſſionem,quæ nihilo minùs ſit quàm prima, periculoſa.

XXVII.

ΟΚόσοι ἔμπυοι ἢ ὑδρωπικοὶ καίονται ἢ τέμνονται, ἐκρυέντος τοῦ πύου, καὶ τοῦ ὕδατος ἀθρόως, πάντως ἀπόλλυνται.

Quicunque ſuppurati aut aquam inter cutem patientes vrunt ur, aut ſecantur, ſi pus aut aqua vniuerſim effluxerit, omnes moriuntur.

Suppuratos præcipuè conſueuit nominare, qui pus habent in ſpatio inter thoracem atque pulmonẽ:quos quomodo vrere oporteat, dixit in *libro de paſſionibus*, cuius initium

tium, *Pulmonis arteria.* Quidam verò hunc librum inſcribunt *de ſuppuratis.* Vſtione igitur indigent qui plurimum habent pus, vt qui deſperent per ſpuitiones poſſe expurgari. Hos verò ipſos & difficultas anhelitûs maximè infeſtat ex loci anguſtia: quæ etiam nos cogit vt eos vramus. In iis autem qui aquam inter cutem patiuntur, illæ quæ à Græcis παρακεντήσεις id eſt, *punctiones* nominantur, ſunt magis in vſu Medicis. Verùm hoc vtique commune eſt vſtioni ac punctioni, quòd in vtraque Hippocrates conſulit caueri vniuerſam euacuationem, ſic enim videtur contingere, vti ait. Dictum eſt & ab Eraſiſtrato ſubtiliùs ac pleniùs de iis qui aqua inter cutem laborant, dicente ſe compertum habuiſſe experientiâ, vniuerſam euacuationem febres ac mortẽ afferre. Videmus autem & in aliis partibus æquè atque in thorace, quando aliquis magnus tumor ſuppuratur, periculoſam eſſe vniuerſam euacuationẽ, cùm è veſtigio deficiat anima, & vires debilitentur, & poſtea debilitas iſta remediũ non habeat. Videtur enim in his quidem propter magnam diſtantiam corporum, & puris acritudinem, ora quorundam vaſorum arterioſorum eſſe adaperta, quæ priùs veluti quoddam operculum pus continebant: quo vniuerſim

uersim euacuato, multi spiritus vnà cum eo exeunt atque excernuntur, vnde periclitantur. In aqua verò inter cutem non modò ob hanc causam eâ laborantes offenduntur, sed & durities visceris, vt quæ non sustentatur ab aquosa substantia, & septum transuersum deorsum trahit, & viscera quæ sunt in thorace.

XXVIII.

Ευνοῦχοι οὐ ποδαγρῶσιν, οὐδὲ φαλακροὶ γίνονται.

Eunuchi neque podagrâ laborant, neque calui fiunt.

Eunuchos sectio testiculorum similes efficit fœminis. Sicuti ergo in eis caluities non accidit, sic neque in eunuchis, propter temperaturæ frigiditatem. Eunuchos quidem Hippocratis tempore podagrâ non laborasse, verum existit: nunc verò non ita, propter immodicum otium, & victum intemperantem. Res autem tota ita se habet. Necesse est pedes naturâ esse imbecilliores, si quis podagrâ corripi debeat: sicuti & cerebrum, si morbum comitialem passurus sit: non tamen est omnino necessarium, vtrumque pati, si nihil in vita deliquerit. Disces autem apertè, quòd imbecillitas partis non sit sufficiens ad generandam passionem, ex intermedio

tempore

tempore accessionum, in quo nihil ferè infestantur, quamuis natiua imbecillitas continua sit. Clarum est autem hoc & in podagricis manifestissimè apparēs, quòd influente aliquo ad pedes humore superfluo, passio generatur. Si igitur nunquam huc humor influxerit, liquet quòd neque vnquam accidet passio. Non influet autem, si semper vacans superfluitatibus corpus extiterit. Erit autem vacans superfluitatibus, si mediocri vtatur exercitio, & homo bene cibum concoxerit; vnde & desidiæ, & crapulæ eis nocēt. Nocent autem & potus multorū & fortium vinorum, præcipuè cùm aliquis ea ieiunus potauerit. Hæc enim neruosam substantiam promptissimè offendunt, sicuti & coïtus. Ætate quidem Hippocratis pauci podagrâ laborabant, propter vitæ moderantiam: nostris verò temporibus vsque adeò auctis eduliis, vt nihil eis addi posse videatur, infinita est podagrarum multitudo, cùm nonnulli sint, qui nihil exercitantur, & cruditatibus atque ebrietatibus offenduntur, & ante cibum assumptum bibunt vina potentia, ac venereis vtuntur immoderatis: nonnulli verò etsi non in his omnibus, in vno saltē aut duobus ex iis quæ sunt dicta delinquunt. Sed cùm peccatum fuerit magnum, sæpius

ſæpiùs in vno eorum quæ diximus, deliquiſſe ſat erit. Ob hanc igitur cauſam etiam eunuchi podagrâ corripiuntur, quamuis nullum habeant vſum venereorum. Talis enim eſt eorum deſidia, inſatiabilitas, ebrietáſque, vt etiam ſine venereis podagrâ corripi poſſint. Hæc eadem de articulari morbo exiſtimes dicta. Omnes ſiquidem qui eo laborant, magna ex parte priùs podagrici fiunt. Accedit & ad has cauſas, ob quas plerique incidunt in podagras, quòd multi & patres & auos habuêre podagricos, in quibus ſemen erat vitiatum, atque ideò poſteris vehementiorem fecerunt partium imbecillitatem.

XXIX.

Γυνὴ οὐ ποδαγρᾷ, ἢν μὴ τὰ καταμήνια αὐτῇ ἐκλίπῃ.

Mulier podagrâ non laborat, niſi menſtrua defecerint.

Mulieres non fiunt podagricæ, ratione euacuationis. Oſtenſum eſt enim in præcedente ſermone, quòd niſi humores ſuperabundauerint, ex ſola partium imbecillitate non poteſt podagra fieri. Cæterùm hoc quoque erat olim verum quidem, vbi non omnino menſtrua defeciſſent: quia parua erant delicta, quæ ætate ſuperiore mulieres admittebant;

tebant: nunc verò ob eorum magnitudinem, quædam podagrâ laborant, antequam menstrua deficiant: nonnullæ cùm parcè fluunt, aliæ cùm mediocriter.

XXX.

ΠΑῖς οὐ ποδαγρᾷ, πρὸ τοῦ ἀφροδισιασμοῦ. *Puer podagra non laborat ante vsum venereorum.*

Quod magnam vim habeat ad podagræ generationem vsus venereorum, liquet etiam in pueris, & ex iis quæ paulò anteà de eunuchis dicebat. Eunuchos itaque vidimus quosdam podagrâ laborantes, pueros autem non vidimus. Verùm si quis tali est passione correptus, & vnà genuum articuli & manuum intumuerunt: articularis morbus accidit quodam modo ex multa plenitudine per cruditates aceruata.

XXXI.

ΟΔύνας ὀφθαλμῶν ἀκρητοποσίη, ἢ λουτρὸν, ἢ πυρίη, ἢ φλεβοτομίη, ἢ φαρμακείη λύει.

Dolores oculorum, meri potio, aut balneum, aut fomentum, aut vena sectio, aut medicamentum epotum soluit.

Singula horũ quæ dixit, magis experientiâ quàm ratione aliquâ videtur mihi Hippocrates

pocrates cognouisse. Nihil enim mirum, si homo dolens cùm isset ad balneum, dolore fuit liberatus; vel si non permissus bibere vinum, deinde nullam ex hoc sentiens vtilitatem, motus est ad bibendum, alioqui multum appetens vini, & posthac meliùs se habuit. Sicuti igitur & pleraque alia quæ vidit, Medicis scripsit Hippocr. absque aliqua determatione, ita & hæc mihi videtur scripsisse, cùm neque rationalium Medicorum modo indicet dispositiones, neque empirico more accidentium concursus. Vtilitas autem quæ nobis potest aduenire ex sermonibus hoc modo scriptis, est inquirendo dispositiones, in quibus meri potio, & balneum, & si quod eorum, quæ deinceps dicta sunt, vtile sit: quod & mihi contigit. Nam quòd omnino sint aliqui oculos dolentes, quorum nonnulli meri potionibus, nonnulli balneis iuuentur, fidem Hippocrati adhibens, eram persuasus: neque enim illud scripsisset, si non vidisset. Non tamen ab aliquo præcepto eum tale auxilium aliquod animaduerti fuisse adhibitum. Cùm itaque omnes quæsissem dispositiones, in quibus sit necessarium non in oculo tantùm, sed & in aliis partibus fieri dolores; deinde mihi ipsi persuadetem

rem me inueniſſe, hinc conſideraui earum indicia diſpoſitionũ: & poſtquam etiam his credidi, tunc auſus ſum remedia afferre dolentibus; & primùm quidem adoleſcentem balneaui, cui Medicus non abſq; ratione in die ſecundo ab initio venã ſecuerat, & deinceps curauerat medicinis quas experientiâ cognouerat, cùm inflammatio ſola obſideret oculos. Dolebat autem vehementiſſimè per quoſdam inſultus, dum aiebat ipſe ſentire ſe acutos humores, qui vniuerſim defluebant ad oculos, mox poſt eorum excretionem vehementia doloris ſedabatur, non tamen dolor omnino ceſſabat: & hoc illi quinto quôque die accidebat, maius ſemper habens incrementum. Cùm igitur dolorem non poſſet tolerare, me & quendam alterum ex ocularibus Medicis aduocauit in vrbe Romana probatiſſimum. Illi itaque videbatur vtendum eſſe collyrio quodam ex iis quæ emplaſtica nominant & anodyna, id eſt dolorem ſedantia: cuiuſmodi ſunt quæ ex Ceruſſa lota, Amylo, & Papauere componuntur. Nam ſi maximè poſſe reprimi per emplaſtica id quod influebat, & ſimul ſenſum torpeſcere per infrigidãtia ſperabat. Ego verò ab initio ſuſpecta habui talia medicamẽta. Neq; enim vehemẽtes reprimunt fluxiones,

 ſed

ſed excerni prohibent: atque ideò ſi humores fluentes acres extiterint, corneam erodi contingit: ſi verò multi, magis irritari ac vehementer extendi, ac ſi rumperetur: ex quibus niſi medicamentum fuerit vehementer ſtupefaciens, dolores impatibiles excitantur. Si verò fuerit adeò vehementer ſtupefaciens, vt ex eo oculi maximam inflammationem non ſentiant, neceſſarium eſt ſimul quidem vim viſoriam offendi, adeò vt ceſſante inflammatione, vel debiliter vel nihil omnino videant: ſimul autem & quandam præduram diſpoſitionem, & quæ difficulter ſanari poſſit, in oculorum tunicis derelinqui. Cùm igitur iſta nouiſſem, atque animaduerterem humorem influentem non paucum, & fortiter acrem ac calidum: primùm fomento vtendum cenſui, experientiæ gratiâ, tanquam ex ea certiùs cogniturus qualiſnam foret diſpoſitio. Solet enim in his fomentum aliquantum dolorem mollire, ſed alteram fluxionem aduocare. Quâ enim ratione poteſt id quod in oculis continetur diſcutere: eâdem etiam alteram ex vicinis attrahere. Verùm quum primùm & aquam calidam & ſpongiam afferri iuſſi, æger ipſe ſe dixit expertum eſſe ſæpius totâ die idem remedium, primùm quidem dolorē minuere,

ſed

ſed paulò pòſt maiorem facere. Quæ ego cùm audiſſem, Medicũ ocularẽ dimiſi, pollicitus ipſe expectare,& ægrum abſque medicamento frigido à dolore liberare. Cùm autem ſolo balneo vſus eſſem, ita dolorem ſedaui,vt totâ nocte dormierit æger, & neque ſemel aliquem eorum qui iuxta dormiebant aduocarit. Ab hinc in reliquis, in quibus per ſigna cognoui influere quidem humores acres ad oculos, non tamen corpus eſſe plenum: balnei vſu dolorem ſanaui. Alium autem quendam adoleſcentem, qui iam pluribus diebus inflammationem patiebatur in oculis, rura colentem, procul ab vrbe vidi: poſtmodum quoniam paſſio perſeuerabat, cùm ad ciuitatem veniſſet, ſqualidos habentem oculos,ſed valde tumidas ac plenas ſanguine eas venas quæ in ipſis erant: iuſſi vt ſe lauaret, ac potu vteretur meraciore,& ita ſe ſopori traderet. Et quidem ſomnus ipſum profundus inuaſit, & manè ſine dolore ſurrexit: mihíque præbuit audaciam, in quibus ſanguinis copia craſſioris in oculorum venulis continetur ſine plethorica in toto corpore diſpoſitione,vtendi vini potione, vtpote diffundere ſanguinem atque euacuare potente, & ſui motus vehementiâ obſtructiones aperire. Hæc igitur ſunt fortia

remedia doloris oculorum. Securissimum autem fomentum est, & omnino aliquam afferens vtilitatem, vel tanquam signum ad dignotionem, vel tanquam causa sanitatis oculorũ. Quando enim nihil omnino influit ampliùs in oculos, fomẽtum dissoluens eam quæ in ipsis continetur superfluitatem, eis sanitatem restituit. Cùm verò adhuc influit: cùm primum adhibetur, suo calore aliquod affert mediocre leuamen, sed paulo pòst dolorem auget, & tunc fit signũ dignoscitiuum. ex quo nos dispositionem comprehendẽtes, ad totius corporis euacuationẽ peruenimus, ipso quidem sanguine redundante, per venæ sectionem, sed malitiâ humorum infestante per purgationem; neq; enim est difficile admodũ distinguere cacochymiam à plethora.

XXXII.

Τραυλοὶ ὑπὸ διαῤῥοίης μάλιστα ἁλίσκονται μακρῆς.

Balbi ab alui profluuio longo maximè capiuntur.

Sicuti psellizestæ, id est, balbutire, linguæ vitium est, non vocis: sic & traulizein, non potente linguâ exquisitè eas dearticulare voces, quæ per t, & r, proferuntur, qualis est hæc ipsa traulosis, & hæ aliæ similes, trechei, tremei, trachys, trochos, tripheros, & quæcunque aliæ tales. Hæ siquidem omnes exi-

gũnt linguam ſe ampliantem ac prioribus dentibus innitentem. Quando igitur in quibuſdam fuerit imbecillior, peiùs firmatur, & ſonum t, & r, nequit dearticulare, ſed ad t, & l, facilè labitur. Hoc autem etiam ei poteſt accidere, quoniam ſit breuior quàm ipſi cõueniat: quod rariſſimum exiſtit. Sed etiam quia molliorem atque humidiorem habet temperaturam: quam ob cauſam & pueri balbutiunt, cùm tale quiddam ipſis contingat, quale etiam in ambulatione. Nam hanc nonnulli eorum omnino non habent, nonnulli verò non ſufficienter, cùm crura nequeant in eis propter mollitiem firmiter ſtabiliri. Quibuſdam verò etiam ætate integrâ, loquendo feſſis, cùm loqui tentant, balbutire contingit: ſicuti & illis qui plurimum tibiâ cecinerint, & quibus vires ex morbo ſunt debilitatæ, ſicuti & quibuſdam quibus lingua eſt vehementer exſiccata. Verùm ſiccitas tanta nulli ineſſe poteſt, qui habitum ſeruet naturalem: atque ideo ſolius humiditatis immodicæ eſt ſymptoma in iis, qui naturâ balbutiunt, id linguæ vitium, cùm eius muſculi nequeãt firmiter ſtabiliri: quod ei poteſt accidere vel propter ſuam, vel propter neruorum imbecillitatem, quos videlicet à cerebro ſuſcipit. Quare & ebrij

 aliquando

aliquando balbutiunt, tum quia multâ humiditate perfunditur cerebrum, tum quia etiam ipsius multitudine prægrauatur. Continget igitur iis qui sunt balbi naturâ alterum horum, aut cerebrum habere humidum, vel linguam, vel vtrumque. Et cerebro quidem talem sortito temperaturam, defluere ab eo multa par est humidas superfluitates, atque inde fluentes in ventrem suscipi: vnde & longis profluuiis homo capitur. Linguâ verò admodum humidâ natura existente, & ventriculum talem esse par est: vt qui alteram tunicam communem habeat cum lingua, imbecillémque ex humiditate. Ventriculi autem propria passio est diuturnum profluuium.

XXXIII.

Οἱ ὀξυρεγμιώδεες οὐ πάνυ πλευριτικοὶ γίνονται.

Qui acidum eructant, non valde morbo laterali corripiuntur.

Acidum eructantes, hoc est, acidum ructum habentes, rarò inquit capi à morbo laterali. Nam quod dicitur, *non valde*, idem ostendit quod rarò: non autem, nullo modo, vt quidam libri expositores scripserunt. Dictum autem à nobis est, vbi de morbo laterali sermonem habuimus, quòd aliàs quidem vnà

vnà cum flauis ac ruffis fit ſputis, ex bilioſis humoribus ortum habens: aliàs verò cum ſpumeis, ex pituoſis: ſicuti & cum nigris ſputis ex melancholicis: cum rubris verò, ex ipſo ſanguine. Eſt enim hic morbus inflammatio membranæ quæ ſuccingens nominatur. Cùm verò vnaquæque inflammatio ex alicuius humoris fiat ſuperabundantia: ſecundum eius naturam etiam ſputi ſpecies morbo laterali laborantibus aduenit, & ſpes ſalutis ac mortis habetur. Non æquè autem membranæ, ac pulmo ſunt naturâ aptæ humores ſuſcipere. Denſa ſiquidem eſt membranarum ſubſtantia; pulmo verò parte in omni rarus ac laxus: quare huic quidem promptum eſt omnes ſuſcipere † humores, membranæ autem ſuccingenti bilioſos magis. Ob hanc igitur cauſam, quibus pituita naturâ ſuperabundat, raro à morbo laterali corripiuntur, præſertim ſi ſalſedinem atque acritudinem aliquam ſibi adiunxerit. Talis enim inteſtina mordens, irritat ad deiectionem: ac tunc contingit non ſolam pituitam, ſed plures alias etiam ſuperfluitates excerni. Dicebat verò ipſe in *libro de aëre, aqua, & locis*, eos qui habent ventrem naturâ humidum, minimè morbo laterali atque aliis morborum generibus corripi.

† *Pituitoſos humores, habet antiquus codex.*

XXXIV.

ΟΚόσοι φαλακροὶ, τουτέοισι κιρσοὶ μεγάλοι οὐ γίνονται. ὁκόσοισι δὲ αὖ φαλακροῖσιν ἐοῦσι κιρσοὶ ἐπιγίνωνται, πάλιν οὗτοι γίνονται δασέες.

Quicunque calui ſunt, iis magnæ varices non fiunt: quibus verò caluis varices magnæ ſuperueniunt, ij rurſus capillati fiunt.

Quando in viri ſapientis libro ſermo inuenitur aliquis manifeſtum habens mendacium, non ſine ratione legentes contingit dubitare, & primùm quidem ſibiipſis diffidere, quaſi neque illa quæ ſint manifeſta noſcentibus, deinde ſuſpicari ne quod falſum fuerit interiectum. Quis enim neſciat caluitium eſſe paſſionem inſanabilem? Sed neque verum eſt, quòd magnæ varices caluis nunquam aduenia nt, ſicuti neque quòd varicibus aduenientibus caluities ceſſet: niſi fortè (vt nonnulli inquiunt) vocatum à Medicis capillorum defluuium, caluitium nominet. Illud enim cùm à vitioſis humoribus (ſicuti quæ ophiaſis & alopeciæ, paſſiones capillorum nominantur à Græcis) generetur: cùm iidem humores ad crura decumbunt, poſſunt varices facere, & capillos reſtituere. Si enim priùs capillos à vitioſis humoribus, corruptis eorum radicibus, corrumpi contigerat: nunc fit veriſimile, vt eiſdem humoribus

bus aliò tranſpoſitis, ad primam naturam capilli redeant.

XXXV.

TOῖσιν ὑδρωπικοῖσι βὴξ ἐπιγινομένη, κακόν.

Aquâ inter cutem laborantibus tuſſis superueniens, malum.

Superuenire paſſionibus alias paſſiones & caſus, priſci Medici dicere conſueuerunt, quæcunque ipſius paſſionis adauctæ ratione contingere conſueuerunt. Talis enim eſt Praxagoræ liber *de ſuperuenientibus* inſcriptus. Sic autem & nunc de tuſſi dictum eſt. Neque enim cùm ex alia fit occaſione in homine aquam inter cutem patiente tuſſis, ſignum eſt exitiale, ſed quando ipſius morbi ratione. Cùm enim in paſſione tali aquoſa humiditas tantum adaucta fuerit, vt iam aſperas occupet arterias, deinde ſuperuenit tuſſis, periculum imminet ne homo haud ita multo pòſt ſtranguletur.

XXXVI.

ΔΥσουρίην φλεβοτομίη λύει, τέμνειν δὲ τὰς εἴσω.

Difficultatem vrinæ vena ſecta iuuat: ſecare verò interiores.

Hic ſermo verus non eſt, niſi & coniunctionem aſſumpſerit, ita vt aphoriſmus talis

 fiat:

fiat : Difficultatem vrinæ & venæ ſectio ſoluit. Reuerà enim venæ ſectio ſoluit difficultatem vrinæ,illam videlicet quæ propter inflammationem & multitudinem fit. Quod autem dicitur , *Secari verò interiores* : ſi de venis manuum dicitur, caret veritate, neque conſentaneum Hippocrati. Videtur ſiquidem in omnibus libris ſuis, in partibus,quæ ſupra hepar ſunt , ex manibus ſanguinem mittere:in inferioribus verò, eas quæ in poplite & malleolo ſunt , ſecari iubet. Si verò de his ipſis ipſum quis dixiſſe arbitretur, Secare autem interiores : hoc dictum paruam vim habet. Ab vna enim ambæ naſcuntur,in poplite trifariam diuiſa,quoniam & vna vena ad hoc peruenit membrum,non ſicuti ad manum duæ.Melius itaque ſit & hunc aphoriſmum vnum ex adiectis opinari.

XXXVII.

ΥΠὸ κυνάγχης ἐχομένῳ οἴδημα γίνεσθαι ἐν τῷ τραχήλῳ, ἀγαθόν. ἔξω γὰρ τρέπεται τὸ νόσημα.

Anginâ correpto , ſi tumor fiat in collo , bonum : foràs enim morbus deducitur.

Aphor. 49. ſ. 7. Sermo verus eſt, & cauſa in promptu : ſiquidem ex intimioribus & principalioribus partibus paſſiones confert ad cutem transferri.

Οκόσοι

XXXIII.

Ὁκόσοισι κρυπτοὶ καρκίνοι γίνονται, μὴ θεραπεύειν βέλτιον. θεραπευόμενοι γὰρ ἀπόλλυνται ταχέως, μὴ θεραπευόμενοι δὲ πολὺν χρόνον διατελοῦσι.

Cancros occultos habentes melius est non curare. Curati enim citò pereunt, non curati nunc verò longius tempus perdurant.

V. Iachi- pract. c. 27. lib. 1.

Occultos cancros dixit, vel eos qui ſunt ſine vlceratione, vel abſconditos, hoc eſt non apparentes: quod rurſus idem ſignificat, ac ſi diceretur, qui in profundo corporis ſunt. Sed & curare, duplex eſt. Vnum quidem omnia agere vt particula patiens, ad ſanitatem perducatur: alterum autem eam adhibere prouidentiam quæ paſſioni congruat, hoc eſt, ipſam demulcere, ac mitiorem facere: & tum præcipuè cùm adeſt exulceratio. Tunc enim eſt neceſſarium vt ſi non aliud agamus, ſaltem ſaniem abluamus, humido aliquo vtentes, non quocunque, ſed vel per experientiam, vel per indicationem inuento, quod neque putrefacere, neque irritare partem patientem ſit naturâ aptum. Ab hac igitur curatione neque abſiſtere conuenit: neque illi qui ſunt ſine vlceratione cancri, indigent eâ. Aliam verò quæ fit per ſectionem vel vſtionem

vstionem (quæ sola sunt remedia factorum cancrorum) consulit vt in cancris occultis non adhibeamus. Quòd enim illi qui sunt in partibus penitioribus, talibus non curentur remediis, etiam experientia docet. Equidem scio, omnes qui huiusmodi cancros curare tentauerunt, magis illos exacerbasse, & breui homines interemisse. Nam qui cancrum in palato constitutum, & in sede, & in sinu muliebri, vel vsserunt vel secuerunt, nec potuerunt vlcera ad cicatricem perducere, homines per curationis afflictionem vsque ad mortem excarnificarunt, qui nullâ curatione adhibitâ longiori tempore vitam cum minori molestia transegissent. Tales igitur cancros nullo modo curare tentemus: ex eis verò qui in summâ parte corporis hærent, illos tantummodo, quos possumus vnà cum radicibus ipsis, vt quispiam dixerit, resecare. Neque enim malum est, veluti radices quasdam cancri, nominare eas, quæ plenæ sunt sanguine melancholico venas, & vsque ad loca circunstantia distenduntur. Multi enim magnæ auctoritatis Medici, ne his quidem chirurgiã admoueri permittunt. sed illis tantùm qui sunt exulcerati, simúlq; laborantes molestant adeò, vt ipsi vltrò manum admoueri desiderent: & simul sunt

ſunt in talibus partibus ſiti, quas poſſumus vnà cum radicibus reſecare & exurere. Quidam verò neque hos amoliri permittunt, ſed omnino abſiſtendum conſulunt à remediis profligatoriis in omni cancro. Quòd verò Hippocrates nunquam conſuluiſſet curare profligatoriè cancros in partibus corporis penitioribus conditos, ex ipſa paſſionis natura licet coniectari: an verò & eos qui in ſumma parte corporis hærent abſque vlcere, incertum eſt, quantum ex verbis aphoriſmi coniici poteſt. Ipſum verò ſcripſerunt Artemidori & Dioſcoridis ſectatores, vſque ad ea verba, *Non curare melius eſt.*

XXXIX.

Σπασμὸς γίνεται ἢ ὑπὸ πληρώσιος, ἢ κενώσιος, οὕτω, δὲ καὶ λυγμός.

Conuulſio fit vel ex repletione, vel inanitione: ita verò & ſingultus.

Conuulſio (vt & ipſum indicat nomen) fit tractis ad propria capita muſculis, clariùs autem diceretur, reuulſis: qualis etiam eſt motus eorum ſecundum naturam: verùm hic haudquaquam fit ſine animalis voluntate. Conuulſio autem paſſio eſt inuoluntaria, ad ſimilem venientibus neruoſis partibus in eis diſpoſitionem, quam etiam in motibus

motibus voluntariis aſſumunt. Itaque ex repletione fit, vt in nimiùm humida aëris ambientis conſtitutione accidit chordis. Nam propter hanc cauſam ſæpè rumpuntur. Sic autem & in ſiccioribus conſtitutionibus afficiuntur, nam in ſeipſa adducuntur, ac conuelluntur omnia neruoſa corpora violentiùs exſiccata: ſicuti quæ ad ignem longo tempore lora calefiunt, ſimile quid patiuntur, & quæ ſol æſtiuus exſiccauit. Conuulſio igitur non abſque ratione à cõtrariis fit cauſis. Singultus verò concedatur conuulſio ſtomachi nominari, quando aliud fuerit ſermonis propoſitum. Quando verò hoc ſolùm ſtuduerimus, vt paſſionis ſubſtantiam cognoſcamus: melius fortaſſis fuerit, non conuulſionem nominare, ſed quendam motum, eiuſdem quidem cum vomitibus generis, ſed fortiorem illo & vehementiorem. Nam ſtomachus appetens, eorum aliquid quæ in ipſo continentur expellere, ad duos mouetur caſus, vehementiorem quidem in ſingultibus, moderatiorem verò in vomitibus: ſiquidem in vomitibus appetit ea tantùm, quæ in ventriculi ſpatio latiori continentur, expellere; in ſingultibus autem & ea quæ ſunt in ipſius ore penitiora. Per ſtomachum nunc à me intellexeris, non ſolùm eum qui ita propriè

nomina

nominatur,sed & ventriculi os.Quæ enim in hoc continentur, ipso appetente ventriculo expellere, singultus fit. Quòd verò eorum quæ difficulter excernuntur, & quæ veluti in se absorpserit ventriculi os, fiat per singultus excretio, discere licet ex iis quæ quotidie eueniunt,omnibus ferè, vel magis, vel minus. Siue enim solum quid acre,veluti piper deglutierint, siue cum melle, siue aliquo alio,postea vinum biberint aquâ calidâ temperatum, statim singultiunt: calore quidem potus piper ad interiora deuehente, piperis verò acrimoniâ ventriculum molestante: vnde conatur motu violentiore rem infestantem expellere. Ostensum est autem in *libro de causis casuum*, quòd & tussis, & sternutatio,& rigor ex talibus motibus sint.

XL.

Ὁκόσοισι περὶ τὸ ὑποχόνδριον πόνοι γίνονται ἄτερ φλεγμονῆς, τουτέοισι πυρετὸς ἐπιγενόμενος λύει τὸν πόνον.

Quibus dolor circa hypochondrium fit absque inflammatione, iis febris superueniens dolorem soluit.

Sequitur quidem & ad morsus dolor: sed consueti sunt morsus nomine, non doloris, tales casus appellari. Fit autẽ dolor propter

quandam

quandam ſimilem inflammationi diſpoſitionem. Sic autem nominata eſt, quoniam & eryſipelata dolor conſequitur. Quando igitur non ob talem diſpoſitionem dolor hypochondrium occupauerit, & morſus ſenſus abſuerit, relinquitur vt dolor fiat vel propter obſtructionem, vel propter ſpiritum flatuoſum, vel aliquam intemperiem inæqualem, quæ febrilis calor aptus eſt naturâ ſanare: illa quidem incidens, extenuans, atque diſſoluens, hæc verò ad temperaturæ æqualitatem perducens.

XLI.

ΟΚόσοισι διάπυόν τι ἐὸν ἐν τῷ σώματι μὴ διασημαίνει, τουτέοισι διὰ παχύτητα τοῦ πύου, ἢ τοῦ τόπου οὐκ ἀποσημαίνει.

Quibuſcunque ſuppuratio in corpore exiſtens non innoteſcit, iis ob craſſitudinem puris, aut loci, non innoteſcit.

Duplex eſt huius loci ſcriptura, & duplex expoſitio, & vtraque non caret ratione. Nam & propter puris ac loci craſſitudinem, ſæpius occultatur puris in aliquo loco comprehenſi notitia. Rectè ergo nonnulli ſcripſerunt: *His propter loci craſſitudinem*: nonnulli verò, *His propter puris craſſitudinem non innoteſcit.*

En

LXII.

EN τοῖσιν ἰκτεριώδεσι τὸ ἧπαρ σκληρὸν γίνεσθαι πονηρόν.

Morbo regio laborantibus si fiat hepar durum, malum.

Morbum regium hoc loco dicit, qui fit ex hepatis inflammatione; tunc enim durities ostendit, scirrhum vel inflammationem in hepate esse: quemadmodum & sine hac contingit quidem aliquando propter eius obstructionem, morbum regium aduenire: contingit etiam ipsa natura quandoque per modum criseos ipsum humorem exuperantem in venis contentum ad cutem expellente.

LXIII.

OΚόσοι σπληνώδεες ὑπὸ δυσεντερίης ἁλίσκονται, τουτέοισιν ἐπιγενομένης μακρῆς τῆς δυσεντερίης, ὕδρωψ ἐπιγίνεται, ἢ λειεντερίη, καὶ ἀπόλλυνται.

Quicunque lienosi à difficultate intestinorum capiuntur, iis superuenientem longam difficultatem intestinorum aqua inter cutem aut lauitas intestinorum excipit, & moriuntur.

Oportuit hunc aphorismum illi subiungi, *Aph. 48 lib.* in quo dicit: *Lienosis difficultas intestinorum superueniens, bonum.* Sed hic quidem

inter sequentes scribitur post quatuor alios intermedios: nobis autem est necessarium iam ipsius meminisse. Quicunque enim lienosi sunt, hoc est, qui diu durum habent lienem, iis superueniens difficultas intestinorum soluit dispositionem, quando scilicet ratione transpositionis atque euacuationis humorum crassorum ac melancholicorum lieni insertorum euenerit. Sed quoniam sæpius huiuscemodi euacuationes vltra modum extenduntur, & noxiæ sunt laborantibus, conuenienter Hippocr. quem finem habeat immoderata difficultas intestinorum ostendit, quæ talibus aduenit dispositionibus. Læsis siquidem intestinis transitu vitiosorum humorum, vires eorum laborant, & temperies natiui caloris aboletur: ob hanc igitur causam, & aqua inter cutem, & læuitas intestinorum superueniunt: læuitas quidem intestinorum, ex sola intestinorum læsione: aqua verò inter cutem propter hepatis compassionem, atque lienis, & omnis venosi generis.

XLIV.

Ὁκόσοισιν ἐκ στραγγουρίης εἰλεὸς ἐπιγίνεται, ἐν ἑπτὰ ἡμέρῃσιν ἀπόλλυνται, ἢν μὴ πυρετοῦ ἐπιγενομένου ἅλις τὸ οὖρον ῥυῇ.

Quibus

Quibus ex stillicidio vrina ileos superuenerit, in septem diebus pereunt: nisi febre superueniente satis vrina fluxerit.

In ileo nihil exit inferiùs, ne si quidem quis acerrimo vtatur clystere. Vomitus autem stercoris aduenit iis, qui exitialiter se habent. Quòd igitur interclusa inferiori via exitûs, hæc passio fiat, & quòd in tenuibus intestinis, non autem crassis, omnes ferè fatentur. Et quidem quòd propter inflammationem, & propter obstructionem stercoris sicci, vel humorum crassorum atque tenacium dictum est à pluribus. Mihi verò videtur inflammationem, vel scirrhum, vel abscessum, tantam facere posse loci angustationem, vt nihil possit ad inferiora transmitti. Quòd autem humores crassi, atque tenaces in causa sint, non admodum mihi videtur probabile. Verùm & hoc, si libeat, ponito, & si quid aliud dicatur præter hoc. Verùm quod videtur omnibus ferè qui aphorismos exposuerunt, admodum mihi videtur difficile creditu. Aiunt enim quòd vesicâ inflammatâ, angustia loci facta ex compressione in quibusdam intestinis, passionem affert, quæ ileos nominatur. Ego verò multos me puto in tota vidisse vita: nonnullos tantùm periclitantes, non paucos verò etiam mortuos

quòd non possent mingere, quibus tunc manifestè omnibus secundum propriam circumscriptionem plena vesica apparebat, adeò vt extremè esset extensa: & dolor, vt par est, inde accresceret: quorum tamen nullus factus est ileosus. Quomodo igitur quispiam vnquam persuaderetur, ob vesicæ inflammationem angustiore facto intestino, ileon aliquando prouenire? Non magis sanè quàm ex tumore vteri in muliere grauida. Atqui vsque ad hypochondria eius tumor extenditur, & magis premere potest atque angustare intestina tenuia: vesica verò si in tumorē attollatur solum potest rectum premere intestinum. Quidam verò etiam dicunt absurdius, quòd febris superueniens conferat ileo. Nam febris quidem ex inflammatione vesicæ non absque ratione fieret, & quantò illa maior esset ac grauior, tantum augeri febrem contingeret, cùm casus sit inflammationis. Ileos verò (vt ipsi aiunt) ex inflammatione ortum habuit, & vnam tantùm spem habet solutionis, inflammationis cessationem, cum qua etiam febrem sedari est necessarium. Bonum igitur signum solutionis earum quæ sunt in ileo passionū, est febris vel remissa, vel soluta: non verò signum est bonum, neque causa bona, ipsa

vel

vel ſuperueniens, vel aucta. Nouimus enim ſolùm illis morbis conferre febrem, qui ex frigiditate fiunt, aliquando ſolâ, aliquando cum humoribus crudis,pituitoſis,vel flatuoſis ſpiritibus. Melius eſt itaque, ſi fateamur nos ignorare,quæ in hoc aphoriſmo Hippocrates dixerit. Neque enim ratio eorum indicat veritatem, neque experiẽtia docet:tertium autem aliud nullum habemus ad faciendam fidem. An vnquam talis ægrotus ſit viſus,aut ab Hippocr.aut ab aliquo alio? An etiam legitimus ſit hic aphoriſmus,non poſſum dicere. Multitudinem igitur humorum crudorum vnà cum multa frigidītate,melius eſt talium in ileo caſuum,qui dicti ſunt,cauſam arbitrari. Sic enim ſola febris eſſet medicina huiuſce diſpoſitionis, & retentarum vrinarum euacuatio. Sic enim conſueuêre craſſæ, multæ, & confertæ euacuari, dum craſſi illi & crudi humores ſunt concocti.

LXV.

Ἕλκεα ὁκόσα ἐνιαύσια γίνεται, ἢ μακρότερον χρόνον ἴσχουσιν, ἀνάγκη ὀστέον ἀφίστασθαι, καὶ τὰς οὔλας κοίλας γίνεσθαι.

In vlceribus annuis, aut etiam diuturnioribus,abſceſſum os pati eſt neceſſe, & cicatrices cauas fieri.

Quæcunque vlcera longo tempore manent,

nent, vel cicatrice nullo modo adueniente, vel si facta sit, rursus resolutâ, nihil videlicet Medicis in curatione delinquentibus, necesse est vel propter influxum vitiosorum humorum, vel propter dispositionem in membro cõtractam, temporis longitudine, ex humoribus influentibus, vel ob aliquam passionem ossis in eo loco corrupti, difficulter sanari. Alia itaque vlcera semper maiora & deteriora fiunt: atque hæc omnia Phagedænas, id est, exedentes antiqui nominabant. Quidam verò posteriores ea distinguere cogitarunt, propriam singulis dantes appellationem; & quædam eorum Chironia nominantes, quædam Telephia, quædam Phagedænas, & alias adhuc curiosas magis afferentes appellationes. Nobis verò sufficiet ex iis quæ aliquid loci occupant circumstantis, nonnulla quidem herpetas nominare, quando summas tantum partes cutis occupauerint, alia verò Phagedænas, quæ carnem subiectã corrumpunt. Quod enim putridum atque depascens à nonnullis vlcus vocatur, non est propria vlceris differentia, sed passio composita ex vlcere atque putredine. Scimus autem quòd & absque vlcere putredo ipsa per seipsam in multis corporis partibus constituitur. Quoddam etiam vlcus vocatur carbunculus,

crustam

crustam habens,cum multa partium circumstantium inflammatione. Hæc igitur propriam habuére appellationem, Carbũculus, Phagedæna, & Herpes. Quæcunque verò vlcera fiunt sine dictis casibus, hæc ipsa per seipsa solebant antiqui vlcera tantùm nominare: de quibus nunc Hippocr. loquitur, de his peculiariter edocens, quòd quæcunque talia sunt vlcera, in longum incidunt tempus. Videtur autem & experientia rationi adstipulari: & multa sæpius ex hoc genere vlcerum, cùm fuerint ad cicatricem perducta,non ita multo pòst rursus inflammari ac disrumpi solent,ipsarum cicatrice solutâ. Fit autem hoc talem aliquam ob causam:Quando ex adhibitis medicamentis caro, quæ ossi superiacet patienti,exsiccata contraxerit cicatricem, statim quidem sanitas restituta videtur: rursus verò paulatim aliquâ influente sanie ex osse altiùs corrupto,iterum aduenit inflammatio,& puris generatio consequitur, à quo cicatrix eroditur, caro verò exulceratur. Quænam igitur est talium sanatio vlcerum?Non profectò alia quàm ab ipso scripta in *libro de vlceribus*, & à nobis in *tertio de arte curatiua* demonstrata. Nam vlcera omnia exsiccari oportet, præcipuè verò in quibus patitur os. Terminus autem est siccita-

tis, vt abscedat pars ossis quæ est vitiata. Quare non absque ratione tantum fieri cauas cicatrices contingit, quantam habuerit abscessus amplitudinem.

† *Sic videtur legẽdum, ὁκόσοι ὑϐοὶ πρὸ τῆς ἥϐης γίνονται. ἐξ ἄσθματος ἢ βηχὸς ταχέως ἀπόλλυνται. Quibus ante pubertatẽ spina introrsum reflectitur, ex asthmate aut tussi, statim moriuntur.*

XLVI.

Ὁκόσοι ὑϐοὶ ἐξ ἄσθματος ἢ βηχὸς γίνονται, πρὸ τῆς ἥϐης, ἀπόλλυνται.

Quibus gibbi ex asthmate aut tussi fiunt ante pubertatem, moriuntur.

† Ὑϐοὺς καὶ κυφοὺς solet Hippocrates nominare, quos nunc omnes homines κυρτοὺς appellant. Nam reuera spina illis est à tergo κυρτή. Ac κυρτῷ quidem opposite dicitur κοῖλον, quasi conuexo cauum. At ὑϐῷ καὶ κυφῷ, τὸ λορδὸν, quasi extuberanti concauum. Cæterùm hæc quidem de sola spina: illa verò de omnibus Græci efferunt. Quomodo autem κύφωσις fiat, ipse narrauit in *libro de articulis*, sicuti etiam περὶ λορδώσεως, σκολιώσεως καὶ σείσεως. Hæ enim sunt propriæ & præcipuæ spinæ passiones: atque oportet illum qui vult istarum passionum habere notitiam, iis quæ in eo libro scribuntur, pleniùs incumbere. Nunc verò à nobis dicentur ea, quæ ad propositum aphorismum videntur vtilia. ὕϐωσις spinæ fit aliquando propter ictum, aut casum; fit etiam propter quædam tubercula dura

dura,quæ in parte anteriore consistunt:à quibus siquando vna vertebra trahitur prorsum, fit eatenus spinę λόρδωσις,id est,cauitas à tergo : sicuti etiam si plures fuerint se ordine cõsequentes:quando verò non fuerint continuæ hæ, quæ tenduntur vertebræ, κύφωσις fit:tantum partibus retrò tendentibus,quantum vertebræ extensæ sunt ad interiora reflexę.Nam hoc fieri videtur in omnibus duris mediocriter tensis,veluti calamis, viminibus,virgis,& omnibus aliis huiusmodi : & dictum est de his pleniùs in *expositionibus libri de articulis*. Nunc verò ὑβωθέντας, id est, eos quibus spina introrsum processit ante pubertatem, ex asthmate & tussi,citò,inquit, interire. Neque enim vult in his thorax, vt ipse dixit, vnà cum aliis augeri, atque ideò magnâ angustiâ premuntur ea quæ respirationi obseruiũt instrumenta. Omnibus porrò commune sponte ita affectis, hoc est, quibus sine ictu vel casu spina passa est, propter dura tubercula, & concoqui difficilia, tales fieri. Sed cùm multa sit in tuberculis, secundum tumorem, atque duritiem, & locum in quo consistunt,differentia : quæ quidem simul dura ac magna sunt, statim difficilem faciunt hominibus respirationem:quæ verò ex suo humore aliquid ad asperam

mittunt arteriam, reddunt tussiculosos. Verùm quæ talia sunt, vt mittant ex suo humore aliquid, non sunt dura exquisitè: atque ideò necessarium est eis, aliquando suppurari, & hominem occidere. Quæ verò nihil mittunt, ex crassis humoribus ortum habent, atque ob id dura sunt, & incocta, & longo permanent tempore antequam suppurentur, atque ideò non perimunt hominem. Quæ verò vnà cum tussi ortum habuére, properant ad suppurationem, atque ideò sunt exitialia. Sic & quæcunque cum difficili anhelitu fiunt, sunt iis qui adhuc augentur perniciosa: vel enim hæc magna sunt, vel in loco thoracis ad vitam opportuno. Quandoque igitur pulmo vnà cum corde in talibus augetur, locus autem continens minor efficitur, neque costæ augẽtur, & spinâ prorsum flexâ, propter conuexitatem thoracem faciant angustiorem, necessarium est tantam in breui tempore fieri, anhelitûs difficultatem, vt homo corrumpatur. Nam si nondum gibbositate superueniente, propter solos tumores præter naturam, difficilẽ habebant anhelitum, quid debemus expectare, cùm tubercula sunt tempore adaucta, thorax autem sit factus angustior? Quòd autem, cùm multæ sint spirandi difficultates, solam illam

illam Hippocrates *aſthma* conſueuerit nominare, in qua contingit crebrum anhelitum fieri, clarum admodum exiſtit. Vocant autem & nunc homines τὸ ἀσθμαίνειν, id eſt, *anhelare*, id quod fit in curſibus & vehementioribus exercitiis. Hippocrate autem poſteriores, & paſſionem aliquam diuturnam, nonnulli ſimpliciter aſthma nominant, nonnulli orthopnœam, quando abſque febre ægroti iugiter anhelitum habent difficilem.

LXVII.

Ὁκόσοισι φλεβοτομίη ἢ φαρμακείη ξυμφέρει, τουτέους προσήκει τοῦ ἦρος φλεβοτομεῖν ἢ φαρμακεύειν.

Quibuſcunque venæ ſectio, vel medicatio conuenit, hos vere purgare, vel venam incidere oportet.

Liquet quòd de iis qui adhuc ſunt ſani, ſed ægri futuri ſunt, niſi euacuentur, nunc ſermo habetur Hippocr. Hos enim oportet vt anticipemus euacuare vere adueniente, vel per venæ ſectionem, ſi plenitudinis paſſionibus ſubiiciuntur, vel per purgationem, ſi eis quæ ex corruptione proueniunt. Nos enim plurimos ita ſeruauimus ſanos, qui longo antè tempore ſingulis annis morbis capiebantur: atque podagram, & morbum articularem adhuc incipientem, & nondum

paros

paros circa articulos facientem, ex tali euacuatione multis iam annis fieri prohibuimus. Eodem modo & sanguinis spuitionem, morbum comitialem, apoplexiam, melancholiam, & alias huiuscemodi diuturnas passiones in multis hominibus per dictam euacuationem sustulimus. Venæ itaque sectio commune auxilium est eorum qui ex plenitudine fiunt morborum: purgatio verò quamuis si secundum genus accipias, vnum quoddam auxilium existat, non tamen secundum speciem: Nonnullis siquidem confert humores pituosos euacuare, nonnullis verò amaram bilem, nonnullis atram, nonnullis serosam superfluitatem, secundum naturam earum quæ consueuerunt superuenire passionum. Exempli gratiâ: Aliquis singulis annis incidit in melancholiam, nisi purgetur: & res mira visu, quomodo morbo iam inchoante, statim homo præsentit primam eius generationem, & ego aduocatus purgo humores atros, & cessat protinus melancholia: atque huic homini ex purgatione ambo hæc commoda eueniunt, quòd scilicet & superfluitates expellũtur, & quòd ex acritudine eorum quæ excernuntur, paulisper aperitur os venæ, quam vocant hæmorrhoidas, & per eam etiam excernitur pars aliqua san

ſanguinis vitioſi conſueti euacuari: quo retento ſuperuenit melancholia. Purgo igitur ipſum, non vere tantum, ſed etiam autumno: quia, ſicuti dixi, ſi ex contemptu aliquando purgationem omiſerit, & morbum non anticipauerit, ſymptoma morbi præſentit. Sic & mulierem quandam ſingulis annis vere inchoante ſimiliter euacuans, cùm aliquando tumorem cancroſum in mamilla pateretur, forti atq; frequenti cum medicamento purgante atram bilem adhibitâ euacuatione, ad ſanitatem perduxi. Et ſiquando purgatio omitteretur, dolorem profundum ſentiebat: & me aduocato, ſtatim volebat euacuari. In altero elephantem inchoantem, primùm quidem per venæ ſectionem & purgationem ſanaui: nunc autem ſingulis annis huic ſufficit vna purgatio: eâ autem omiſsâ, ſtatim paſſio innoteſcit. Morbi itaque huiuſcemodi, atri humoris exigunt purgationem: comitialis autem, & apoplexia, & aſthma, pituitoſi: at articulares, ſi cum multa fuerint caliditate, amaram bilem volunt euacuari: ſi verò cum frigidis tumoribus, pituitam. Quidam alius tempore æſtiuo ſemper febribus tertianis corripiebatur; ſed multis iam annis non febricitauit, quoniã à nobis purgari circa finem veris anticipauit. Sic

enim

enim melius est tales euacuare: sicuti illos qui laborare solent morbo comitiali, apoplexiâ, & melancholiâ, & articulari, & aliis passionibus quæ ex crassis humoribus generantur, præstat circa veris initia euacuare: de quibus omnibus seorsum à nobis scriptum est in illo *tractatu* qui inscribitur, *de iis qui verno tempore egent euacuatione.* Est autem iste tractatus pars totius salubris tractationis.

XLVIII.

Τοῖσι σπληνώδεσι δυσεντερίη ἐπιγενομένη ἀγαθόν.

Lienosis difficultas intestinorum superueniens, bonum.

Paulò antea hunc aphorismum exposui, cùm sermo habebatur de aphorismo in hunc modum scripto: *Quicunque lienosi à difficultate intestinorum capiuntur, iis longam superuenientem intestinorum difficultatem aqua inter cutem excipit, vel læuitas intestinorum, & moriuntur:* Quare isti impræsentiarum proposito nulla est alia expositio necessaria.

XLIX.

Ὁκόσα ποδαγρικὰ νοσήματα γίνεται, ταῦτα ἀποφλεγμήναντα ἐν τεσσαράκοντα ἡμέρῃσι, ἀποκαθίσταται.

Qui

Quibuscunque morbi podagrici fiunt, ij sedatâ in quadraginta diebus inflammatione, finiunt.

Podagricorum inflammatio fluxione fit ad pedum articulos decumbẽte: hanc autem fluxionem suscipiunt, primùm quidem loca articulationum, deinceps circumstantia omnia vsque ad cutem. Quia verò impleri dicimus articulationes, liquet etiam ea, quæ ipsis circumiacent, ligamenta extendi esse necessarium. Neruos tamen & chordas non est verisimile in ipsis inflammari, sed solùm dolere, quia simul cum articulationibus extenduntur: argumento autem est, quoniam visus est nunquam podagricus pati conuulsionem, quæ frequenter solet in neruorum ac chordarum inflammationibus aduenire: verùm intentio sanationis eis communis est cum omnibus inflammatione laborantibus: quoniam dissolui oportet id quod ad pedes defluxerit, siquidem tenuiorem habuerit substantiam, tempore breuiore; si verò crassam vel tenacem, longiore: & longius adhuc tempus requiret, si simul crassum atque etiã tenax illud, quod defluxit, existit: vltra tamen spatium dierum quadraginta non prorogabitur curatio inflammationis, si videlicet & Medicus in suo opere non aberrauerit,

&

& æger illi in omnibus obedierit. Quæ verò carnoſas partes occupat inflammatio, morborum acutorum ſubiicitur termino, diebus ſcilicet quatuordecim : quoniam carnis ſubſtantia mollior eſt ac rarior quàm neruorum ac ligamentorum natura;vnde & tardiùs inflammari incipit natura ligamentorũ, chordarum, atque neruorum, quando vulneratur, & longiori tempore ad conſiſtentiam inflammationis peruenit,ac tardiùs ſanatur. Quâ enim ratione vix aliquid in ſe humoris externi ſuſcipiunt, cùm duræ ſint ac denſæ huiuſcemodi partes, hac ipſa ratione cum difficultate dimittunt Quapropter Hippocr. podagricis inflammationibus terminum integræ ſolutionis, non diem quartumdecimum,ſed quadrageſimum poſuit : quia qui in articulationibus humores inſunt, pet ligamenta ipſa amplexantia oportet per modum vaporis euacuari, & qui etiam in ipſa ligamenta inciderunt. Meminit autem & in *Prognoſtico* quadrageſimi diei, vt in quo iudicantur morbi, quicunque neque iam ſunt diuturni exquiſitè, & acutorum termino exciderunt. Dictum autem eſt pleniùs de talibus in *tractatione dierum iudicatoriorum*.

L.

ΟΚόσοισιν ἂν ὁ ἐγκέφαλος διακοπῇ, τουτέοισιν ἀνάγκη πυρετὸν καὶ χολῆς ἔμετον ἐπιγίνεσθαι.

Quibuscunque præciditur cerebrum, iis necesse febrem, & bilis vomitum superuenire.

Præciso cerebro aduenit febris, eâ ratione communi, quâ quolibet membro principali patiente inflammationem, subsequitur febris. Bilis verò vomitus fit compatiente ventriculo propter eius cum cerebro communicationem, & ore præsertim ipsius, ad quod terminatur ex cerebro magna quædam neruorum coniugatio. Consueuit quidem & aliter in magnis doloribus atque mœroribus fortibus ad ventriculum fluere biliosa superfluitas: & multò magis cùm ipse malè affectus fuerit. Ad ea enim, quæ talia sunt, feruntur partium proximarum superfluitates, quæ præsertim tenuem habent substantiam, qualis est ipse biliosus humor, atque vnà cum eo quæcunque serosa superfluitas, quæ sæpius in vomitibus bili commiscetur: & rarò admodum accidit, vt bilis exquisita euomatur, qui serosam superfluitatem non videamus admistam. Apparet autem & in sanis, cùm diu à cibo abstinuerint, præsertim in illis qui naturâ sunt bilio-

 siores,

ſiores, tales in ventriculum humores admitti: quod & ipſius morſus, & vomitus manifeſtant. Non ſolùm autem cerebro vulnerato euomunt homines bilem, ſed & durâ membranâ circumſtante, quæ cùm multis partibus ſit cerebro naturaliter connexa, citiſſimè ei communicat proprias paſſiones. Eraſiſtrati autem ſectatores cùm ipſas membranas velint eſſe principia neruorum, membranam craſſiorem inquient, ſuæ naturæ ratione, ſi ſola ſit vulnerata, tales afferre caſus. Si verò vſque ad cerebrum vulnus peruenerit, quoniam ambæ membranæ prius illud admiſerint, nuper dictarum ſequi paſſionum ortum fatebuntur. Dixi autem Eraſiſtrati ſectatores, & non ipſum Eraſiſtratum talia dicturos: quoniam cùm iam ſenex eſſet (vt illi inquiunt) ſcripſit libros diuiſionum, in quibus cerebrum eſſe neruorum principium demonſtrauit. Dictum autem eſt de his in *commentariis de Hippocratis ſectione.*

L I.

Ὁκόσοισιν ὑγιαίνουσιν ὀδύναι γίνονται ἐξαίφνης ἐν τῇ κεφαλῇ, καὶ παραχρῆμα ἄφωνοι γίνονται, καὶ ῥέγχουσιν, ἀπόλλυνται ἐν ἑπτὰ ἡμέρῃσιν, ἢν μὴ πυρετὸς ἐπιλάβῃ.

Quicunque ſani dolore capitis repentè capiuntur,

piuntur, & statim muti fiunt, & stertunt, in septem diebus pereunt, nisi febris apprehenderit.

Mutos solet Hippocrates nominare, non eos tantùm quibus læditur vox, verùm secundum exuperantiam quandam vnà cum eius læsione dat nobis intelligendas omnes voluntarias operationes. Nonnunquam igitur illis oblæsis non interit sẽsus. Quos enim ipse mutos appellat, cõtingit esse sentientes. Sed sæpius vtraque patiuntur: & talem affectum vocant apoplexiam. Est autem hæc, alia quidem debilis, alia verò fortis: atque ideò dixit: *Soluere apoplexiam fortem impossibile, debilem verò non facile.* Videtur autem nunc fortis apoplexiæ indicium apposuisse, quod stertere dixit: quod etiam profundè dormientibus accidit, secundum dispositionis similitudinem: sed diuerso quidem modo, cùm tamen sit vtrisque commune stertere. Est etiam communis ambobus eius quæ fit per neruos operationis debilitas: & dictum est de his ampliùs in ea, quæ *de locu patientibus* inscribitur *tractatione.* Nunc verò quantum ad expositionem aphorismi sufficiet, dicetur à nobis. Cùm sanis dolor in capite repentè aduenerit, causam referre oportet in primis ad spiritũ flatuosum: sed etiam

ad materiæ vniuersim fluentis multitudinem, quam & nunc ad cerebrum fuisse delatam indicant casus qui post dolorem superuenerunt, per quos etiam quòd sit quædam materia pituitosa commonstratur, atque idcirco febris superueniens soluit dispositionem: vt quæ calefaciat, extenuet, atque resoluat spiritum flatuosum, & pituitosos humores. Fit autem hoc nonnunquam tribus diebus, aut quatuor, nonnunquam verò pluribus, non tamen vltra dies septem, quia pars est principalis: tales verò partes non diu tolerant fortes simul ac diuturnas passiones: vt sæpiùs ostendimus.

L I I.

Σκοπεῖν δὲ χρὴ καὶ τὰς ὑποφάσιας τῶν ὀφθαλμῶν ἐν τοῖσιν ὕπνοισιν. ἢν γάρ τι ὑποφαίνηται ξυμβαλλομένων τῶν βλεφάρων τοῦ λευκοῦ, μὴ ἐκ διαῤῥοίης ἐόντι ἢ ἐκ φαρμακοποσίης, φλαῦρον τὸ σημεῖον καὶ θανατῶδες σφόδρα.

Oportet verò considerare oculorum in dormientibus suspectiones. Nam si quid album commissis palpebris subinspicitur, neque ex alui profluuio, aut medicamenti potione istud contingat, malum est signum, & lethale valde.

Aut ob palpebrarum siccitatem, aut propter potentiæ ipsas mouentis imbecillitatem,

tem,aliquid albi ſubinſpicitur,cùm oculi integrè claudi non poſſunt. Ob hoc igitur ipſum in alui profluuiis,& medicamentorum purgantium potionibus , oculorum albedinis aliquid ſubinſpicitur, quando dormiunt. Nam totum corpus exſiccatur, & vires fiunt imbecilles ex talibus euacuationibus. Plus autem ſiccitas in palpebris innoteſcit , quoniam ſunt naturâ ſiccæ.Sicuti ergo coria exſiccata difficulter extenduntur,eodem modo & ſimiles corporis partes. Quinetiam quòd potentiâ exiſtente imbecilli,non ſolùm non poſſint exquiſitè oculos claudere , ſed ne os quidem, vnde hiantes dormiunt, liquet vnicuique, rei naturam diligentiùs animaduertere volenti.

L I I I.

Αἱ παραφροσύναι, αἱ μὲν μετὰ γέλωτος γινόμεναι ἀσφαλέστεραι, αἱ δὲ μετὰ σπουδῆς, ἐπισφαλέστεραι.

Deſipientiæ , quæ cum riſu fiunt, ſecuriores; quæ verò cum ſtudio, periculoſiores.

Nulla quidem deſipientia ſecura eſt:minùs verò periculoſæ ſunt, quæ cum riſu fiunt: ſicuti temerariæ, vt ipſe nominat, omnium periculoſiſſimæ : in medio autem ambarum ſunt , quæ cum ſtudio fiunt. Fiunt autem

omnes patiente cerebro, siue primò & per seipsum, siue per compatiendi rationem: differunt autem inuicem per causas ipsas efficientes. Quæcunque enim ex sola fiunt caliditate sine humore vitioso, similes quodammodo sunt eis quæ ex ebrietate contingunt. Quæcunque verò ex flaua bile cum studio perficiuntur, ipsa verò multum exusta, vt iam magis ad atræ bilis naturam accedat, sunt insaniæ multum furiosæ. Nam oportet ad memoriam reuocare ea, quæ in aliis locis de atra bile præfiniuimus, quòd quædam ex flaua bile perusta gignitur: quæ omnium est pessima. Quæ verò ex sanguinis velut fæce fit, crassiore quidem est quàm illa substantiâ, sed multum discedit ab ipsius malignitate. Dictum autem est, quòd eam, quæ est veluti fæx sanguinis, cûm volumus exquisitè loqui, nondum atram bilem nominamus, sed humorem melancholicum. Nominibus verò abutentes, atram bilem aliquando etiam vocamus, quoniam si non priùs euacuetur, paulo pòst atra futura est.

L I V.

EN τοῖσιν ὀξέσι πάθεσι τοῖσι μετὰ πυρετοῦ, αἱ κλαυθμώδεες ἀναπνοαὶ, κακαί.

In a.utis passionibus, quæ cum febre sunt, luctuosa suspiria, mala.

Infantes

Infantes ſæpè videntur, quo plorant tempore, reſpirare interrupto ſpiritu,ſubſiſtente interim thorace, deinde rurſus id quod deeſt adiiciente:quod ipſe in *Epidemiis* in hunc modum dixit, *Duplex intrò reuocatio, veluti ſuperinſpirantibus*: & accidit hoc nonnunquam potentiâ fatigatâ, nonnunquam ex duritia inſtrumentorum, nonnunquam verò ambabus cauſis ſimul conuenientibus: interim etiam propter aliquam muſculorum pectoris ſimilem conuulſioni diſpoſitionem; nam facultas imbecillis, quando ſemel non poteſt thoracem tantum dilatare, quantùm animali eſt neceſſarium, in medio ſubſiſtit opere & quieſcit, deinde rurſus ſe excitat: durum verò organum cùm non promptè obſequatur facultati dilatanti, ab ipſa violenter ſuccuſſum dilatatur. De conuulſoria autem diſpoſitione quid attinet dicere,quòd talem faciat reſpirationem? Si enim frigus muſculos thoracis apprehenderit, vel etiam neruos:durities quædam inſtrumentis adueniet, & motus conuulſioni ſimilis, quam febris ſuâ eſt apta naturâ ſanare, & calida auxilia. Febre verò cum his exiſtente,non poſſumus cauſari muſculorum thoracis, ſiue neruorum frigiditatem, ſed vel duritiem comparatam, vel virium imbecillitatem, vel

conuulsioni similem dispositionem. Quidquid verò horum in causa sit, non est bonum in morbo acuto contingere. Si itaque de sola motione instrumentorum respirationi obseruientium luctuosa respiratio ab ipso dicta fuit, iam ad finem expositio peruenit. Sin autem & cum tali aliquo sonitu vult dictam contingere respirationem, qualis flentibus accidit, vltra dictas causas quandam ostendet dolorosam dispositionem: ex qua, veluti flentes, vel gementes, vel aliquem mistum ex vtrisque sonum edentes, in hunc modum respirant.

LV.

ΤΑ' ποδαγρικὰ τοῦ ἦρος καὶ τοῦ φθινοπώρου κινέεται ὡς ἐπὶ τὸ πολύ.

Dolores podagrici vere, & autumno, magna ex parte mouentur.

Podagricæ passiones, sicuti & omnes aliæ articulares, vere augentur: atque ideò ipse superiùs in enumeratione morborum vernalium, etiam articularium commeminit, in quibus scilicet etiam podagrici continentur. Exacerbantur quidem aliquando & autumno iis, quibus per æstatem, quo tempore fructus maturantur, vitiosi aliqui humores fuerint coaceruati. Ostensum enim à nobis est, in *commentariis de potentiis naturalibus*, quòd

quòd singulis partibus sicuti aliæ potentiæ, ita & illa inest, quæ materias infestas excernit. Infestant autem aliquæ suâ multitudine aggrauantes, aliæ verò extraneâ qualitate affligentes. Secundum vtrumque igitur iis qui hyberno tempore in victu deliquerint, verno tempore diuturni morbi exacerbantur, fusis humoribus, deinde à fortibus ad loca debilia detrusis: secundum alterum verò, tantummodò autumnali.

LVI.

Τοῖσι μελαγχολικοῖσι νοσήμασιν, ἐς τάδε ἐπικίνδυνοι αἱ ἀποσκήψιες, ἢ ἀποπληξίην τοῦ σώματος, ἢ σπασμὸν, ἢ μανίην, ἢ τύφλωσιν σημαίνει.

In morbis melancholicis in hac pericula inciditur: stuporem corporis, vel conuulsionem, vel furorem, vel cæcitatem significant.

Fiunt quidem etiam propter pituitosum humorem apoplexiæ, & conuulsiones, & cæcitates. Fiunt autem & propter melancholicum, quoniam communis vtrique est crassitudo: non tamen furor est passio communis. Nunquam enim hic ex pituitoso humore ortum habet, cùm ad eius generationem humore irritante & mordente opus sit. Talis autem est semper quidem flaua

 bilis:

bilis: melancholicus autem humor non semper, sed cùm supra modum exustus, aut putrefactus, malignam induerit acritudinem.

LVII.

Αποπληκτοι δ' μάλιστα γίνονται ἡλικίῃ τῇ ἀπὸ τεσσαράκοντα ἐτέων ἄχρις ἑξήκοντα.

Apoplexiæ autem fiunt, maximè à quadragesimo anno vsque ad sexagesimum.

Non omnem apoplexiam, sed nuper dictam tantummodò (quæ ex atra sola fit bile) contingit aduenire iis qui dictam agunt ætatem: quoniam in his maximè abundat atræ bilis humor, quemadmodum etiam in autumno. Quòd si volumus simpliciter pronunciare, plures senes laborant apoplexiâ. Si igitur sermo debeat esse verus, iungendus est cum priore aphorismo, ac si ita diceretur: In morbis melancholicis in hæc pericula inciditur, stuporem corporis, qui homines occupat à quadragesimo anno vsque ad sexagesimum.

LVIII.

Ην ἐπίπλοον ἐκπέσῃ, ἀνάγκη ἀποσαπῆναι.

Si omentum excidat, necessariò putrescit.

Propter sermonis breuitatē falsus esse videbitur aphorismus iis, qui non rectè ipsum intelli

intelligunt. Quod enim dicitur, huiusmodi est: Quando exciderit, hoc est, quando nudatum fuerit, & extra peritonæum, id est, membranam abdominis interiorem, omentum exierit, non contingit ipsum ad locum proprium restitutum, sanum & saluum fieri: sicuti si aliud aliquid extrà promeretur, veluti intestinum, aut aliqua visceris fibra. Illa etenim nisi longo tempore frigefiant, quando vulnus in parte ventris superiore factum, ad cicatricem perductum fuerit, pristinam recipiunt temperaturam. Omentum verò, etiamsi minimo nudetur tempore, reductum putrescit: quam ob causam Medici partem illam, quæ fuerit nudata, solent resecare. Hanc igitur sententiam habet aphorismus, licèt confusiùs in verbis dictis proponatur. Si quis verò aliquando vidit omentum, quod paruo tempore extrà prodierit, & deinde ad suum locum reductum non putruerit, perpetuam quidem non esse probabit Hippocratis enunciationem: illud tamen seruabit, quod magna ex parte solet accidere, & commune est huic aphorismo cum aliis ab Hippocrate prolatis: vt perpetuitatem quandam dicendi figurâ indicet, quamuis res ipsæ non semper eodem modo eueniant, sed licèt rarò, aliquando tamen aliter accidant.

Οκόσοι

LIX.

Ὁκόσοισιν ὑπὸ ἰσχιάδος ἐνοχλουμένοισι χρονίης ἐξίσταται τὸ ἰσχίον, καὶ πάλιν ἐμπίπτει, τουτέοισι μύξαι ἐπιγίνονται.

Quibuscunque à longo coxendicum dolore molestatis cauitate suâ excidit coxa, & rursus recidit, iis mucores superueniunt.

Sæpè in articulis humor pituitosus aceruatur, quem mucorem appellat: à quo madefacta articulationis ligamenta laxiora redduntur: atque ideo facilè à cauitate articulus excidit, & rursus facilè recidit: quæ nunc ait accidere iis, qui ita morbo laborant coxendicum. Quando autem coxam ait excidere, articulum coxæ debemus intelligere: quomodo etiam in *libro de articulis* dicebat: *Humeri autem articulum vno modo noui lubricare*, ac si dixisset, articulum secundum humerum.

LX.

Ὁκόσοισιν ὑπὸ ἰσχιάδος ἐνοχλουμένοισι χρονίης, τὸ ἰσχίον ἐξίσταται, τουτέοισι τήκεται τὸ σκέλος καὶ χωλοῦνται, ἢν μὴ καυθῶσιν.

Quibuscunque à coxendicum dolore molestatis

tis diuturno excidit coxa, iis femur tabescit, & claudicant, si non vrantur.

Hunc aphorismum non debemus à superiore seiungere, sed ipsum coniungentes, ita vnum accipere sermonem. Vult enim dicere, quòd à coxendicum morbo molestatis, quibus propter mucoris multitudinem articulus excidit, & rursum recidit, necessarium est processu temporis femur contabescere, nisi priùs vrendo mucorem exsiccemus: quod in *libro de articulis* consulit fieri in brachio iugiter excidente; nam & nunc eadem est sermonis vis, cùm ipse suadeat aduri coxam, vt in *libro de articulis* docebat: vt & id quod mucosum absumatur, & vt laxitas cutis, ad quam articulus lubricabat, magis ex adustione contracta arctet, & prohibeat ipsum loco migrare. Quòd si ob multitudinem mucoris extra suum locum diu coxa steterit (est profectò iam hoc cruris claudicatio) necessariò per atrophiam femur contabescet, vt etiam aliis omnibus solet accidere, priuatis motibus, qui illis sunt secundùm naturam.

Τμῆμα ἕβδομον.

GALENI IN APHORISMOS Hippocratis,

COMMENTARIORVM

LIBER SEPTIMVS.

Omnes ferè, qui antea ſcripſerunt expoſitiones aphoriſmorum, circa initia quidem vlterius quàm ſit vtile, ſermonem extendunt: ſed in proceſſu deficiunt. Ita vt principio quidem vtilia tantùm attingant: deinde eadem incompletè tractẽt, tandem extremè expoſitiones circumcidant, adeò vt ne quidem adhuc animaduertant plures aphoriſmos eſſe nothos, & in propatulo falſos. Verùm vt qui ſunt in diſputationibus fatigati, promptè ad omnia annuũt: ita & ipſi omnes admittunt quoſcunque ſcriptos inuenerint aphoriſmos, ac tandem ad vltimam deueniunt in ſuis expoſitionibus breuitatem, obliti prioris loquacitatis. Non verò alias ipſorum

ipsorũ absurditates conati sumus euitare, & omnes ex æquo expositiones studuimus ad veritatis simul,& vtilitatis scopum arte quadam dirigere, ac dicendo neque ad extremam breuitatem contrahere, (hoc enim libro conuenit, non libri expositioni) neque ad tanquam prolixitatem, quantam illi faciunt in principio expositionum,protrahere: sed in omni sermone mediocritatem,quæ est in omni tractatione optima, à principio vsque ad finem seruare laborauimus.

Aphor. I.

EN τοῖσιν ὀξέσι νοσήμασι ψύξις ἀκρωτηρίων, κακόν.

In morbis acutis frigus[1] partium extremarum, malum.

In morbis diuturnis, qui præsertim sunt sine febre, & hyeme, & ætate senili, partes extremas corporis,veluti nares,aures,pedes, & extremas manus frigidas fieri,nihil mali. Non tamen in acutis est mediocre malum, sed symptoma valde perniciosum:quod magnis accidit viscerum inflammationibus. Acutos autem ipse ait vocari morbos, quorum febres magna ex parte continuæ sunt: in

in quibus cùm fuerint ſine magna inflammatione, non modò non extrema frigeſcere, ſed exuri contingit, Cùm verò inflammationis calor adeò vehemens fuerit, vt ad ſe trahat modo cucurbitulæ ex toto corpore ſanguinem: iis qui ita ſe habent, viſcera peruruntur, extremæ autem partes frigeſcunt, propter defectum ſanguinis ad viſcera ſe recipientis: & eorum plerique ne tegumenta quidem tolerant, propter incendium quod in viſcere ſentiunt.

II.

Ἐπὶ ὀστέῳ νοσοῦντι σὰρξ πελιδνὴ, κακόν.

In oſſe ægrotante caro liuida, malum eſt.

Non enim in mediocribus oſſium læſionibus, ſed fortibus putrilaginibus, talis ſpecies coloris circumſtantibus aduenit carnibus, extincto in eis ſcilicet calore natiuo.

III.

Ἐπὶ ἐμέτῳ λύγξ καὶ ὀφθαλμοὶ ἐρυθροὶ, κακόν.

A vomitu ſingultus & oculorum rubor, mal m

Qualis paſſio eſt conuulſio muſculis, talis eſt ſingultus ſtomacho: qui aduenit humoribus infeſtãtibus, nonnunquam totum ipſum ventriculum, nonnunquam os eius, & gulam:

lam: quos per vomitiones abiiciens, ſtatim à ſingultu liberatur. Qui ſi neque per iſtas ceſſauerit, duorum alterum oſtendit, vel ſcilicet cerebrum neruorum principium, vel ventriculum pati non mediocrem inflammationem. Rubor verò oculorum vtramque ſequitur diſpoſitionem, ſed præcipuè illam quæ in cerebro exiſtit, ſimilis inflammationi.

IV.

Ἐπὶ ἱδρῶτι φρίκη, οὐ χρηστόν.

A ſudore horror, non bonum.

Quòd iudicatoria, quæ non iudicant, partim mortalia, partim malè iudicantia ſunt, ab ipſo dictum eſt, quoniam natura in huiuſcemodi diſpoſitionibus morbo ſuccumbit.

V.

Ἐπὶ μανίῃ δυσεντερίη, ἢ ὕδρωψ, ἢ ἔκστασις, ἀγαθόν.

A furore difficultas inteſtinorum, vel aqua inter cutem, vel mentis alienatio, bonum.

Difficultatem quidem inteſtinorum, vel aquam inter cutem, tranſmutationis ratione, eſſe furoris ſanationem, non eſt extra rationem, cùm à capite noxij humores trāsferantur ad inferiora. Mentis autem alienatio tantum abeſt, vt ſit furoris ſolutio, quòd cuiſ-

piam magis diceret esse incren
si reuera Hippocr. continuum
mentem furorem, alienationen
minauit:quendam nouimus à fu
cri quo priùs detinebatur, ita
tum : vnde ratiocinando per
vehementi motu causarum effi
rorem, solutionem fuisse
quemadmodum in morbis acu
tissimi casus solent aliquando
operari.

V I.

Ἐπὶ νόσῳ πολυχρονίῃ ἀποσιτίη κὴ
χωρήσιες, κακόν.

In morbo diuturno fastidium c
ctiones sinceræ, malum.

Fastidium cibi per seipsum p
gnum in morbis diuturnis. Nam
talibus morbis sunt euasuri, cor
ctus solet accidere, vehemens s
rum appetentia. Quare cibi fast
quaquam bonum est signum :
magis, quando fuerint etiam pra
nes. Sinceras verò deiectiones
impermistas aquosæ humiditati
lus humor qui vacuatur, deiici
biliosus, siue melancholicus, siue
rem præ se ferat, siue bilis, qua

nominatur. Nam deiectiones huiuſcemodi exuſtam eſſe omnem natiuam humiditatem à calore febrili demonſtrant.

VII.

EK πυλυποσίης ῥῖγ© καὶ παραφροσύνη, κακόν.

Ex multa potatione, rigor, & deſipientia, malum.

Quod quidem multa potatio non aquæ, ſed vini potionem ſignificet, vnicuique manifeſtum. Deſipiunt autem ex talibus potionibus aliqui, capite oppleto plurimo ſanguine, ac ſpiritu calido. Ob hanc ipſam verò cauſam & calidiores redduntur, præcipuè quidem caput, ſed etiam corpus vniuerſum. Pauci enim ex ipſis ſunt, qui cum deſipientia rigeant, in quibus calor natiuus non accenditur, ſed ob multitudinem extinguitur, ſicuti ignis lignorum multitudine ſuperiniecta, & lucernæ flamma oleo vniuerſim ſuperfuſo.

VIII.

Επὶ φύματ© ἔσω ῥήξεως, ἔκλυσις, ἔμετ©, καὶ λειποψυχίη γίνεται.

A tuberculi introrſum ruptione, virium deiectio, vomitio, aut animi defectio fit.

Tuberculum nominauit, quod in aliis ipſe

solitus est vocare suppurationem
verò ipsius ruptionem, ad ventri
ad hanc enim consequitur vom
tuberculorum in thoracem, at
nem ruptio, non vomitiones, se
tate quidem tussim excitat; sæpiu
focat: quemadmodum suppurati
testina ruptiones, puris faciunt d
Communis autem omnium ru
virium deiectio, & animi defect
Aph. 27 *l.* 6. vitalis spiritus excretionem, vt
est demonstratum.

IX.

Ἐπὶ αἵματος ῥύσει παραφροσύ
σμὸς, κακόν.

*A profluuio sanguinis, desipienti
sio, malum.*

Hic aphorismus magnā nobis
tatem ad persuadendum, quòd ali
desipientia ex defectu, quo mod
ac pedum tremores. Hæc siquide
propter potentiæ ipsa mouentis i
tem infirmas habent motiones,
autem erroneas: ideò non est veh
desipientiæ genus, sed mediocre
quispiam diceret, delirantis. Ips
solet mediocrem insaniam *para*
est, delirium nominare. Si ergo co

quando tali desipientiæ coniungatur, omnino salus est desperata. Quædam autem exemplaria cum & coniunctione, scripta sunt, quædam verò cum disiunctiua *vel*, secundum quem etiam desipientia non bonus est casus post sanguinis fluxum, etiamsi sola contigerit: multo autem minùs conuulsio, vel si absque desipientia facta fuerit. Maximum verò malum est ambarum conuentus: vbi sola etiam ex immoderata euacuatione conuulsio, casus est admodum exitialis; nam desipientia minùs mala est.

X.

Ἐπὶ εἰλεῷ ἔμετος, ἢ λύγξ ἢ σπασμὸς, ἢ παραφροσύνη, κακόν.

Ab ileo vomitus, singultus, conuulsio, vel desipientia, malum.

In ileis nihil descendit ad inferiora, & hoc est propriùm inseparabile passionis. Vomitus autem non semper adest, sed quando exitiales sunt: & si vehementiùs distorqueantur, stercus eis superiora petit, atque singultiunt. Quidam verò desipiunt & conuelluntur, compatiente neruorum principio stomachi passioni. Hæc verò mihi fieri videntur, intestinis, in quibus passio talis existit, à se expellere stercus appetentibus, quando longo tempore molestat, & non potentibus se exo-

nerare propter factam in partib
bus obstructionem, sed coactis
turam violenter moueri,& ad lo
materiam noxiam extrudere.

X I.

Ἐπὶ περιπνευμονίῃ, κ
A morbo laterali inflamm
nu, malum.

In pluribus quidem exemplar
aphorismi adiectum est, *malum.*
dam verò ita simpliciter scribitu
laterali inflammatio pulmonis:
illis qui in hunc modum scribunt
sit bonum, vel malum, pulmonis
tio morbo laterali superueniens,
cere; sed simpliciter, hoc vnum t
dò, quòd morbus lateralis soleat
nis inflammationem transmutari.
laterali pulmonis inflammatio su
Hæc autem transmutatio fit, qua
cessante morbo, aduenit alter.
autem, quando altero manente, al
tur. Verùm hoc in loco videtur H
superuenientibus agere, quibus
inest, quòd mala sint, adeò vt et
verbum *malum* non adiiciatur,
dicendum sit, pro communi dicen

vel potentiâ ostendi sit existimandum. Omnis enim huiuscemodi superuenientium generatio, neque paruos, neque mites insequitur morbos, sed magnos atque malignos. Exempli gratiâ statim in dictis in *aphorismo* passionibus: quando non potest is, qui morbum facit lateralem, in costis humor contineri, pars eius aliqua ad pulmonem fertur. Ad inflammationem autem pulmonis, morbus lateralis non admodum consequi solet, quoniam si mitis fuerit inflammatio, omnis humor noxius per sputum expurgatur: in perniciosis verò, antequàm costæ vnà patiantur, suffocat ægrum.

XII.

Ἐπὶ περιπνευμονίῃ φρενῖτις, κακόν.

A pulmonis inflammatione phrenitis, malum.

Quando à calido humore fit inflammatio pulmonis, quæ multos vapores transmittit ad caput, cerebrum implet vaporibus, & facit phrenitidem: alia autem communia sunt cum superiore aphorismo, neque cum eo tantùm, sed etiam sequentibus.

XIII.

Ἐπὶ καύμασιν ἰσχυροῖσι σπασμὸς ἢ τέτανος, κακόν.

Ab æstibus fortibus conuulsi
malum.

Multi expositores ita scribi h
mum cognouerunt. Marinus v
ribus, scribit. Etenim sequent
mum ait sibi adstipulari. Ac ve
est, quòd & à vulneribus forti
flammationes ac conuulsiones.
nes ferè expositores, præcipuè v
lam nôrint scripturam quæ hab
fortibus, melius est, vt nos etiam
ponamus. Nonnulli quidem pe
quod febres intellexerunt: nc
aëris ambientis feruorem ita
xerunt: alij pro cauteriis & e
piunt: & omnes verum dicunt. S
enim his omnibus haudquaqua
tetani, ac conuulsiones, propte
siccitatem, quas diximus esse pe

XIV.

Ἐπὶ πληγῇ ἐς τὴν κεφαλὴν ἔκπ
φροσύνη, κακόν.

Ex capitis ictu obstupescentia
tia, malum.

Desipientia quidem agnoscitu
bus, agentibúsve nihil consenta
ni. Obstupescentia verò, quand
quid dicunt, neque agunt, sed ap

quieti manent,ſimiles iis qui ex timore ſunt attoniti. Quòd verò hæc omnia huiuſcemodi fiant cerebro patiente,manifeſtum;oſtenſum enim eſt in eo eſſe animæ principatum. Si igitur in fine aphoriſmi ſcriptum ſit, *malum*, liquet quòd rectè dictum fuit : indicio enim ſunt, quòd ictus intrà ad cerebrum penetrauerit.Si verò non ſcribatur,nos nihilominus poſſumus ſubaudire , ſicuti antea diximus,à communi. Poſſumus autem & quia huiuſcemodi caſus vnà indicant cerebri læſionem , magnitudinem paſſionis conſiderare.

XV.

Ἐπὶ *αἵματος πτύσει πύου πτύσις, κακόν.*

A ſanguinis ſputo puris ſputum,malum.

Quòd omnis hæc enumeratio ſit eorum, quæ propriè ſuperuenientia vocantur (de quibus & Praxagoras vnum volumen ſcripſit haud paruum) manifeſtum eſſe arbitror ex ipſo aphoriſmo. Neque enim omne ſputum ſanguinis , ſequens habet ſputum purulentum, ſed quod malignum exiſtit ſolum : tale autem eſt omnino ex pulmone.

XVI.

Ἐπὶ *πύου πτύσει φθίσις καὶ ῥύσις. ἐπὴν δὲ τὸ πτύελον ἴσχηται, ἀποθνήσκουσιν.*

A puris ſputo, phthiſis & flux ſputum retinetur, moriuntur.

Quam propriè Græci, & præ nienſes nominant phthoën, ha pocr. phthiſin nominauit, pul inſanabilia conſequentem to cum febre parua extenuatione autem aut de capillorum deflu humida dixit deiectione: amba ſueuerunt euenire, cùm tabidi a mali perducuntur, alterum ex ſi rum ex potentiæ debilitate. Q fine ſcribitur: *Si autem ſputum moriuntur*: modum mortis oſte qui ex phthoë moriuntur. Eò extenuati viuunt: donec per ea poſſunt pulmonem expurgare. intus manent; obſerantur quid ritus, patientes verò ſtrangula

XVII.

Ἐπὶ φλεγμονῇ τῷ ἥπατος λύγξ,
In hepatis inflammation malum.

Dixi & antea, quòd omnes ſcripti aphoriſmi de caſibus doc ſionibus auctis & iam deteriorib perueniunt. Quo modo igitur

tus hepati inflammationem patienti dicitur ſuperuenire? Non ſemper, neque quomodolibet patienti, ſed quando in magnitudinem attollitur, feruente inflammatione: in quo feruore ſtomachus ad compaſſionem trahitur nonnunquam, communi neruorum ratione, qui ſunt (vt ipſe docuit, in *ſecundo Epidemiorum*) breuiſſimi: Quare tunc ſolùm compaſſio fit ſtomachi cum hepate, quando inflammatio & maxima & peſſima fuerit: Nonnunquam etiam bile multum calidâ & multâ in huius viſceris inflammationibus genitâ, ac confluente ad inteſtinorum principium: quâ ſuperfluitante, atque ad ventriculum recurrente, contingit os eius morderi, atque ideò ſingultire. Nonnulli verò arbitrantur, magnitudinem inflammationis ventriculum premere, ac ſingultum facere, non habente exitum ſpiritu, quemadmodum inquiunt.

XVIII.

Ἐπὶ ἀγρυπνίῃ σπασμὸς ἢ παραφροσύνη, κακόν.

Ex vigiliis conuulſio vel deſipientia, malum.

Quidam & hoc loco *malum* ſubiungunt. Nos verò priùs diximus, quòd etiamſi non ſubiungatur, potentiâ continetur. Cur verò

immo

immoderatis vigiliis conuulsi
desipientia, manifestum est ei c
minerit. Nam dictum est & a
crate, conuulsionem ita à re
sicuti ab euacuatione. Ex iis a
ximè euacuant & exsiccant, vig
que ideò conuulsionem ex sic
ac desipientiam, immodicæ s
ne, ac prætereà quia in longis
sior redditur sanguis. In quib
exemplaribus, & quidem dilig
ptis, hic aphorismus scriptus
desipientia, hoc modo videli
conuulsio. Quia, vt arbitror, p
quæ superueniunt, ab Hippocr
hoc loco.

XIX.

Ἐπὶ ὀστέῳ ψιλώσει ἐρυσίπελας.

Ex ossis nudatione erysip

Hoc in loco maximè opor
malum. Neque enim hoc dicit
aut magna ex parte nudatis o
las superueniat (nam potiùs c
rum est, quòd ita patientibu
superuenit erysipelas) sed quòd
est, osse nudato, carnem circun
ri ab erysipelate apprehensam.

XX.

Ἐπὶ ἐρυσιπέλατι σηπεδὼν ἢ ἐκπύησις, κακόν.
Ab eryſipelate putredo, aut ſuppuratio, malum.

Clarum eſt & in hoc ſermone, quòd malignis eryſipelatis hæc ſuperueniunt.

XXI.

Ἐπὶ ἰσχυρῷ σφυγμῷ ἐν τοῖσιν ἕλκεσιν αἱμοῤῥαγίη, κακόν.
A forti in vlceribus pulſu, profluuium ſanguinis, malum.

In vlceribus inflammatis pulſus fit: non ferente carne incumbente arteriis, illarum motum, ſed dolente, quando illæ dilatatæ recidunt. Eſt enim huiuſmodi pulſus ſenſus quidam doloris ex arteriarum motione factus, quas ab initio non ſentiebamus, cùm membra ſe haberent ſecundum naturam: tum quia earum adhæſus non eſt moleſtus, tum quia in ſpatio laxiore mouentur. Membris verò inflammatis, & loci anguſtatio, & diſpoſitio dolorifica, triſtem afferunt laborantibus ſenſum, ex motu arteriarum, quem non ſolùm Medici, ſed omnes homines pul-
ſum

sum appellant. Videtur aute
rum motus augeri in talibus di
Ostensum siquidem est in *co*
petentiis naturalibus, quòd e
ipsi vis aliena excernens,quæ &
ticos, id est, iudicatorios faci
sanguinis, & alui inferioris d
quæcunque alia huiuscemod
hanc igitur vim nonnunquam
natura operans, magnum &
teriarum efficit motum, appe
molestant, expellere: atque it
sanguinis facit.

XXII.

Ἐπὶ ὀδύνῃ πολυχρονίῃ τ̃ περὶ
ἐκπύησις.

A ventris dolore diuturno (
Siue frigus, siue omnino aliq
intemperatura circa ventrem
ventus flatuosus, siue acritudo
non potest vt in longum tempu
si omnia circa ægrum opportun
enim in omnibus sermonibus ta
dire oportet. Relinquitur igitur,
lor perduret propter inflammati
tēporis processu scilicet suppura
minū morte præripiat: nam & h
re oportet in omnibus sermonib

XXIII.

Ἐπὶ ἀκρήτῳ ὑποχωρήσει δυσεντερίη, κακόν.

A deiectione syncera difficultas intestinorum, malum.

Deiectiones synceras solet (vt dixi) Hippocrates nominare impermistas aquosæ humiditati, quæ solum habẽt syncerum illum, qui infrà deiicitur, humorem, siue sit flaua bilis, siue atra. Nihil igitur mirum, si in talibus deiectionibus aliquod intestinum exedatur.

XXIV.

Ἐπὶ ὀστέῳ διακοπῇ παραφροσύνη, ἢν κενεὸν λάβῃ.

In ossis præcisione, desipientia, si vacuum apprehenderit.

Osse, quod in capite est, præciso, videlicet non simpliciter, neque vtcunque contigerit, sed vsque ad interiorem superficiem, quam vacũus excipit locus qui cerebrum continet, desipientia fit, nam iam passio proxima existit membranis & cerebro. Marinus autem nescio quomodo, legendum seorsum existimat, *In ossis præcisione desipientia*: & deinde facit principium aphorismi secundi, *Si vacuum apprehenderit*, adiiciens ipsi: *Ex potu medicamenti conuulsio mortale*, ita vt totus aphorismus talis fiat: *Si vacuum apprehen-*

prehenderit ex medicamenti pot
ſio, mortale. Rationabiliter enim
dici : ſemper enim factam ex
conuulſionem damnari ab Hipp
hoc quidem rectè Marinus inqui
pter immodicam euacuatione
uulſio eſt exitialis ; ſic igitur &
tione medicamenti eſt exitialis.
animaduertit, quòd ſermonem
ſum oſtendit ; nam apertè falſu
in oſſis præciſione deſipientia
enim ex alicuius oſſis alterius,
quod cerebrum tegit, præciſio
tia ſequitur, antequàm ad mem
ſio pertingat.

XXV.

EK φαρμακοποσίης σπασμὸς, θα
: *Ex medicamenti potione co*
thalis eſt.

Medicamenti potiones, & m
conſueuit Hippocrates propriè
eas tantùm quæ purgantibus fi
mentis. Quòd verò conuulſio, qua
pra modum euacuantibus, letha
quis eorum meminit, quæ ſæp
ſunt dicta, non ignorat.

XXVI.

Ἐπὶ ὀδύνῃ ἰσχυρῇ τῆς περὶ τὴν κοιλίην, ἀκρωτηρίων ψύξις, κακόν.

In forti dolore ventris, partium extremarum frigiditas, malum.

Fit quidem (ſicuti ſuprà dictum eſt) ob magnitudinem inflammationis in viſceribus, partium extremarum frigiditas: fit etiam propter animæ defectum, vel quia calor natiuus extinguitur, vel quia propter multitudinem ſuffocatur, & tum præcipuè cùm frigida fuerit. Fit etiam propter dolorem vehementem medias corporis partes occupantem, ob quem natura in ſeipſam contrahitur, & ad eam conſequitur ſanguis, non ſolùm extremas corporis partes derelinquens, veluti pedes, & manus, & caput, ſed & cutim vniuerſam. Cauſam igitur quandam particularem dixit Hippocr. hoc in ſermone partium extremarum frigiditatis, ſicuti & in pluribus aliis ſermonibus hoc ipſum feciſſe oſtendimus. Et nihil mirandum illum qui primus multa adinuenit, non omnium ſimul, ſed ſingulorum particulatim feciſſe mentionem.

XXVII.

Γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ τεινασμὸς ἐπιγενόμενος, ἐκτρῶσαι ποιέει.

Mulieri utero gerenti si te
nerit, facit abortum.

Circa inteſtinum, quod re
tur, tetanus fit, eandem hab
diſpoſitionem, quam in diffic
ſtinorum ſuſcipiunt illa quæ
inteſtina. Hæc autem paſſio
(vt inquiunt) ab illa quæ fit
ne, ob quam cùm egerere v
petant, continuè exurgunt. O
tentionem atque moleſtiam
corpus laborat, ſed præcipuè
cognata eſt recto inteſtino.
mirum, ſi propter vehemen
quentes exurrectiones concep
quando & ex aliis omnibus
bus atque doloribus mulieres
lent abortire.

XXVIII.

Ὅτι ἂν ὀςέον, ἢ χονδρὸς, ἢ
ἐν τῷ σώματι, οὔτε αὔξεται,

Quando os, aut cartilago,
ſcinditur in corpore, neque au
coaleſcit.

Et hic aphoriſmus iam ſcrip
his verbis: *Quando diſciſſum*
cartilago, vel neruus, vel max
præputium, neque augetur, ne

& nos in *sexto commentario* ipsum antea exposuimus. *Aph.19. sect.6.*

XXIX.

Ἡν ὑπὸ λευκοῦ φλέγματος ἐχομένῳ διάρροια ἐπιγένηται ἰσχυρὴ, λύει τὴν νοῦσον.

Et qui leucophlegmatiâ detinetur, si fortis ventris fluxus superuenerit, à morbo liberatur.

Consueuêre & alij Medici quandam aquæ inter cutem speciem, leucophlegmatiam nominare, nimirum tanquam quæ constet pituitâ liuidâ, vel sui quidem ratione semper alba, sed quæ propter mistionem quorundam aliorum humorum verum mutet colorem. Potest etiam, sicuti in *libro de articulis* scripsit, *Vertebræ autem quæ in spina sunt*, non tanquam sint alibi, volens distinguere, sed simplici vtens adiectione: ita & hoc in loco absque distinctione, *albi* fecisse adiectionem. Ex forti autem alui profluuio, vel diuturno (vtrumque enim scribitur) solui albæ pituitæ superabundantiam, commune est cum multis aliis, quæ similiter ab eo dicta sunt.

XXX.

Ὁκόσοισιν ἀφρώδεα τὰ διαχωρήματα ἐν τῇσι διαῤῥοίῃσι, τουτέοισιν ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ταῦτα καταῤῥεῖ.

Quibus in alui profluuiis excrement[a] ... sunt. iis ex capite pituita defluit.

Hoc indistinctè dictum est. F... aliquando excrementa spumosa fl... more ex capite ad ventriculum ... Fiunt autem & vasis quæ ad ips... niunt, illum effundentibus. Con... interdum possunt in ipso ventri... vnam habeant, vt ita dicam, cau... nentem, quomodocunque excern... fiant, antecedentes verò plures. ... huius pituitæ causa continens fla... ritus, dum humori commiscetur, ... tem habens motum,& inæqualem ... disrumpatur, & pituitam franga... tas partes,& paruas. Talis verò m... causa est propria natura, & no... multitudo caloris. Sic enim & in ... xantur, apparet spuma, & maxin... nacem habuerint naturam,& in... lentis ventis agitato. Qui verò ... pituitam à pulmone ad ventricu... nire,atque ideò ipsam videri spum... scio quid inquient de iis, quibus ... pite ad pulmonem fluxiones ... Oportebat enim in his alui excre... spumosa;verùm hi neque spumos... excernunt, neque cum tussi expu...

men ſæpius manifeſtè quæ ſunt in viſcere aſperæ arteriæ, ſunt eo oppletæ, quod d. fluxit à capite, quod iam concoctum, eſt puri ſimile, ſed ſpumoſum minimè. Sed neque ſemper ex pulmone ſpumoſum ſanguinem expuunt. Videtur itaque, cùm ex propria ſubſtantia viſceris ſimul quicquam effertur, ſanguis eſſe ſpumoſus. Sed & qui morbo laterali laborant, aliquando ſpumoſum expuunt,ſed raro. Hi verò etiam rariùs,qui inflammationem pulmonis patiuntur, calore ſcilicet, vt mihi videtur, intemperato atque igneo in patientibus partibus aggregato. Si verò quod à capite defluit ad aſperas pulmonis arterias, vt nonnulli volunt, permeat ad inferiora:primùm ad ventriculos cordis ipsũ peruenire oportebat; poſt hoc duorum alterum eueniet, aut per cauam venam ad gibba hepatis, deinde illinc ad caua:& ita per portas ad inteſtinorum inuolucra: aut primùm quidem ad magnam arteriam, deinde ſic ad illam,quæ eſt in meſenterio. Sed quomodo adhuc ſpumoſum remaneret,& ſanguini miſtum,& tot cum eo venas pertranſiens?

XXXI.

Ὁκόσοισι πυρέσσουσιν ἐν τοῖσιν οὔροισι κριμνώδεες αἱ ὑποστάσιες γίνονται, μακρὴν τὴν ἀῤῥωστίην σημαίνουσιν,

Quibuscunque febricitantibu
fiunt sedimina veluti farina cra
ægritudinem fore significant.

Et hic sermo adhibitâ distin
rus, experientiâ comprobant
vrinæ exitiales sunt, sicuti etia
stico dictum est: & plurimi mor
tur, antequam ægritudo diuti
tur: & quicunque ex ipsis sun
omnibus in longum producta
cùm dispositio multam requira
in qua talis vrina mingitur. D
est à nobis in *libro de Crisibu*
ciis, pleniùs de vrinis omnibus.
autem (sufficit enim mihi de d
tantummodò fecisse mentione
quidem *libro*, de Sileno secund
scripto post tres constitutiones
sua enarratione sic inquit: *Mi*
crassum erat quod subsederat, se
farina crassioris album: extrema
da: vndecimâ mortuus est. In *t*
de ægro qui ordine tertius est,
ita scripsit in suæ enarrationis
iacebat in horto Dealcis. Deinde
Vrina tenues varia habentes su
parua instar farina crassioris. H
dicit quadragesimo die fuisse

Liquet igitur ex his exemplis, quòd quicunque mingentes vrinam ſimilem farinæ craſſiori, ſi ſaluari debeant, tardè liberantur. Quicunque verò exitialiter ſe habent, contingit hos quàm citò interire.

XXXII.

Ὁκόσοισι δὲ χολώδεες αἱ ὑποστάσιες, ἄνωθεν δὲ λεπταὶ, ὀξεῖαν ἀρρωστίαν σημαίνει.

Quibus autem vrinis bilioſa ſedimina, ac supernè tenuia ſunt, acutum morbum ſignificant

Bilis quidem ſemper acutos morbos operatur. Dictum enim à nobis eſt, quòd amarum humorem ita Medici priſci conſueuêre appellare, ſicuti melancholicum ſemper cum adiectione dicunt, non ſimpliciter bilem proferentes, ſicuti flauam; ſed atram bilem nominantes. Quod autem dicitur *ſupernè tenuia*, hoc eſt, aquoſa (ſic enim conſueuit vti tenuis appellatione Hippocr.) non bene vtique dictum videretur. Vrina ſiquidem aquoſa, cruda eſt, & diuturna. Equidem nunquam vidi vrinam, cuius ſedimen bilioſum eſſet, pars verò ſuperfluitans aquoſa. Non abſque ratione igitur nonnulli expoſitores dixére, aduerbium *ſupernè*, non locum, ſed tempus hoc in loco ſignificare. ac ſi ita

diceretur, Vrinarum sedimina initio tenuia sunt, postea verò acutum morbum significant.

XXXIII.

Ὁκόσοισι δ' διεστηκότα τὰ οὖρα γ ταραχὴ ἰσχυρὴ ἐν τῷ σώματι

Quibuscunque vrina diuulsa fi tio fortis in corde fit.

Si verbum *diuulsa* in propria ne accipiatur, rem impossibilem Vrina siquidem semper est sibi nua, nullum spatium vacuum ha iectum. Si verò per id, substantiæ tem dici intellexerimus, rectè d significari perturbationem: nam naturâ, omnia æqualiter vnita su ficis verò causis illi seditiosè r bus, illud quod vincitur quidem, coquitur, aliam habet formam: reluctatur & repugnat, aliam; plura huiuscemodi fuerint, var ostendunt vrinarum inæqualitate causam, perturbationem.

XXXIV.

Ὁκόσοισιν ἐν τοῖσιν οὔροισιν ἐφίστ φόλυγες, νεφριτικὰ σημαίνουσι, τὴν ἀῤῥωστίην ἔσεσθαι.

Quibus in vrinarum summo bullæ insident, morbum renalem & longum significant.

Bullæ fiunt circumtenso humore spiritui flatuoso. Solet autem hoc magis accidere, quando humor aliquid tenacitatis habet: tunc etiam bullæ ipsæ sunt stabiles, & difficulter solubiles. Cùm igitur spiritus flatuosus vnà cum vrinis excernitur, signum est frigidæ ægritudinis renum. Hæc enim aggregat spiritum flatuosum, atque ideò ait Hippocr. ægritudinem fore longam. Frigidum enim omne est difficulter solubile, & vix coctionem admittit, atque ideò diu durat. Nonnulli item aiunt, ab acritudine vrinarum aperiri ora arteriarum, quæ sunt in renibus, atque ita excerni spiritum aliquem, qui cum vrinis exit, & bullas facit.

XXXV,

Ὁκόσοισι δὲ λιπαρὴ ἡ ἐπίστασις καὶ ἀθρόη, τουτέοισι νεφριτικὰ καὶ ὀξέα σημαίνει.

Quibus autem summum est pingue & confertum, iis renum dolor & morbus esse acutus significatur.

Siue alui excrementum, siue vrina pinguis fuerit, ex colliquatione adipis fit, non magis in renibus, quàm in toto corpore existentis: quare non propriè morbi renalis est signum,

ſed commune omnis adipis ab
colliquari. Aut igitur ita int
Hippocr. quaſi hoc loco in iis
renum morbo laborare, non g
morbi,ſed acutiem diſcernat,&
pro verbo *n phritica*, quod ſign
renum,ſcribendum eſt *phrenitic*
dam ſcripſére expoſitores.Atqu
lius phrenitidis ſignum exiſtit
plicis,neque ardentis,ſed cuiuſ
colliquantis. Quòd verò conf
moni adiectum eſt, poteſt &
temporis ſignificare, poteſt &
enim in ſeipſum coactum eſt &
id confertum nominamus; con
ſtens diſtracto atque diſperſo.H
que ad hoc etiam à noſtris pr
fuére interpretata. Quod verò n
iam dicam. Confertum, ſermo
mihi videtur de tempore dict
ideò adipis renum oſtendere
nem. In aliis enim partibus cor
colliquati,paulatim, & non co
vrina exeunt,primùm colliquati
pata à venis illi vicinis, deinde
continuantur, & rurſus ab aliis,
nes perueniant. Atque verò circ
liquati tranſſumptio ad vrinas c

& non paulatim, ſed confertim fit; atque ideò in renibus ipſis diſpoſitio eſſe monſtratur: cui rei & experientiam inuenies, ſi diligentiùs animaduerteris, conſentientem. Cùm verò duplex ſcriptura ſit, in quibuſdam quidem exemplaribus ἐπίστασις, id eſt, *ſuperficies* ſiue *ſummum*; in quibuſdam verò ὑπόστασις, id eſt, *ſedimentum* ſiue *fundum* ſcribitur. Primam dicimus eſſe veriorem: ſummum enim petit ſemper quod pingue eſt, & non ſubſidet. Et quidem prioris aphoriſmi dictioni magis conſonat iſta ſcriptura. In illa enim Hippocrates dixit: *Quibuſcunque autem in vrinarum ſummo bullæ inſident, morbum renalem & longum ſignificant.* Conſentaneum eſt igitur in ſummo inſidere, ei quod ſequitur. Quibus autem ſummum eſt pingue & confertum, iis renum dolor & morbus eſſe acutus ſignificatur.

XXXVI.

Ὁκόσοισι δὲ νεφριτικοῖσιν ἐοῦσι, τὰ προειρημένα συμβαίνει σημεῖα, πόνοι τε περὶ τοὺς μύας τοὺς ῥαχιαίους γίνονται, ἢν μὲν περὶ τοὺς ἔξω τόπους γίνονται, ἀπόστημα προσδέχου ἐσόμενον ἔξω. ἢν δὲ μᾶλλον οἱ πόνοι πρὸς τοὺς ἔσω τόπους γίνωνται, καὶ τὸ ἀπόστημα προσδέχου ἐσόμενον μᾶλλον ἔσω.

Quibus autem morbo renali laborantibus prædicta

prædicta accidunt signa, doloréque ... ne musculos fiunt: siquidem circa ... riora fiant, abscessus quoque exter ... expecta: si verò dolores magis circ ... riora fiant, etiam abscessus expect ... interiùs

In prioribus quidem aphorismis ... cuit, per quæ renum vitia possem ... scere: in hoc verò de iis docet, qu ... tempore constat morbo renali ... inquiens in ipsis futurum abscessum ... cum signis prædictis antea venient ... circa musculos, quos & spinæ mu ... spinales Medici nominant. Dupl ... est horum musculorum genus: ... dem retrò sub cute, totam spinam ... complectens: alterum verò in par ... terioribus: non per totam spinam e ... sed solùm per partes ad lumbos a ... In vtris autem horum se firmauer ... illic quoque abscessum futurum ... Nunquid verò renibus ipsis suppu ... solis musculis, an vtrisque, nond ... finiuit: experientia verò hæc om ... ostendit. Nam & musculi soli non ... hoc patiuntur, interiores scilicet ... riores; vel posteriores, & exteriore ... musculis renes, nonnunquam in ...

nonnunquam extrorſum vrgente in ipſis abſceſſu.

XXXVII.

Ὁκόσοισι αἷμα ἐμέουσιν, ἢν μὲν ἄνευ πυρετοῦ, σωτήριον. εἰ δὲ ξὺν πυρετῷ, κακόν. θεραπεύειν δὲ τοῖσι ψυκτικοῖσι, καὶ τοῖσι στυπτικοῖσι.

Quæcunque euomunt ſanguinem, ſi ſine febre quidem, ſalutare: ſi verò cum febre, malum. Curare verò acerbis, & refrigerantibus.

Vomitus quidem è gula & ventriculo exiſtit; per tuſſim autem educuntur quæ ſurſum efferuntur ex aſpera arteria atque pulmone. Quidam verò huius libri expoſitores aiunt, ſub verbo *euomunt*, comprehenſos eſſe & illos, qui ex aſpera arteria, atque pulmone ſanguinem educunt. Atqui ſalubrem eſſe hanc paſſionem, hoc eſt, curari poſſe, quando ægri non febricitauerint, haudquaquam verum. Si enim, vel quàm maximè, abſque febre ex pulmone cum tuſſi emittatur ſanguis, periculum imminet ne curari non poſſit; quòd ſi durarit ſymptoma, omnino poſtea febres ſuccedent. Ob hoc igitur melius eſt intelligere verbum *euomunt*, in proprio accipi ſignificato: & inſuper conſiderare atque definire quatenus careat periculo, & periculum habeat coniunctum,

ex febre, vel secus. Nam febre va
liquet nullam adesse inflammation
co vnde emittitur sanguis. Quare
ius vasis ore adaperto fit sanguinis
vel ex vlcere quidem,sed sine infla
ne. Curatur autem quæ sunt absqu
matione vlcera facilè acerbis. Qu
verò cum inflammatione sunt sin
bribus,non solùm curari non possu
in eadem quidem magnitudine pe
semper enim maiora fiunt,ac malig

XXXVIII.

Κατάῤῥοι ἐς τὴν κοιλίην ἐκπ
ἡμέρῃσιν ἐκπυοῦνται.

Destillationes in ventrem superio
purantur intra viginti dies.

Ventrem superiorem nunc nom
à thorace circumscribitur, quem p
cupat,atque ideò in hunc à capite d
fertur per asperam arteriam. Suppu
tem magna ex parte in viginti d
non (vt multi scribunt) in vigint
Semper enim Hippocrat. diem vi
iudicatorium facit,non vigesimum,
quemadmodum in *libris de diebus*
riis ostendi.

XXXIX.

Ἢν οὐρέῃ αἷμα καὶ θρόμβους, καὶ στραγγουρίην ἔχῃ, καὶ ὀδύνη ἐμπίπτῃ ἐς τὸ ὑπογάστριον, καὶ τὸ ὑπογάστρειον, καὶ τὸν κτένα, τὰ περὶ τὴν κύστιν νοσέειν σημαίνει.

Si quis ſanguinem minxerit & grumos, & ſtillicidio vrina laboret, & dolor inciderit in imum ventrem, pectinem & ad anum: circa veſicam morbus eſſe ſignificatur.

In omnibus ferè exemplaribus hic aphoriſmus ſcriptus eſt: eximere autem oportet, propter alterum qui priùs eſt dictus, quem nos expoſuimus in *quarto horum commentariorum* per hæc verba ſcriptum: *Si ſanguinem mingat, ac grumos, & vrina ſtillicidio laboret, & dolor inciderit in imum ventrem & pectinem: quæ ſunt circa veſicam, malè ſe habent.* In propoſito autem aphoriſmo, eſt vltima ſcriptura duplex: vna, quæ antea ſcripta fuit: altera talis, Veſicæ morbus eſſe ſignificatur.

Aph 80 ſect. 4.

X L.

Ἢν ἡ γλῶσσα ἐξαίφνης ἀκρατὴς γένηται, ἢ ἀπόπληκτόν τι τοῦ σώματος, μελαγχολικὸν τὸ τοιοῦτο γίνεται.

Si lingua repentè incontinens fiat, aut aliqua pars corporis ſtupida: tale eſt melancholicum.

In

Incontinentē quidem nominat
quæ infirma eſt, ita vt non poſſit in
articulare vocem, aut immobilem
no reſolutam: ſtupidam autem pa
poris, reſolutam. Cur verò hæc rep
tingentia, dicat eſſe melancholica
Melancholiæ enim, in cuius nomi
Græci conſentiunt, rectè ab ipſo
Aph. 13. ſect. 6. cia ſunt dicta: *Si timor & mœſt*
tempore hominem habere perſeuerin
melancholicum. Aliter etiam mela
dicemus eſſe paſſiones, cancros, el
præterea etiam ſcabies, & lepras, &
nes nigras. Sed neque vllam aliqua
paſſionum, neque illam, quæ ab
nominatur melancholia, linguæ
nentia videtur antecedere, ſicuti
cuius partis ſtupor. Quare ſupere
mus, quòd quemadmodum quarta
tus cauſa eſt humor melancholicus
ctarum paſſionum, & linguæ intem
& partis reſolutionis: & fieri poſ
pter humoris craſſitudinem tales
conſequantur, quales ex craſſa & l
niunt pituita. Non igitur dicemus
ter vtrumque dictorum eſſe melanc
ſicuti neque pituitoſum ſimplicite
tuitoſum ſimul & melancholicum.

autem est sermoni aduerbium, *repentè*, propter mala, quæ paulatim fiunt, sicuti ex inflammatione scirrhosa, & intemperatura difficulter solubili.

XLI.

ΗΝ ὑπερκαθαιρομένων τῶν πρεσβυτέρων λύγξ ἐπιγίνεται, οὐκ ἀγαθόν.

Si senioribus supra modum purgatis, singultus superuenerit, non bonum.

Communis est hic sermo secundum vtrumque, & quatenus omnibus supra modum purgatis non est bonus singultus, & quatenus senioribus omnia mala peiora fiunt, propter ætatis imbecillitatem.

XLII.

ΗΝ πυρετὸς μὴ ἀπὸ χολῆς ἔχῃ, ὕδατος πολλοῦ καὶ θερμοῦ καταχεομένου κατὰ τῆς κεφαλῆς, λύσις τοῦ πυρετοῦ γίνεται.

Si febris non ex bile sit: multa aqua calida capiti superinfusa, solutio fit febris.

Ex hoc sermone manifestè declarat, non omnes febres ex bile fieri. Ostendit etiam, quòd reliquæ omnes, exceptis iis quæ ex bile factæ sunt, aquâ multâ capiti superinfusâ soluuntur. Secundum hunc sermonem igitur in *libro primo Epidemiorum* de Metone

scripsit: *Balneis vsus in capite*. Feb
dem, quæ ab exustione ac frigidit
sunt, à talibus balneis vtilitatem se
nihilominùs, quæ ex lassitudinibus
quæ propter foraminum angustatio
propter obstructionem, siue conn
sint angustata. Respirare siquidem
oportet, & dissolui calorem febrile
tamen vbi inflammatio aliqua, au
inflammatione humoris putredo ig
lorem accenderit, balneæ vtiles su
quam noxij humores euacuentur,
coquantur. Verùm tales morbos, lat
flammationes, aut pulmonis, aut he
lienis antiqui nominabant, volente
non esse morbum ipsum, sed casu
In quibus autem sine partis inflamm
qui in venis putrent humores febre
dunt, de illis solis dicebant homine
molestari, & ipsum à febre haberi.
etiam febrium scripsêre differentias
lon, & Lipyrian, Eloden, & Typhode
lentem, & Causon nominantes. He
autem febrem, vel lienosam, aut
niam, aut lateralem nemo dixit, Itaq
sermo ab Hippocrate habetur de
ipsis, quæ sunt absque partium inflam
ne. In plurimis verò exẽplaribus no

ſed *ſudor* ſcribitur : talem habente ſcripturâ intellectum : Si febris non ex bile ſit, multus ſudor à capite defluens febrem ſoluit ; non ex ſolo capite ſudorem fundi dicente Hippocr. ſed à prima parte, quæ ſubiicitur oculis, de toto monſtrante corpore. Quantum igitur ad hanc ſcripturam attinet, ij qui ex bile febricitant, à talibus ſudoribus nihil iuuabuntur. Atqui ſæpius manifeſtè ſoluuntur, & aliæ plurimæ febres, & in quibus flaua bilis plurima eſt, Tertianæ, & Ardentes. Verior igitur eſt prima ſcriptura, quæ veram docet curationem earum febrium, quæ ex dicto genere ſunt, quæ videlicet, vel ob laſſitudines, vel exuſtiones, vel refrigerationes, vel omnino cutis fiunt anguſtationes. Verbum autem, *bile*, de flaua, & atra bile intelligi poteſt: non tamen ob hæc ſola, ſed etiam ob pituitam putreſcentem, oſtendebamus fieri febrem, ac de hac ſola videbitur aphoriſmus non eſſe verus, niſi quis exiſtimauerit pituitæ putrefactionem in humorem bilioſum conuerti.

XLIII:

Γυνὴ ἀμφιδέξιος οὐ γίνεται.

Mulier ambidextra non fit.

Ambidextrum Euripides nominat fer-

† ἀμφιδέξιον. περιδέξιον.

rum vtrinque incidens: circumdex
tem Homerus Asteropæum ambab
bus similiter vtentem: ac si vtrin
trum dixisset. Eodem modo † am
Aristophanes in *Tagenitis*, vtrinque
Hipponax ambidextrum dixit, in h
Ambidexter enim sum, & non aber
mines autem qui ambabus man
dextris vtuntur, sæpiùs visi sunt; mu
nulla ad hunc vsque diem, ob natu
cillitatem. Si enim ambabus ma
neruorum robur ac musculorum
viri vtuntur, rationabiliter nulla m
tur: vt quæ satis habeat, si solâ de
dicè vtatur. Amazonidas quidem ip
mammam dextram exurere, vt plu
mento ad manum vicinam peruen
maior adsit vigor, vt quæ & ipsa
debilis. Quidam tamen aiunt amb
dictam esse, quæ parte vteri dext
fit. Et hoc adhuc magis à ratione
alii aiunt, de iis qui Hermaphrod
nantur, Hippocratem esse locutum
cat, mari quidem pudendum adna
bre, mulieri verò virile minimè.

† ἀμφαριστερὸν.

XLIV.

ΟΚόσοι ἔμπυοι καίονται ἢ τέμνονται, ἢν μὲν τὸ πύον καθαρὸν ῥυῇ καὶ λευκὸν, περιγίνονται. ἢν δὲ ὕφαιμον καὶ βορβορῶδες καὶ δυσῶδες, ἀπόλλυνται.

Quicunque ſuppurati vruntur, vel ſecantur, ſi pus purum fluxerit & album, euadunt: ſi verò ſubcruentum, & fæculentum, ac fœtidum, pereunt.

Suppurationes conſueuit nominare, non eas tantùm quæ ſunt in thorace, ſed in quauis alia parte corporis in pus alterata tubercula. Solos verò præcipuè ferè ſuppuratos nominat, quibus inter thoracem atque pulmonem aceruatum eſt pus: quos vrere conſuetos eſſe veteres, diſcere licet ex iis quæ dixit Plato comicus de Cineſia, hiſce verbis: *Poſt hæc filius Euagoræ, ex pleuritide Cineſias aridus, puris expers, calamacea gerens crura, tabis vates, plurimas inuſtus eſcharas ab Euryphonte in corpore.* Quòd quidem pus album bonum ſit, fæculentum verò & fœtidum malum, nemo ignorat.

XLV.

ΟΚόσοι τὸ ἧπαρ διάπυον καίονται, ἢν μὲν τὸ πύον καθαρὸν ῥυῇ καὶ λευκὸν, περιγίνονται. ἐν χιτῶνι γὰρ τὸ πύον τουτέοισιν ἐστίν. ἢν δὲ οἷον ἀμόργη ῥυῇ, ἀπόλλυνται.

Quorum hepar suppuratum aduriti[illegible] purum fluxerit & album, euadunt, [illegible] enim his pus continetur: si verò quali[illegible] fluat, pereunt.

Ipse causam dixit,ob quam nonn[illegible] eunt, qui ita se habent, nonnulli [illegible] dunt. Quibus enim in tunica est p[illegible] patiente substantiâ hepatis, saluar[illegible] nes: quibus verò vsque ad carnem [illegible] corruptio pertingit, non absque [illegible] moriuntur. Quòd autem ἀμόργην a[illegible] Græci nominent fæcem olei, & qu[illegible] par est esse incoctam putredinem h[illegible] quet vnicuique.

XLVI.

Ὀδύνας ὀφθαλμῶν ἄκρητον πο[illegible] σας πολλῷ θερμῷ, φλεβοτόμει.

Dolores oculorum post meri potio[illegible] aqua calida balneum, venæ sectione [illegible]

Hic aphorismus mihi videtur ex[illegible] esse qui fuêre interiecti,non consen[illegible] ex illis, qui antea scripti fuerunt,h[illegible] cet: *Dolorem oculorum, meri potio,* [illegible] *vel fomentum, vel venæ sectio, au[illegible] mentum soluit.* Hunc autem aphori[illegible] *sexto* exposui *commentario*, ostensis [illegible] tionibus,in quibus oporteat singula[illegible]

Aph.31. sect.6.

afferre remedia. Propositus verò aphorismus in vna vult dispositione tribus vti remediis. Si quis autem nos sciat docere dispositionē, in qua tria hæc remedia conueniant, ei habebimus gratias. Quandiu autem exponent aphorismum quasi legitimum, nec docebunt nos quænam sit dispositio, eorum expositionibus nullam præstabimus fidem, & si parum sint probabiles. Quæ enim dicunt, qui omnino aliquid conantur dicere, sunt huiuscemodi. In quibus sanguis crassus superabundat, atque ideò euacuatione indiget, præstare putant ipsum fundere priùs, deinde secare venam. Fusilis autem fiet, si ægri merum biberint, & se balneauerint. Qui verò hæc aiunt, quòd nunquam experientiâ nouerint, quæ dicunt, sciunt in artis operibus exercitati. Neque enim vinum, neque balneum tolerat plethorica dispositio, absque maximo detrimento. Verùm hæc auxilia sunt sanguinis crassi, in aliqua parte compacti, sine totius corporis repletione. Si enim Asclepiades vtitur vino, post totius corporis euacuationem, pro remedio concretæ materiæ, & fixæ, in venulis oculorum. Si verò adsit in toto corpore plenitudo, priùs disrumpentur oculorum tunicæ, inter bibendum, atque lauandum. Quare si absque multitudine

dolor fiat, propter obstructionem, ac compactionem crassi sanguinis, rectè quidem lauabunt, & vinum dabunt, non rectè autem secabunt venam. Si verò multitudo fuerit, rectè quidem venæ vtentur sectione, non rectè autem lauabunt, & vinum dabunt.

XLVII.

Ὑδρωπιῶντα ἢν βὴξ ἔχῃ, ἀνέλπιστός ἐστιν.

Aquâ inter cutem laborans, si tussi corripiatur, desperatus est.

Hoc priùs dictum est ab ipso in hoc aphorismo, *Aquâ inter cutem laborantibus si tussis superueniat, malum.* *Aph. 35. sect. 6.*

XLVIII.

Στραγγουρίην καὶ δυσουρίην θώρηξις καὶ φλεβοτομίη λύει, τέμνειν δὲ τὰς εἴσω φλέβας.

Vrinæ stillicidium, & mingendi difficultatem, vini potio, & venæ sectio soluit: incidere autem interiores.

Quòd quidem vrinæ stillicidium significet vrinæ stillatim excretionem, nomen ipsum ostendit. Mingendi autem difficultas dici potest, quæ cum dolore fit mictio: dici potest etiam, quæ cum difficultate aliqua, adeò vt vix vesica operetur. Vrinæ itaque stillicidium, ipsius vrinæ acritudo facit, &

potentiæ

potentiæ retentiuæ in vesica imbecillitas, quæ ob intemperaturam fit, præsertim frigidam. Vrinæ verò difficultatem, siquidem cum dolore fuerit, inflammatio, & abscessus, & vlceratio, & inæqualis intemperatura, & spiritus flatuosus. Si verò motus difficilis aliquis, vel potentiæ imbecillitas, vel tumor contra naturam. Ex omnibus hisce dispositionibus, frigiditatem quidem vini potio soluit, hoc est, vel simpliciter vini potio, vel meracioris: & quidem talem inflammationem, quæ propter obstructionem sanguinis crassioris citra multitudinem facta fuit. Illam verò, quæ cum multitudine fit, inflammationem, atque etiam aliam quæ citra defectum, & cum potentiæ robore, venæ sectio sanat. De eo autem, quod dicitur, *Incidere venas interiores*, dictum est à me, & in libro præcedente, in quo hunc aphorismum exposui, *Vrinæ stillicidium venæ sectio soluit: incidere autem interiores.* *Aph. 36. sect. 6.*

XLIX.

Υπὸ κυνάγχης ἐχομένῳ οἴδημα καὶ ἐρύθημα ἐν τῷ στήθει ἐπιγινόμενον, ἀγαθόν. ἔξω γὰρ τρέπεται τὸ νόσημα.

Ab angina correpto tumor & rubor in pectore superueniens, bonum: extrà enim vertitur morbus.

Et hic aphorismus antea dictus est per hæc verba, *Ab angina correpto tumorem fieri in parte colli anteriore, bonum.* Exposui verò in *sexto horum commentariorum.* Hic igitur videtur fuisse interiectus, volente aliquo adiungere, *Extrà enim conuertitur morbus.*

Aph. 37. sect. 6.

L.

Ὁκόσοισι σφακελισθῇ ὁ ἐγκέφαλος, ἐν τρισὶν ἡμέρῃσιν ἀπόλλυνται. ἢν δὲ ταύτας διαφύγωσι, ὑγιέες γίνονται.

Quibus cerebrum sphacelatum est, in tribus diebus pereunt: si verò hos euaserint, sani fiunt.

Sphacelare ossa sæpius dixit in *libro de fracturis* & *articulis*, pro corrumpere, vtens eo verbo. Hic verò non potest intelligi cerebri corruptio, cùm adiectum sit: *Si verò hos effugerint, sani fiũt.* Si enim sphacelus est corruptio substantiæ vniuscuiusque partis, quæ sphacelari dicitur, non contingit hunc qui ita ægrotet persanari. Nisi fortè abutantur hoc verbo, ad significandam huius dispositionis inceptionem, ac nondum ipsam omnino completam. Talia enim quædam etiam carnosis partibus in gangrænis accidunt, passione ob magnitudinem inflammationis, insensibili

ſenſibilitatem quandam, atque nigritiem, aut omnino velut mortuum colorem afferente parti patienti: dicentibus tamen nobis, illos qui in paſſionem incidunt, incidere in gangrænam. Sicuti igitur gangrænam iam ita completam, vt pars ſit intermortua, ſanare eſt impoſſibile; dum verò adhuc fit, poſſibile eſt: ſic & ſphacelum. Quanquam carnoſæ partis mortificationem, quæ prouenit ex magnitudine inflammationis, & quam propriè Medici gangrænam nominãt, etiam Græci ſphacelum appellabant. Sic enim mihi videtur & Herodotus dixiſſe, *femur Cambyſis ſphacelari.* Sic etiam dicere poſſit quiſpiam, cerebrum ſphacelari hoc tantùm modo. Quamobrem verò cita ſit ex ipſo mors, eſt manifeſtum: nempe quoniam morbus eſt grauiſſimus, & pars principaliſſima. Quòd ſi ægrum mors in tribus primis diebus non anticipauerit, ſed ad diem quartum peruenerit æger, ſperandum eſt morbum declinare, & vires ita eſſe fortes, vt ipſum omnino peruincere poſſint.

L I.

Πταρμὸς γίνεται ἐκ τῆς κεφαλῆς, διαθερμαινομένου τοῦ ἐγκεφάλου, ἢ διυγραινομένου τοῦ ἐν τῇ κεφαλῇ κενοῦ. ὑπερχεῖται γὰρ ὁ ἀὴρ ὁ ἐνεὼν ἔξω, ψοφεῖ δὲ ὅτι διὰ στενοῦ ἡ διέξοδος αὐτῷ ἐστίν.

Sternuta

Sternutamentum fit ex capite, calefacto cerebro, aut humectato eo quod in capite inani. Aër enim intus contentus extrà erumpit. Sonat autem, quoniam per angustum ipsi est exitus.

Tales sermones duo significant: vnum quidem in omni re proposita vniuersaliter dictum, veluti hoc in loco de sternutamentis: alterum particulatim, veluti hic de sternutamentis ex cerebro factis. Primus igitur sermo talis erit. Omne sternutamentum fit ex capite, cerebro calefacto, vel humectato eo, quod est in capite inani. Secundus verò: Sternutamentum ex capite eueniens, fit cerebro calefacto, vel humectato capitis inani: quod verius existit. Non enim omnis sternutatio fit calefacto cerebro, vel humectato in capite inani. Pennis enim quidam nares irritantes sternutãt: & cum tussi spiritus desubter veniens ad naris meatus, causa fit sternutamenti. Præterea opinari solum aërem, qui ex capite excernitur, esse quod sonat, est manifestè falsum. Nam liquidò apparet desubter ex pulmone aërem, vniuersim & repentè se comprimente thorace. Quinetiam: quòd fiat antecedente inspiratione sternutamentum, naturâ aggregante aëris copiam ad sternutamenti generationem, iis quæ dicta

cta sunt adstipalatur. Solum itaque illud sternutamentum quod habet suæ generationis principium, naturam appetentem fluatuosum spiritum ex capite excernere, hoc modo fit, quem docere aggreditur aphorismus: neque fortè hoc omne. Nam quod ait, *humectato*, superfluum est ad sternutamenti generationem. Si enim aliquis humor in capite superabundat, non facit sternutamentum, nisi in ventum conuertatur. Et hoc manifestè videtur in multis, qui copiam humoris per nares excernũt, & tamen propterea non necessariò sternutant: Soli enim illi sternutant ex his qui ita affecti sunt, quibus mordax est ea, quæ à capite fluit, humiditas, ceu si quid mordax naribus imponas: sicuti enim tussis symptoma quoddam naturale est ad expurgandas eas, quæ sunt in pulmone, asperas arterias, sic & sternutamentum manifestè videtur expurgare narium meatus. Duplici autẽ existente ipsa perforatione, lata quidem ad os, per meatus verò tenuiores ad cerebrum, quæ quidem est ad os perforatio, ab eo qui desubter spiritu effertur: qui verò ad cerebrum meatus pertingunt, ab illo qui ab ipso prodit, expurgantur. Et si diligetner aduerteris, videbis sternutamẽta, quæ ex capite motus habent initium, leuare caput. Fiunt enim

rare

rarefactis iis qui sunt in capite, humoribus, & naturæ impetu excretis. Rarefieri verò ipsis accidit, concalefactis: Calefiunt autem natiuo calore excitato, ob cuius imbecillitatem priùs erant superfluitates aggregatæ. Cùm igitur ait, *Calefacto eo quod est in capite inani*: maximè quidem intelligere oportet, de eo qui est in ventriculis cerebri, sed etiam de ambiente ipsum extrinsecus aëre: facile enim est & illi per cerebrum primùm quidem ad ipsos ventriculos, hinc verò subire ad nares. Quia verò vniuersim totus excidit, sonitum ædi Hippocrates inquit. Est autem commune hoc, vndecunque venerit, siue ex pulmone efferatur, siue ex capite deorsum agatur.

L I I.

Ὁκόσοισιν ἧπαρ περιοδυνᾶται, τουτέοισιν πυρετὸς ἐπιγενόμενος λύει τὴν ὀδύνην.

Quibus hepar vehementer dolet, iis febris superueniens soluit dolorem.

Verbum, *superueniens*, indicio est quòd priùs cùm vehementer dolebant ipsi, non febricitabant. Si igitur hepar vehementer doleat, id fit, vel propter fortem inflammationem, vel propter spiritum flatuosum; non aderat autem ipsis inflammatio, alioqui omnino febricitassent, par igitur est vt flatuosus

ſus ſpiritus ſit cauſa doloris in ipſis. Dolet quidem hepar, & propter obſtructionem, verùm mediocriter, & cum quodam ponderis ſenſu potiùs quàm vehementis doloris. Dolor autem vehemens propter flatuoſum ſpiritum, vel inflammationem, quæ ſcilicet aut maxima eſt, aut ſuppurata, accidit.

LIII.

Ὁκόσοισι συμφέρει αἷμα ἀφαιρέεσθαι ἀπὸ τῶν φλεβῶν, τούτοισι χρὴ ἦρος φλεβοτομέεσθαι.

Quibus à venis ſanguinem mittere confert, iis vere venam oportet ſecare

Hic aphoriſmus par eſt eius, qui priùs dictus fuit, in hæc verba, *Quibus medicamentum epotum, vel vena ſectio confert, iis vere ſecare venam, vel purgare medicamento opus eſt.* *Aph. 47 ſect. 6.* In quibuſdam verò exemplaribus non eſt ſcriptus omnino: & quidam libri expoſitores id ſciunt, & tamen bis ipſum ſcribunt. Nonnulli verò omnino non meminêre. Mirari verò de illis oportet, qui non modò bis eundem ſcribunt aphoriſmum, verùm & in eiſdem commentariis expoſitiones apponunt, nullâ factâ ſignificatione, quòd in iis, qui antea ſcripti fuerunt, quidam ſunt ex toto iidem, quidam verò ex parte, cuiuſmodi hic

hic eſt. Quid igitur viſum fuit v
hos adiecēre aphoriſmos circa fi
vel ipſi Hippocrati bis de eiſd
mentionem ; & quibuſdam exp
duplicem facere expoſitionem, d
me non poſſe coniectari. Neque
riſimile ſit, ipſum ſcriptorem ap
rum tantarum rerum obliuione
reptum, quando præſertim ta
qualem fuiſſe vbique Hippocrates
neque illorum qui appoſuerunt,
tam obliuionem, vel aliquam a
uerſitatem poſſumus excogitare,
de eiſdem bis ſcribere non dub
Adhuc autem magis de illis liceat
expoſitoribus, qui cùm bis eoſdem
rint aphoriſmos, ne hoc ipſum qui
cerunt, quòd ſecundam faciant e
nem : & adhuc multò magis de illi
ferentes faciunt expoſitiones, in i
ca finem, & in illis qui per initia
ſunt dicti.

LIV.

Ὀκόσοισι μεταξὺ τῶν φρενῶν καὶ τ
φλέγμα ἀποκλείεται, καὶ ὀδύνην π
ἔχον διέξοδον εἰς οὐδετέρην τῶν κοιλιῶν, τ
τοῖς φλέβας ἐς τὴν κύστιν τραπέντος τ
τος, λύσις γίνεται τῆς νόσου.

Quibus inter ventriculum & septum transuersum pituita reposita est, & dolorem affert, non habens viam ad alterum ventrem: iis per venas in vesicam pituita versa, soluitur morbus.

Non absque ratione mihi videtur dubitare Marinus, impossibile existimans inter septum transuersum, & ventrem, pituitam constitui: Defluxurã enim deorsum vsque ad ossa pubis. Neque etiam fieri posse arbitratur, vt traiiciatur in venas, sicuti hydrops tenuis, & aquosus humor transsumptus excernitur per vrinas. Quare accipiendum esse inquit, quod dicitur inter septum transuersum & ventrem, pro eo quod est inter proprium septi corpus carnosum, & † interioris membranæ abdominis verticem: Verùm etsi ita acceperimus, ô Marine, transsumptio pituitæ in venas similiter erit facilis. Nam si hinc ad renes peruenire potest per venas, neque ex eo spatio, quod est sub membrana abdominis interiore est impossibile. Adde quòd omnino impropria foret *ventris* appellatio. Nulla est enim similitudo ventri & membranæ abdominis interiori, cuius gratiâ eandẽ participent appellationem. Melius igitur est ita accipere, vt omnes acceperunt: illud spatium laxius ab eo dici, quod est quidem

† *Peritonæi.*

infra septum, sed intra eam membr
dominis interioris partem, quæ ad
strium attinet: & considerare, an sit
illud quod dicit, noscentibus nobi
viam semper materiebus inuenire
Hippocrates opinatur, quando valid
etsi illæ sint crassiores, & per angu
mina debeant permeare: quando
ossa fieri inquit abscessus. Sed &
etiam humorem illum, qui est in
racem atque pulmonem, in suppu
pui cum tussi: nonnunquam verò
tem sanam existentem excidere sa
in ossibus, quæ fracta occalluerun
igitur eius, de qua nunc Hippoc
xit, pituitæ, omnino impossibile
arbitrari fieri ad vrinas transsump
verùm & hoc ipsum agi à natura,
pituitam extenuante: quemadmo
in suppuratis.

LV.

Οκόσοισιν αὖ τὸ ἧπαρ ὕδατος πλη
ἐπίπλοον ῥαγῇ, τουτέοισιν ἡ κοιλ
ἐμπιμπλᾶται, καὶ ἀποθνήσκουσιν.

Quibus hepar aquâ plenum in
eruperit, iis venter aquâ repletur
riuntur.

Aptissimum hepar est *hydatida*

veſicas aquâ plenas, in ea, quæ ipſum ambit exteriùs, membrana generare. Videtur enim in iugulatis animalibus hepar his aliquando plenum. Si quando igitur contingat veſicas aquoſas rumpi, effunditur aqua ad locum peritonei, ſecundum epigaſtrium, in quo etiam aqua hydropicorum congregatur. Ad omentum autem non poteſt aqua effluere, niſi aliquo modo ipſum exedatur: eſt enim ſolidum & firmum vndequaque, ita vt nihil in ipſum ex aliqua parte poſſit incidere, niſi ex ventriculo, colo inteſtino, ac liene, illíſque partibus vnde ipſum enaſcitur. Vel igitur vult omentum exedi, in partibus ſcilicet dextris ipſius, ſecundùm quas eſt hepati vicinum: vel *in omentum* intelligere, pro in ipſius omenti locum, oportet. Ventrem autem aquâ impleri, non de illo ventre dictum eſt, in quo cibi recipiuntur, ſed de tota cauitate, quæ eſt infra thoracē: ſecundum quod ſignificatum, ventroſi nominantur, & mulieres dicuntur geſtare ventrem. Mori autem eos, quibus hoc in loco aqua colligitur: conſiderandum, an perpetuò ſit verum, an magna ex parte. Seruantur enim quidā aquâ inter cutem laborantes, quamuis & hic locus ipſis aquâ repleatur. Sed neque impoſſibile eſt, ſicuti in illis per medicamenta pur-

gantia aquositates, & præterea per epithemata, hoc est, impositiones eorum quæ vim habent ciendi vrinam,& in vapores soluendi humorem talem, ita & in his fieri curationem.

L V I.

Ἀλύκη, χάσμη, φρίκη, οἶνος ἴσος ἴσῳ πινόμενος, λύει τὴν νοῦσον.

Anxietudo, oscitatio, horror, vinum æquale æquali potum soluit ægritudinem.

Solœcophanes visa est quibusdam rationabiliter esse hæc figura sermonis, atque ideò nonnulli casu accusatiuo scripsêre: anxietudinem, oscitationem, horrorem, vinum æquale æquali potum soluit. Nihil autem refert ad præsens vtrauis scripturâ aphorismus exponatur. Primùm enim illud scire oportet, quòd *alycen*, id est, anxietudinem nominauit, quam multi Græci *halen* appellant: deinde quæ sit faciens hunc casum dispositio. Dicunt igitur alycen, id est, anxietudinem habere illos sanos, qui semper præsentibus molestantur, & ab vno negotio,atque actione ad aliud transeunt. Eodem modo & ægros illos anxios esse aiunt, qui accubitum non perferentes,jacendi figuras euariant, quia semper præsens aggrauat eos.

eos. Hoc verò præcipuè illis euenire consueuit, quibus in ore ventriculi (quod nos abutentes, vocabulo, sæpe solemus stomachum nominare) humoris certa aliqua qualitas continetur, ventriculo molesta, quæ neque plurima est, neque in ventriculi fluitat cauitate, sed eam ipsæ imbibēre tunicæ. Sed & oscitationem, sicuti & pādiculationem, contenta aliqua in musculis, voluntarij motus instrumentis, humiditate flatuosa, vel spiritu vaporoso fieri est à nobis demonstratum. Horror autem prauis humoribus per cutem currētibus accidit. Liquet autem quòd nunc à nobis habetur sermo de horrore, qui ex corpore prouenit insalubri, & non de illo qui causam extrinsecùs habet. Singula igitur hæc, quæ dicta sunt, potus vini meracioris sanat. Moderatam autem temperaturam ipse monstrauit, inquiens: *Vinum æquale æquali potum*. Aquâ enim videlicet vult vinum æquâ portione temperari: vt hoc quidem pellat & euacuet materiam infestantem, quatenus cesserit vini motui cum impetu lati, reliqua temperet. Calefacit enim vinum, vt nouimus, corpus totum, & citò mouetur ad omnes partes, cùm hoc quòd omnes humores optimos reddit.

LVII.

ΟΚόσοισιν ἐν τῇ οὐρήθρῃ φύματα τετέοισι διαπυήσαντος καὶ ἐ
λύε) ὁ πόνος.

Quibus in vrinario meatu tuber iis suppuratione factâ & eruptione dolor.

Aph. 82 sect 4. Et hunc aphorismum in præc Hippocrates scripsit, nos autem ex per hæc verba scriptum : *Quibus i meatu tubercula fiunt, iis suppura & eruptione, solutio.*

LVIII.

ΟΚόσοισι δ' αὖ ὁ ἐγκέφαλος τινὸς περφάσιος, ἀνάγκη ἀφα παραχρῆμα.

Quibus cerebrum aliqua ex cau sum fuerit, necesse est statim mutos

Etiam in hoc aphorismo in qu exemplaribus possumus inuenire *mutos*, scriptum in numero plurali cusatiuo : in quibusdam verò mutu mero singulari, per modum figura phanis. Nihil autem hoc loco ad p refert, si modò nouerimus, quòd c do est Hippocrati, ab vno accidente mo sæpius, scilicet à vocis amission

nare & oſtendere illos, qui nullum alium motum ſeruant voluntatem, vel nihil omnino ſentiunt, iacent autem eodem modo quo apoplectici, ſine ſenſu pariter & motu, Fit autem hoc & propter alias cauſas: nunc verò concuſſionis cerebri Hippocr. meminit, & huic talem fore ait totius corporis diſpoſitionẽ. Concuti autem hoc modo cerebrum cõtingit, propter aliquem caſum totius corporis violentũ ex locis altioribus factũ. Tales enim caſus ſolent etiã in ſpinæ vertebris facere concuſſionem, quando ipſarum harmoniæ fuerint commotæ, ſpinalis verò medulla, quæ in earum cauitate continetur, laborauerit; valde autem concuſſa periculum adducit, ne aliquis neruus eorum qui ab ipſa naſcuntur, abrumpatur: quod non minùs & in ipſo fit cerebro, & tantò magis quantò plus vacui loca habent quæ ipſum circunſtant: & præcipuè in ſenioribus, quemadmodum in *tractationibus de ſectionibus* diximus. Contrahitur autem vis animalis in ſeipſam, in talibus diſpoſitionibus, à motu periculoſo moleſtata, & proinde quieſcit. Productionum verò quædam multum tenduntur, quædam autem partim rumpuntur. Atq; ideò donec ſe rurſus vis animalis collegerit, mutum atque immobile totum iacet, quod

ita afficitur, animal. Si verò cere
trahi, ac aliquantum conuelli ant
qui ita patiuntur non amplius re

L I X.

TOῖσι σώματι τοῖσιν ὑγρὰς ἔχεις σα
δεῖ λιμὸν ἐμποιέειν, λιμὸς γδ'
σώματα.

Corporibus carnes habentibus hu
mem adhibere conuenit: fames en
siccat.

Quod quidem omnia quæ exsi
passionum humidarum remedia,
stum: siquidem contraria contra
media sunt. Quòd autem & fame
denti corpora exsiccet, est minim
Si enim aliquid defluat à corpore
antea, non ampliùs autem ab alir
pleatur id, quod fuerit euacuatum
rium est hoc modo corpus effici s
quet enim quòd in animalis cor
illæ partes absumuntur quæcunqu
midiores, quando & ipse deflux
fit, quia quæ sunt in corpore ext
atque in vapores resoluuntur. Id
plici causa extrinsecùs quidem ab
biente, intus verò à calore natiuo.
in latibulis iacent animalia, vt

que extrinſecùs calefiant,neque intrinſecùs, vel nihil, vel certè parum diſſoluuntur, atque ideò nonnulla eorum non egent vllo penitùs alimento, nonnulla verò pauciſſimo omnino. Poſt præſcriptos aphoriſmos alij duo ferè in omnibus exemplaribus inueniuntur, cum hoc quòd huius libri expoſitores ferè omnes eorum meminêre, & quidam differentes fecêre expoſitiones ab illis quas antea ſcripſerunt, neque hoc ipſum adiecerunt, quòd iidem aphoriſmi ſuperiùs ſint ſcripti. Nos verò in *quarto commentario* illos expoſuimus, parum verbis differentes. Alter enim eorum qui nunc ſcripti ſunt,ſuperfluè adiectum habet,*Vt deuorare non poſſit, ſed vix.* Alter verò contrà deficit verbo *Vix*: vt prior quidem ſit talis. Ἢν ὑπὸ τοῦ πυρετοῦ ἐχομένῳ οἰδήματος μὴ ἐόντος ἐν τῇ φάρυγγι πνὶξ ἐξαίφνης ἐπιγένηται, καὶ καταπίνειν μὴ δύνηται, ἀλλὰ μόλις, θανάσιμον, *Si febre correpto, tumore non exiſtente in faucibus ſuffocatio repentè ſuperueniat, & non poſſit deuorare niſi vix, lethale.* Secundus verò ſic: Ἢν ὑπὸ πυρετοῦ ἐχομένῳ, ὁ τράχηλος ἐπιστραφῇ, καὶ καταπίνειν μὴ δύνηται, οἰδήματος μὴ ἐόντος ἐν τῷ τραχήλῳ, θανάσιμον. *Si febre correpto collum peruertatur, & deuorare non poſſit, tumore non exiſtente in collo, lethale.* Priores

verò quos dixi in *quarto horum[*
riorum fuiſſe expoſitos, ita ſe[
Aph.34. ſ.4. *Si febre correpto tumore non exiſten[* *cibus, ſuffocatio repentè ſuperueni[*
Aph.35. ſ.4. Deinde qui deinceps ſequitur: [
repto collum peruertatur, & vix [
rare, tumore non exiſtente in col[
Quod igitur in priore aphoriſ[
ctum eſt ſuperfluere, nunc co[
Etenim id fieri vidimus, vbi æg[
exitialiter à morbo haberentur, [
lo modo poſſent deuorare, vel vi[
ſtente tumore in faucibus: nan[
perſpicuè cognoſcere, ſi plurim[
riatur, & lingua verſus mandib[
riorem premarur. In tali auten[
tione, quòd difficulter deuoret[
eſſe ſuſpicandum eſt communion[
quæ naſcitur ex partibus gulæ [
interioribus. Nam oſtenſum eſt [
os permeante, ipſam quidem tral[
guttur verò totum retrahi ſuperi[
ſcente igitur in gutture inflamma[
nunquam quidem nullo modo: [
verò vix obtemperat ventriculo [
atque ob hanc cauſam vel nullo [
uorant, vel vix.

LX.

Οκου ἂν ἐν ὅλῳ τῷ σώματι μεταβολαὶ, καὶ τὸ σῶμα καταψύχηται, καὶ πάλιν θερμαίνηται, ἢ χρῶμα ἕτερον ἐξ ἑτέρου μεταβάλλῃ, μῆκος νόσου σημαίνει,

Vbi in toto corpore fiunt mutationes, & corpus refrigeratur, & rursus calefit, aut colorem alium ex alio commutat, longitudo morbi significatur.

Et hunc aphorismum in *quarto commentario* exposuimus, iisdem ferè verbis scriptum: quibus & hic. Est enim scriptura talis: *Aph.* 40 *sect.* 4. *Et vbi in toto corpore fiunt mutationes, & si corpus frigescit, vel rursus calescit, & alius ex alio color nascitur, morbi longitudo significatur.*

LXI.

Ιδρὼς πολὺς θερμὸς ἢ ψυχρὸς ῥέων αἰεὶ, σημαίνει ἐξάγειν πλησμονὴν ὑγροῦ. ἀπάγειν οὖν χρὴ, τῷ μὲν ἰσχυρῷ, ἄνωθεν, τῷ δὲ ἀσθενεῖ, κάτωθεν.

Sudor

Sudor multus, calidus vel frigi
fluens, repletionem humoris esse sign
ducere igitur oportet, robusto quide
debili verò infernè.

Antea alium aphorismum in
rum commentariorum exposuimu
do scriptum, *Sudor multus, calid*
gidus, semper fluens, frigidus maior
minorem morbum significat. Et ta
rum diximus esse † dispositionem
dinem humiditatis quæ in ægri co
tinetur. Propterea igitur qui nun
tur aphorismus, abduci præcipit
humorem; robustis quidem super
per vomitus; debilibus autem infe
& ipsum significat, per alui infe
ductionem. Quòd quidem igitur
necessarium superfluas corporis h
euacuare, planè est manifestum. A
bustis supernè tantum, debilibus
nè, mihi dignum videtur anima
nam fortè sit melius, non hac ratio
guere remediorum vsum, sed, ve
ctatione curatiua, de talibus omn
nobis definitum. Quare & hun
mum arbitror fuisse adscriptum.
scriptos aphorismos, alij tres inue

Aph.42 sect.4.

† *i Causam.*

pluribus exemplaribus, qui pariter & ab expositoribus scripti sunt, & parum verbis euariant ab illis, qui in *quarto horum commentariorum* habentur. Scribunt autem eos hoc modo.

LXII.

Οἱ πυρετοὶ οἱ μὴ διαλείποντες, ἢν ἰσχυρότεροι διὰ τρίτης γίνωνται, ἐπικίνδυνοι, ὅτῳ δ' ἂν τρόπῳ διαλείπωσι, σημαίνει ὅτι ἀκίνδυνοι.

Febres quæcunque non intermittentes, si tertia die fortiores fiunt periculosæ: quocunque autem modo intermiserint, significant quòd non sunt periculosæ. *Aph.43. sect.4.*

LXIII.

Ὁκόσοισι πυρετοὶ μακροὶ, τουτέοισι φύματα ἢ ἐς τὰ ἄρθρα πόνοι ἐγγίνονται.

Quibuscunque febres sunt longæ, iis vel tubercula, vel ad articulos dolores decumbunt. *Aph.44 sect.4.*

LXIV.

Ὁκόσοισι φύματα μακρὰ, ἢ ἐς τὰ ἄρθρα πόνοι ἐκ πυρετοῦ γίνονται, οὗτοι σιτίοισι πλείοσι χρέονται.

Quibuscunque tubercula diutina, aut in articulos

articulos dolores ex febre decumbun
pleniore vtuntur.

Liquet autem quòd & hi interi
runt, à prioribus nihil, aut parum a
verbis differentes: nos veros ipſos
mus in *quarto horum commentariori*

L X V.

HN τις τῷ πυρέσσοντι τροφὴν διδῷ
ὑγιαίνοντι, ἰσχὺς, τῷ δὲ κάμνοντι,

Si quis cibum febricitanti deder
quidem robur, laboranti verò morbu

Scribitur etiam ſic aphoriſmus
febricitanti cibum dederit, ſano q
bus eſt, laboranti verò morbus. Vtr
rò locutio receſſit à natiua dictio
cozelum nominatum: neſcio quid
lentibus illis, qui ita libri finem
riis modis difformarunt, nonnull
per eadem verba ſcribentes, qu
Hippocrates antea vſus erat, nonn
paululum commutantes, aliqua v
tum interponentes, veluti hunc pr
aphoriſmum, qui non propè ac
Hippocr. locutionem. Ipſe ſiquid
dixit: *Non pura corpora quantò n*

Aph.10. ſect.2.

tries, magis lædes. Et, *Si ex morbo cibum assumens aliquis non corroboratur, significat corpus pluri uti alimento. Si verò cibum non assumente hoc fiat, significat quòd euacuatione indiget*: & quædam alia huiusce-modi, quæ germanam natiuámque habent dictionem. Qui verò propositum apposuit aphorismum, perperam imitando, de cibo dixit: *Qui sano robur, idem laboranti morbus.* Vult enim dicere, cibum robur quidem in sanis efficere, nocere autem ægris: vel per Iouem, sanis quidem augere robur, morbum verò laborantibus. Absurdè autem elocutus est, inquiens, cibum ipsum robur esse sanis, morbum verò laborantibus: qui neque robur est, sed roboris effectiuus: neque morbus, sed morbi effectiuus, vel quod rectiùs sit dicere, auctificus.

Aph. 8. sect. 2.

LXVI,

TA' διὰ τῆς κύστιος διαχωρέοντα ὁρᾶν δεῖ, εἰ οἷα τοῖς ὑγιαίνουσιν ὑποχωρέεται. τὰ ἥκιστα οὖν ὅμοια τουτέοισι, ταῦτα νοσωδέστερα. τὰ δὲ ὅμοια τοῖσιν ὑγιαίνουσιν, ἥκιστα νοσερά.

Quæ per vesicam excernuntur, inspicere oportet si talia sunt, qualia sanis excernuntur. Quæ igitur minimè similia sunt his, hæc

morbo

morbosiora. Quæ verò sunt sanis
minimè morbosa.

Omnia quæ sunt sanis similia
pore dictum est ab Hippocrate
sticis, & in omnibus aliis libris,
quod significare: quæ verò dissim
rium. Hoc igitur etiam nunc co
qui hunc composuit aphorismu
enim neque hunc esse Hippoc
elocutione, quæ non habet e
Hippocratica formam, & ex dic
non æquè sunt, vt ipsius autoris
sita. Cùm enim inquit: *Minimè si*
morbosiora quis non reprehende
centem illa morbosiora, pro ec
bosissima & extremè morbosa
bum *minimè*, cum quadam ex
dicitur, & multam significat, ad
præter naturam, conuersionem
autem præter naturam est, quan
ab eo quod est secundum natura
habet prauitatem. Quæ igitur m
iis quæ sunt secundum naturam
iis quæ sunt secundum naturam
maximè, & ideò morbosissima.

LXVII.

KAὶ οἷσι τὰ ὑποχωρήματα, ἢν ἐάσης στῆναι, καὶ μὴ κινήσης, ὑφίσταται οἱονεὶ ξύσματα, καὶ ἢν ὀλίγα ᾖ, ὀλίγη ἡ νοῦσος γίνεται, ἢν δὲ πολλὰ, πολλὴ, τουτέοισι ξυμφέρει ὑποκαθῆραι τὴν κοιλίην. ἢν δὲ μὴ καθαρὴν ποιήσας διδῷς τὰ ῥοφήματα, ὁκόσῳ ἂν πλείω διδῷς, μᾶλλον βλάψεις.

Et quibus deiectiones si stare permiseris, & non móueris, veluti strigmenta subsistunt: & si pauca sint, paucus est morbus: quòd si multa, multus: iis confert alui purgatio. Quòd si aluo non purgatâ dederis sorbitiones, quantò plures dederis, tantò magis nocebis.

Per aluum exeuntia solet Hippocrates deiectiones ac subductiones nominare: & propterea quidam hoc lòco acceperunt eius sermonem esse de iis, quæ per aluum euacuantur. Verùm his aduersantur verba illa, quæ in sermone proponuntur, *si stare permiseris, & non móueris.* Hoc enim propriè conuenit humidis, atque ideò alij rursus de vrinis eundem accepére sermonem. Vtrique verò diuerso modo. Nam nonnulli scribunt, superstant: nonnulli autem, subsistunt. Neutrum verò horum verborum vrinis

Qq repu

repugnat, quia & per ea quæ sub
etiam ipsis superstant, consueuim
sentiam aliquid,& etiam futuroru
scere. In alui autem excrementis
superstare, conuenit magis. Nequ
cuti in vrinis prompta est atque
subsistentium cognitio, ita & in a
mentis. In vrinis etenim ipsum va
factum ostendit eorum quæ subs
turam: & si in alio vase etiam co
tur,possumus, id quod superfluitat
tes, sola subsistentia relinquere. I
tem excrementis, neutrum probal
sus id, quod deinceps dicitur, *V*
gmenta, iis quæ per aluum exc
congruit: illis verò quæ quouis mo
inferuntur, siue superiùs, siue infer
congruit. Nam quædam strigment
per aluum sæpius excernuntur: & i
modò Hippocr.sed etiam alij Medi
nare consueuerunt,non tamen in v
igitur tam nominum quàm etiam v
vsus improprius ostendit fuisse int
præsentem aphorismum. Adhuc au
gis cùm dicit, his conferre alui p
nem: neque enim simpliciter, nequ
modo illi, cuius strigmentis similia
crementa sunt, confert aluum purg

neque ij qui ita affecti ſunt, neceſſariò lædũtur in aliquo,ſi cibum acceperint. Videmus ſiquidem, cùm alui inferioris excrementa billioſa fiunt,quædã ſimilia ſtrigmentis per aluum excerni,in quibus neq; omnes læduntur,ſorbitiones accipientes,neq; priùs eos purgare eſt neceſſarium, ſi iam quicquid bilis ineſt fuerit euacuatum. Adhuc autem magis,neque ſi vrinis aliquid inferatur quod ſit veluti ſtrigmenta, purgare conuenit. Accedit ad hoc, quòd difficile eſt formam agnoſcere, qualem eſſe velit eorum quæ veluti ſtrigmenta inferuntur vrinis.Verùm qui hos aphoriſmos interpoſuerunt,mihi videntur ad hunc finem feciſſe,vt ſermonem confuſum redderent, tanquam ænigma quoddam,& vt multâ indigeret inquiſitione: vbi ſeipſos eorum quæ dicuntur expoſitores conſtituentes, apud adoleſcentes laudem aſſequerentur. Quòd autem omnes obſcuri ſermones dent ſophiſtis garrulitatis occaſionẽ, fiet tibi in hoc ipſo aphoriſmo manifeſtum. Quidam enim eorum qui eum expoſuére,aiunt non vetare Hippocr.quin dentur ſorbitiones hoc modo affectis, ſed plures ſorbitiones:cùm dicat,*Quantò plures dederis, magis lædes*: quaſi non etiam alij quicunque indigent ſorbitionibus, lædantur à pluribus

vel quasi non consequatur ex hoc
Quantò plura dederis, magis nocebis
mandum esse ex paucioribus minor
læsionem. Verumtamen propter mal
quendi modum, sophistis datur facu
ueniendi solutiones, & magis quand
rit addere aliquid, vel adimere, & sc
transponere: quod in obscuris serm
facere consuluerunt. Vt in hoc aph
quidam coniunctionem *&* adiicient
alij sequentis aphorismi fecére prin
id huius fecére finem, vt sermo ita se
Si verò aluo non purgatâ dederis s
nem, magis nocebis: & quibus infr
deiiciuntur, quantò videlicet plura
magis lædes: deinde aliud initium f
scribunt, quòd vbi atra bilis inest, si p
ior est morbus; si minus, minor. Plu
expositores aliter interpretantur,
bunt eo modo, quo scriptum est.

LXVIII.

Ὁκόσοις αὖ κάτω ὠμὰ διαχωρέῃ, ·
μελαίνης ἐστὶν, ἢν πλείω, πλείων, ἢν
ἐλάσσων ἡ νοῦσος.

Quibuscunque cruda infrà deijciun
bilis inest: si plura, maior: si paucior
est morbus.

Dictum autē est anteà, quòd & aliter quidam scribunt: licitum est enim in obscuris vnicuique pro arbitrio scribere, cùm nulla lex sit transcribentibus posita. Sæpius autem non propter obscuritatem, sed propter sermonis falsitatem coguntur aliquid addere priùs inuentis, aut adimere, aut scripturam transponere, veluti exempli gratiâ in hoc aphorismo, cuius verba primi expositores aphorismorum, sicuti Herophilus, Bacchius, & Heraclides, ac Zeuxis empirici: in hunc modum scripserūt: Quibuscunque inferiùs cruda deiiciuntur: atræ bilis sunt: si plura, pluris; si pauciora, paucioris. Quia verò hic sermo particulare quiddam eloquitur, dictus autem est tanquam ex vniuersali, ideò præbuit dubitandi occasionem: quia id quod dicitur, quantum ad verba attinet, nullam habet quæstionem: cùm eorum scriptor velit ostendere, quibus cruda deiiciuntur, in eorum instrumentis quæ coquendi vim habent, esse atram bilem, ex qua refrigerata deterius concoquunt: & modum † incoctionis esse secundum cruditatem, cui flaua bilis contrarium agit: nam quæ propter eam incocta remanent, fumosa sunt. Quidam verò & hunc sermonem etiam de vrinis dictum arbitrantur.

† ἀπεψίας.

LXIX.

AÍ ἀποχρέμψιες αἱ ἐν τοῖσι πυρε[illegible] μὴ διαλείπουσιν αἱ πελιδναὶ, [illegible] τώδεες, καὶ χολώδεες, καὶ δυσώδεες, πᾶσ[illegible] ἀποχωρέουσι δὲ καλῶς, ἀγαθαί, καὶ κ[illegible] καὶ κύστιν. καὶ ὅκου ἄν τι ἀποχωρέον στῇ μὴ [illegible] μένον, κακόν.

Excreationes in febribus non int[illegible] tibus liuidæ, sanguineæ, biliosæ, & [illegible] omnes malæ. Cùm verò bene excernu[illegible] num est, & per ventrem, & per vesi[illegible] vbi aliquid secedens steterit non p[illegible] malum.

Aph. 47. *sect.* 4. Et hic aphorismus suprà scriptus [illegible] modo: *Excreationes in febribus n[illegible] mittentibus liuidæ, sanguineæ, fæ[illegible] nes malæ: sed si bene excernuntur [illegible] est, & per aluum inferiorem, & [illegible] nas. Si verò aliquid per hæc loca e[illegible] quod non conducat, malum.* Nos ve[illegible] exposuimus in *quarto horum com[illegible] rum.*

LXX.

TÁ σώματα χρὴ ὅκου ἄν τις βούλε[illegible] ρέα εὔροα ποιέειν. κλῶ μὲν ἄνω [illegible] ροα ποιέειν, στῆσαι τὴν κοιλίην. ἢν [illegible] ὑγρῆναι.

Corpora oportet, vbi quis purgare voluerit, fluida facere: & si suprà velis fluida facere, sistere aluum: si verò infrà, humectare.

Et huius sermonis pars prior fuit in *praecedentibus* scripta, non adiectis verbis suprà. Si velis fluida facere, & sequentibus, quæ quispiam volens adiicere hoc in loco, rursus scripsit aphorismum cum expositione, per quam verus esset. Quòd autem sit altera expositio verior, quam nos multâ experientiâ inuestigauimus, dictum est superiùs † in *quarto commentariorum*.

Aph.9. sect.2.

† *Vide ne sit legendum* in secundo.

LXXI.

Ὕπνος, ἀγρυπνίη, ἀμφότερα μᾶλλον τοῦ μετρίου γινόμενα, νοῦσος.

Somnus, vigiliæ, vtraque modum excedentia, morbus.

Et hic aphorismus in quibusdam exemplaribus fuit interiectus, qui priùs dictus est totus eisdem verbis, præterquam in fine: hìc enim *morbus*, illic autem *malum* scribatur, quæ est scriptura melior.

Aph. 3. sect. 2.

LXXII.

Ἐν τοῖσι μὴ διαλείπουσι πυρετοῖσιν, ἢν τὰ μὲν ἔξω ψυχρὰ ᾖ, τὰ δὲ ἔσω καίηται, καὶ δίψαν ἔχῃ, θανάσιμον.

In febribus non intermittentibus si exteriora frigent, interiora vruntur, & febris habeat, lethale.

Et hic aphorismus incassum scriptus est, cùm meliùs suprà dicatur sine verbis illis, *& febris habeat.* Nam cùm in principio dixerit, *in febribus non intermittentibus*, vana rursus est in fine sermonis adiectio, *& febris habeat.*

Aph.48. sect.4.

LXXIII.

Ἐν μὴ διαλείποντι πυρετῷ, ἢν χεῖλος, ἢ ῥὶς, ἢ ὀφθαλμὸς, ἢ ὀφρὺς διαστραφῇ, ἢν μὴ βλέπῃ, ἢν μὴ ἀκούῃ, ἤδη ἀσθενὴς ἐὼν, ὅ, τι ἂν τουτέων γένηται, θανάσιμον.

In febre non intermittente si labrum, aut nasus, aut oculus, aut supercilium peruertatur, si non videat, si non audiat, & iam debilis sit: quicquid horum fuerit, lethale est.

Et hic aphorismus antea dictus est, his verbis: *In febre non intermittente, si labrum, aut nasus, aut oculus, aut supercilium peruertitur, si non videat, si non audiat, & iam debilis sit: quicquid horum fuerit, mors propè est.*

Aph.49. s.4.

Ἐπὶ

LXXIV.

Ἐπὶ λευκῷ φλέγματι, ὕδρωψ ἐπιγίνεται.
A pituita alba, aqua inter cutem superuenit.

Quod dicitur, tale est: Quibus in vasis & in totius corporis habitu, multa pituita alba fuerit aceruata, iis aqua inter cutem (quæ leucophlegmatiæ ab alba pituita nomen habet apud Græcos) superuenit.

LXXV.

Ἐπὶ διαρρόίῃ δυσεντερίη ἐπιγίνεται.
Ab alui profluuio difficultas intestinorum.

A communi videlicet subaudire oportet, *superuenit*, abrasis paulatim intestinis, deinde in profundum malo subuenire, atque ita vlceratis. Priùs verò in aphorismó legitimo melior scriptura est hoc modo: *A syncera deiectione, difficultas intestinorum*, & nos hunc aphorismum exposuimus in *sexto horum commentariorum.* *Aph.23. sect.7.*

LXXVI.

Ἐπὶ δυσεντερίῃ, λειεντερίη ἐπιγίνεται.
A difficultate intestinorum, lauitas intestinorum superuenit.

Aph.43. sect.6. Et hic aphorismus est pars prius dicti, per hæc verba, *Qui lienosi à difficultate intestinorum corripiuntur, iis superueniente longa difficultate intestinorum, aqua inter cutem superuenit, aut lauitas intestinorum, & pereunt.* Nos verò ipsum expostuimus in *sexto horum commentariorum.*

LXXVII.

Ἐπὶ σφακελισμῷ ἀπόστασις ὀστέου.

A corruptione, abscessus ossis.

A communi hîc quoque subaudiendum est, superuenit. Vtrùm verò ad ossis corruptionem, ipsius ossis sequatur abscessus, vel carnis circumstantis: non manifestauit. Vtrumque autem potest esse verum.

LXXVIII.

Ἐπὶ αἵματος ἐμέτῳ, φθόη, καὶ τοῦ πύου κάθαρσις ἄνω.

A sanguinis vomitu, tabes, & puris purgatio suprà.

A tabe fluxio ex capite, à fluxione, alui profluuium: à profluuio, adstrictio purgationis superioris; ab adstrictione mors. In pluribus exẽplaribus, & apud plures expositores scriptũ est: A sanguinis vomitu corruptio

ptio. In quibusdam tamen exemplaribus hæc habetur scriptura: A vomitu sanguinis, tabes. Videntur autem & hæc ex pluribus Hippocraticis enunciationibus fuisse collecta, & corruptè composita, sed ex illis præcipuè aphorismis: *A sputo sanguinis purus sputum & fluxus: cùm verò sputum retinetur, moriuntur.*

Aph. 19. sect. 7.

LXXIX.

Ὁκοῖα καὶ ἐν τοῖσι κατὰ τὴν κύστιν, καὶ τοῖσι κατὰ τὴν κοιλίην ὑποχωρήμασι. καὶ ἐν τοῖσι κατὰ τὰς σάρκας, καὶ ἤν πη ἄλλη τῆς φύσιος ἐκβαίνῃ τὸ σῶμα, ἢν ὀλίγον, ὀλίγη ἡ νοῦσος γίνεται. ἢν δὲ πουλὺ, πολλή. ἢν πάνυ πολὺ, θανάσιμον τὸ τοιοῦτον.

Qualia fuerint vesicæ, aut alui excrementa, & ex carnibus, & sicubi alibi à natura corpus exierit si parum, paucus est morbus: si multum, multus: si valde multum, lethale est.

Hic vltimus aphorismus in multis exemplaribus scriptus est, in quibusdam verò & alij adiecti sunt transformati eodem modo, quo & illi omnes quos decurrimus ex legitimis; adeò vt nonnulli eisdem verbis scribatur, nonnulli parum variantes, nonnulli paruâ factâ adiectione similes sint iis quos scripsit Hippocrates: quare nos neque ipsos duxi

duximus adiiciendos; nam neque hic nunc propositus aliquid plus nobis ostendit iis, quæ sæpius Hippocrates manifestauit. Sed & modus dicendi haudquaquam Hippocrati conuenit. Nam *hæc: qualia vesicæ fuerint, aut alui excrementa*, redditione indigent. Summa tamen (vt dixi) vera est, nam si parciùs exeat quàm pro naturæ necessitate in quauis parte, minorem morbum: si verò plus, maiorem: si verò admodum multus sit à natura recessus, mortalem debemus morbum iudicare.

Finis Comment. Galeni in Aphorismos Hippocratis.

RERVM

RERVM AC VOCVM TOTO HOC OPVSCVLO memorabilium

INDEX.

Adolescen-

Index.

pluri

Eunuchi

Initium

In febribus non intermittentibus si exteriora frigent, interiora vruntur, & febris habeat, lethale.

Et hic aphoriſmus incaſſum ſcriptus eſt, cùm meliùs ſuprà dicatur ſine verbis illis, *& febris habeat.* Nam cùm in principio dixerit, *in febribus non intermittentibus*, vana rurſus eſt in fine ſermonis adiectio, *& febris habeat.*

Aph.48. ſect.4.

LXXIII.

ΕΝ μὴ διαλείποντι πυρετῷ, ἢν χεῖλος, ἢ ῥὶς, ἢ ὀφθαλμὸς, ἢ ὀφρὺς διαστραφῇ, ἢν μὴ βλέπῃ, ἢν μὴ ἀκούῃ, ἤδη ἀσθενὴς ἐὼν, ὅ, τι ἂν τουτέων γένηται, θανάσιμον.

In febre non intermittente ſi labrum, aut naſus, aut oculus, aut ſupercilium peruertatur, ſi non videat, ſi non audiat, & iam debilis ſit: quicquid horum fuerit, lethale eſt.

Et hic aphoriſmus antea dictus eſt, his verbis: *In febre non intermittente, ſi labrum, aut naſus, aut oculus, aut ſupercilium peruertitur, ſi non videat, ſi non audiat, & iam debilis ſit: quicquid horum fuerit, mors propè eſt.*

Aph.49. ſ.4.

Ἐπὶ

LXXIV.

Ἐπὶ λευκῷ φλέγματι, ὕδρωψ ἐπιγίνε῀.
A pituita alba, aqua inter cutem superuenit.

Quod dicitur, tale eſt: Quibus in vaſis & in totius corporis habitu, multa pituita alba fuerit aceruata, iis aqua inter cutem (quæ leucophlegmatiæ ab alba pituita nomen habet apud Græcos) ſuperuenit.

LXXV.

Ἐπὶ διαῤῥοίῃ δυσεντερίη ἐπιγίνεται.
Ab alui profluuio difficultas inteſtinorum.

A communi videlicet ſubaudire oportet, *ſuperuenit*, abraſis paulatim inteſtinis, deinde in profundum malo ſubuenire, atque ita vlceratis. Priùs verò in aphoriſmo legitimo melior ſcriptura eſt hoc modo: *A ſyncera deiectione, difficultas inteſtinorum*, & nos hunc aphoriſmum expoſuimus in *ſexto horum commentariorum*. *Aph.23. ſect.7.*

LXXVI.

Ἐπὶ δυσεντερίῃ, λειεντερίη ἐπιγίνεται.
A difficultate inteſtinorum, lauitas inteſtinorum ſuperuenit.

Aph.43. sect.6. Et hic aphorismus est pars priùs dicti, per hæc verba, *Qui lienosi à difficultate intestinorum corripiuntur, iis superueniente longa difficultate intestinorum, aqua inter cutem superuenit, aut lauitas intestinorum, & pereunt.* Nos verò ipsum exposuimus in *sexto horum commentariorum.*

LXXVII.

Ἐπὶ σφακελισμῷ ἀπόστασις ὀστέου.

A corruptione, abscessus ossis.

A communi hîc quoque subaudiendum est, superuenit. Vtrùm verò ad ossis corruptionem, ipsius ossis sequatur abscessus, vel carnis circumstantis: non manifestauit. Vtrumque autem potest esse verum.

LXXVIII.

Ἐπὶ αἵματος ἐμέτῳ, φθόη, καὶ τοῦ πύου κάθαρσις ἄνω.

A sanguinis vomitu, tabes, & puris purgatio suprà.

A tabe fluxio ex capite, à fluxione, alui profluuium: à profluuio, adstrictio purgationis superioris; ab adstrictione mors. In pluribus exẽplaribus, & apud plures expositores scriptũ est: A sanguinis vomitu corruptio

ptio. In quibusdam tamen exemplaribus hæc habetur scriptura: A vomitu sanguinis, tabes. Videntur autem & hæc ex pluribus Hippocraticis enunciationibus, fuisse collecta, & corruptè composita, sed ex illis præcipuè aphorismis: *A sputo sanguinis puris sputum & fluxus: cùm verò sputum retinetur, moriuntur.*

Aph. 19. sect. 7.

LXXIX.

ΟΚοῖα καὶ ἐν τοῖσι κατὰ τὴν κύστιν, καὶ τοῖσι κατὰ τὴν κοιλίην ὑποχωρήμασι. καὶ ἐν τοῖσι κατὰ τὰς σάρκας, καὶ ἤν πη ἄλλη τῆς φύσιος ἐκβαίνῃ τὸ σῶμα, ἢν ὀλίγον, ὀλίγη ἡ νοῦσος γίνεται. ἢν δὲ πουλὺ, πολλή. ἢν πάνυ πολὺ, θανάσιμον τὸ τοιοῦτον.

Qualia fuerint vesica, aut alui excrementa, & ex carnibus, & sicubi alibi à natura corpus exierit si parum, paucus est morbus: si multum, multus: si valde multum, lethale est.

Hic vltimus aphorismus in multis exemplaribus scriptus est, in quibusdam verò & alij adiecti sunt transformati eodem modo, quo & illi omnes quos decurrimus ex legitimis; adeò vt nonnulli eisdem verbis scribatur, nonnulli parum variantes, nonnulli paruâ factâ adiectione similes sint iis quos scripsit Hippocrates: quare nos neque ipsos duxi

duximus adiiciendos; nam neque hic nunc propositus aliquid plus nobis ostendit iis, quæ sæpius Hippocrates manifestauit. Sed & modus dicendi haudquaquam Hippocrati conuenit. Nam *hac*: *qualia vesica fuerint, aut alui excrementa*, redditione indigent. Summa tamen (vt dixi) vera est, nam si parciùs exeat quàm pro naturæ necessitate in quauis parte, minorem morbum: si verò plus, maiorem: si verò admodum multus sit à natura recessus, mortalem debemus morbum iudicare.

Finis Comment. Galeni in Aphorismos Hippocratis.

RERVM AC VOCVM TOTO HOC OPVSCVLO memorabilium

INDEX.

Adolescen-

Aquilo

pluri

Eunuchi

Initium

Muta

S

Somnus

eueniat

Victus

FINIS.

IOAN.

IOANNIS
SIGNORETI
LVGDVNÆI,

Doctoris Medici Monſpelienſis, Practici Arauſicani,

EXCERPTA APHORISTICA ex Comm. Gal. in Aphor. Hipp.

Cum Symbolâ in vnumquodque.

Opella ſtudioſorum vſibus apprimè opportuna.

IOANNIS SIGNORETI LVGDVNÆI,

Doctoris Medici Monſpelienſis, Practici Arauſicani,

Excerpta Aphoriſtica, necnon levidenſis ſymbola.

EX omnibus Hippocratici ingenij fœtibus, nullus eſt vtilior, præclarior, diuiniórve, quàm ille qui *Aphoriſmorum* titulo inſignitur: proptereáque à Suida, ἀνθρωπίνην συνέσιν ὑπερβαίνειν, *humanam perſpicaciam ſuperare* affirmatur:

matur: ac sanè, *Nunquam Medicina minori Codice tam vastos ausa est includere sensus.* Est autem *Aphorismus*, sententia non minùs breuis quàm grauis de Medico quopiam negotio: qualibus sententiis passim etiam aliis suis in libris vtitur Hippocrates, ac quoties id facit, dicitur ἀφορίζειν. Vnde Synesius *Epist.* 115. rectè scripsit: Ἱπποκράτης ἀφορίζων τὴν ἔνδειαν ἔφη ὑγείας εἶναι μητέρα, hoc est, *Hippocrates aphoristicè pronunciauit, frugalitatem sanitatis esse parentem.* Quo ipso ad locum illum haud dubiè alludere voluit, qui extat *lib.6. Epid. sect.4. t.21.* Ἄσκησις ὑγιείης, ἀκορίης τροφῆς, &c. *Exercitatio salubris, vesci citra saturitatem.* Quod enim suspicatur Theodorus Marcilius *Not. in Sueton.* Synesium verba quæ allegat, in Aphorismis tunc legisse, parum probabile mihi videtur. Quamuis autem stylus φιλοσιώπομος, qualis

qualis Aphoristicus, variis nominibus meritò veniat commendandus, quia tamen vtplurimùm caliginis haud mediocris pincerna esse solet, mirum videri minimè debet, si tot nunc & olim extiterint Aphorismorum Interpretes, Hypomnematistæ, Paraphrastæ, certatim magni Præceptoris sensis minùs obuiis aliquid lucis fœnerare satagentes: inter quos longè præstat Galenus, cuius vnius à scriptis potissima quæque delibare constitui, innumerûm aliorum graphodiarrhœâ laborantium, pro pessimo huius sæculi more, commentaria verbosissima illis remittens, qui εὐρωστίαν plenam sortiti, longæuitatem sibi, quàm à fatis mihi negari sentio promittere non dubitant. Quâ tamen in re nosmet gerere animus est, ad exemplum apicularum varios flores in pratis modò delibantium, modò ligurientium, iuxta prudens

consilium, quod D. Basilius iuuentuti suggerebat *Homil. Quomodo legendi Græcorum libb.* cuius vtique verba cedro dignissima, quin heic adscribam, facere non possum: Ἐκεῖναι, inquit, οὔτε ἅπασι τοῖς ἄνθεσι παραπλησίως ἐπέρχονται, οὔτε μὴν οἷς ἂν ἐπιπτῶσιν ὅλα φέρειν ἐπιχειροῦσιν, ἀλλ' ὅσον αὐτῶν ἐπιτήδειον πρὸς τὴν ἐργασίαν λαβοῦσαι, τὸ λοιπὸν χαίρειν ἀφῆκαν, hoc est: *Apes neque in omnis generis flores æquè inuehuntur, neque quibus inuolitant, totos depeculari moliuntur, verùm ex ipsis duntaxat sumentes, quantum suos ad vsus aptum esse potest, reliquum omne valere iubent.* Interim verò non abs re etiam fortasse fuerit, tædij fallendi gratiâ, Opellam hancce nostram symbolâ qualicunque rorare, vbi dabitur occasio.

EXCERPTA APHORISTICA,

Ex Comment. Gal. in Aphor. Hippocr. subiunctâ subinde Symbolâ.

Excerpt. Aph. 1. sect. 1.

§. 1. HIc *Aphor.* est procemiolum totius operis: & duplici parte constat, priore quidem vsque ad illa verba, Δεῖ δὲ posteriore verò in seqq. verbis. §. 2. Singulæ dictiones expendũtur. *Vita breuis* dicitur heic, per comparationem ad Artem medicam. *Ars* ipsa *longa* tribus de caussis, id est, propter *occasionis pernicitatem*, quam parit τὸ ῥοῶδες τῆς ὕλης, materiæ inconstantia. 2. *Propter experientiam periculosæ* aleæ plenam, ob materiæ dignitatem. 3. *Propter iudicij difficultatem*, ob veritatis obscuritatem. §. 3. Posterior pars, Δεῖ δὲ, &c. sigillatim exponitur, tandémque anacephalæosis affertur, vnà cum textus Hippocr. paraphrasi.

 * Huiusce

Symb. * Huiuſce *Aphor.* priorem partem *ſicco charactere conſtare*, διὰ πυκνὰ κόμματα, notat Demetrius Phaler. *l. de Interpr.* planè quomodo Caius Imper. apud Sueton. ſtylum Senecæ, *arenam ſine calce* dicere ſolebat. ** Quòd Hipp. de vitæ breuitate hoc loco monet, déque Artis longitudine, in memoriam mihi reuocat Ciceronis verba, ſub finem *l.* 1. *Academ. quæſt. Omnes pœnè veteres nihil cognoſci, nihil percipi, nihil ſciri poſſe dixerunt: anguſtos ſenſus, imbecillos animos, breuia curricula vitæ, & , vt Democritus, in profundo veritatem eſſe demerſam*, &c.

Excerp. Aph. 11. *ſect.* 1. §. 1. Scopus huius *Aphor.* eſt, vt Medicum hortetur ad imitanda Naturæ bene agentis opera, propoſito vacuationum exemplo. §. 2. De purgatione heic agi, ſatis arguit vox *qualis*, non *quanti*. §. 3. Catharſis ſeu purgatio, duplex eſt, ſpontanea & artificioſa ſeu medica. Spontanea fit à principio interno videlicet, vel à Natura, & dicitur critica, quæ proponitur vſque ad illa verba, *Sic verò & vaſorum depletio*: vel à Morbo, & dicitur ſymptomatica. Artificioſa fit à principio externo, Medici induſtriâ, quæ à verbis illis, *Sic verò*, &c. proponitur.

§. 4.

§. 4. Vaſorum depletio, ſeu κενεαγγεία, eſt quæuis vacuatio. Purgandi humores ſua qualitate corpus infeſtantes, quod amplificatur per diſtributionem partium. Vacuandus ſanguis,& ſerum, modum ſi exceſſerint. Qui per κενεαγγείαν, ſolam inediam heic ſignificari putarunt,hallucinati ſunt. §.5. Signa redundantium humorum, ex calore petenda,adiunctâ conſideratione χώρης, ὥρης, ἡλικίης, νόσων.

* *Euphoria*, ac *ſymphoria*, poſt excretiones ſiue deorſum ſiue ſurſum, aliáſve omnis generis vacuefactiones, ſuccedens, certiſſimum eſt victricis Naturæ documentum, *Symb.*

---

§. 1. Generatim agit de quantitate vacuandorum humorum,exemplo athletarum priſcorum. §. 2. Diuiditur *aphor.* in duas partes : Prior porrigitur vſque ad illa verba, ὡσαύτως δὲ καὶ αἱ κινώσιες, quæ vltima verba alteram partem aphor. & quidem præcipuam continent : id eſt, nec replere, nec vacuare oportet præter modum.Eſt enim in his verbis epodoſis comparationis. §. 3. *Euexia* duplex,vna ſimpliciter dicta, quæ laudabilis eſt corporis affectio : altera,gymnaſtica, ſeu athletica,immodica videlicet repletio : quæ *Excerp. Aph. 3. ſect. 1.*

duplici nomine *periculosa*, tum quòd vasa nimis repleta facilè rumpantur, tum quòd calor natiuus suffocari possit, vnde mors repentina. §. 4. Anteuertenda huiuscemodi pericula *solutione* illius repletionis, hoc est, vacuatione. §. 5. Soluere verò oportet, quoniam *in eodem statu consistere nescit*: ídque propterea quòd Natura semper molitur coctionem alimenti; & nisi habeat sanguis quò ex vasis distribuatur, necessariò periculum imminet duplex ante memoratum. §. 6. Interim *vacuatio immodica* fugienda: quantùm verò vacuandum, indicant tum humor noxius, tum vires.

Symb. * *Si plenior aliquis, & speciosior, & coloratior factus est, suspecta habere bona sua debet, quæ quia neque in eodem habitu subsistere, neque vltrà progredi possunt, ferè retrò quasi ruinâ quadam reuoluuntur.* Celsus *lib.* 2. *c.* 2. *Vbi cremento locus non est, vicinus occasus est.* Seneca *Consol. ad Mart.* *Difficilis in perfecto mora.* Vellei. Paterc. *Summisque negatum stare diu* Lucan. *Quæ mortalia ad summum iam incrementum peruenerunt, necessariò consenescunt ac pereunt.* Lactant. *l* 3. *c.*6

Excerp. Aph. 4. *sect.* 1. §. 1. Agere hîc incipit de *Victu ægrotantium*: quo fit vt *aphor.* pertineat ad Diæteticen.

ticen. §. 2. Victus longorum morborum, plenior, id eſt, ſymmetrus eſto; acutorum verò, quorundam quidem plenior, aliorum verò tenuis. Quâ de re vide *lib. de vict. rat. in ac.* Hæcque indicatio victus depromitur à καταστάσει morbi. §. 3. *Victus* porrò differentiæ ſunt quatuor. I. Victus ſummè *tenuis*, abſtinentia ſcilicet per quam nihil aſſumit æger, ſiue inedia, aut ad ſummum, melicratum. II. *Tenuis*, vt alimenta pauca, aut oligotropha, verbi gratia, ſuccus ptiſanæ. III. *Symmetrus.* IV. *Plenior.* §. 4. Victûs finis, Virium conſeruatio, augmentum, aut imminutio. Symmetrus ſeruat, plenior auget; tenuis minuit. §. 5. νοῦσοι ὀξέες οὐ μὴ ἐπιδέχεται, ſunt morbi acuti, non autem peracuti: in illis enim victus tenuis locum non habet, ſed in his apprimè ex vſu eſt, vt affirmat *aph.* 7.

Symb.

* *Ægro vehementer nocet, quoties in eius quod aſſumitur vel tempore, vel modo, vel genere peccatur.* Celſ. *l.* 2. *cap.* 16.

Excerp. Aph. 5. *ſect.* 1.

§. 1. Duas eſſe notat varias initij huius *aphor.* lectiones: vnam quidem vulgatam, quam probat Gal. alteram verò eorum qui legunt: *In tenui victu hic peccant ægroti.* §. 2. Senſus *aph.* per paraphraſin talis eſt:

Quodcunque peccatum in tenui victu grauius est, primò ob vires debilitatas per talem diætam: secundò, propter insolentem mutationem in hanc ipsam. Confirmatur, quòd etiam sanis parum tutæ tenues diætæ, non quidem quòd propter ipsarum tenuitatem delinquere cogantur, sed quia errata grauiùs ferant.

Symb. * Vtrùm periculosius sit in victu ægrotantium, ad pleniorem, aut ad tenuiorem declinare, doctè ventilat Fr. Valles. *l.* 8. *Contr.* 1. vbi ostendit, grauiùs peccari declinando ad pleniorem, iuxta Hippoc. *lib. de Vict. rat. in acut. sect. 2. t. 37.* ἧσσον ἐπὶ τὴν πλήθεσιν ἰτέον, ad quæ verba Gal. hæc habet: *In quantitate ipsa ad id quod minus est procedendum magis, quàm ad id quod exuperat, vbi quis à iusto modo abscedit: nempe quod plus est, exuperatque, noxas interdum inemendabiles facit; verùm quod minus est, facilè emendatur.* Non absimile est illud Cicer. *in Oratore: Magis offendit nimiùm quàm parum*, necnon istud Isocr. *ad Nicocl* αἱ μετελότητες μᾶλλον ἐν ταῖς ἐνδείαις, ἢ ταῖς ὑπερβολαῖς ἰχύουσι. Vallesio adstipulatur Gul. Plantius, *Annot. in hunc aphorism.*

§. 1.

§. 1. Senſus eſt, Morbis maximis, quales peracuti, debetur victus tenuiſſimus, & vniuerſa curatio exquiſitiſſima.

Excerp. Aph.6. ſect.1.

* *Adiutoria parua, ſeu numero, ſeu magnitudine ſuâ, magnæ paſſioni difficilè poſſunt paria pronuntiari, aut eius deſtructioni ſufficere.* Cœl. Aurel. *l.1.chron. paſſ. c 4. Magnis telis magna portenta feriuntur.* Senec. *ep.82. Si vehementior noxa eſt, validioribus auxiliis opus eſt.* Celſ. *l.3.cap.22. Medici leuiter ægrotantes leuiter curant. grauioribus autem morbis periculoſas curationes & ancipites adhibere coguntur.* Cic. *l.1 de Offic.*

Symb.

§. 1. Hic *Aphor.* eſt veluti clauſula *præced. aphor.* §. 2. Labores extremi, πόνοι ἔσχατοι, ſunt non tantùm concitationes, paroxyſmi, aut irritationes morborum, ſed & omnia abſolutè ſymptomata. §. 3. Vigor morbi, (quem etiam heic Hipp. ἐς τὸ νόσε ἔσχατα vocat) eſt maximum ſeu ἰσχυρότατον morbi ſymptoma. §. 4. Αὐτίκα, *ſtatim*, ſignificat heic, circiter primos quatuor dies, aut paulò plus: quod quidem in tempus vigor morbi incidit. §. 5. Explicat quem victum requirant,

Excerp. Aph.7. ſect.1.

quirant, tum morbi peracuti, tum acuti alij; & cur? §. 6. *Tenuissimus victus in vigore* esse debet, primò, quia tunc adsunt maximæ φλεγμασίαι & febres, aliáve symptomata, quæ semper acutos morbos comitantur. Secundò, quia Natura à pepasmo ad pepsin auocanda non est: morbum enim sic concoctura, móxque superatura est.

Symb. * Totam hanc acutè febricitantes diætandi rationem luculentiùs explicat diuinus Senex, *lib. de Vict. rat. in ac.* facem fœnerante Galeno nostro.

Excerp. Aph. 8. sect. 1. §. 1. Continet indicationem victus ægrorum, sumptam à morbi temporibus nec diuersum docet à *superiori aph.* cui à quibusdam annectitur, tanquam basis ipsius.

Symb. * Videtur hic *aph* corollarium quoddam esse *sexti.* Imò & gremio generalis illius effati contineri, quod *aphor. 29. sect. 2.* constituit.

Excerp. Aph. 9. sect. 1. §. 1. Hoc *aphor.* proponitur altera Indicatio præscribendi ægrotanti victûs, à viribus desumpta, quâ certiùs statuere licet, quantum ab extrema victus tenuitate sit receden

cedendum. §. 2. Virium causâ alimus, non morbi. §. 3. Viribus firmis, tenuiùs; imbecillioribus, pleniùs alendum. §. 4. Interdum in ipso etiam morbi vigore cogimur alere, virium causâ.

Symb. * Nimirùm eius quod magis vrget, maior omnino habenda ratio, tantóque pleniùs alendum, quantum virium languor suadere videbitur, cùm ab ipsis indicatio vitalis tota pendeat.

Excerp. Aph. 10. *sect.* 1. §. 1. Generalior est hic *aphor* quàm *septimus*: Non tantùm enim in peracutis, sed in omnibus absolutè morbis, quorum vigor statim incidit, tenuiter alendum esse dicit. Sequentia verò eandem indicant sententiam.

Symb. * *Bis ac ter, quod pulcrum est.* Ideóque neminem tædeat, quòd Hippoc. eadem penè heic inculcet, quæ superioribus duobus *aph.* è quibus cum isto si quis vnicum conflare voluerit, non malè aget, vt scribit Gal. *comm. in aph. proximè præced.*

Excerp. Aph. 11. *sect.* 1. §. 1. Sicut suprà in vniuersum docuit victus formam in vnoquoque morbo: si hocce

aph. docet sigillatim occasionem, quâ cibos dare conueniat, abstinendum scilicet esse in paroxysmis. §. 2. *Paroxysmi* sunt concitatiores morbi motus, vel (vt definit *comm. ad aph. seq.*) totius periodi pars deterior, quæ constat tribus temporibus principio, augmento, & statu. §. 3. Dandus cibus inclinante aut desinente, non imminente aut præsente paroxysmo. Ex *lib. de vict. rat. in ac.* necnon *lib. de Humor.*

Symb. * Rectè Poëta: *Temporibus medicina valet: data tempore prosunt, Et data non apto tempore vina nocent.* Rectè etiam Cels. *lib. 3. cap. 4. Optimum medicamentum est, opportunè cibus datus.*

Excerp. Aph. 12. sect. 1. §. 1. Quia *Aphor. 4. & 7.* indicationem præscribendæ ægrotantibus diætæ, à catastasi morborum desumtam docuerat; & *Aphor. 11.* indicationem cibi præbendi in paroxysmis: iam quomodo tum catastases, tum paroxysmi cognoscantur, docet. §. 2 *Catastasis*, conditio seu constitutio morbi, est ex l. 1. Cris. ἐξ ὅλων τ̃ νοσήματος καιρῶν ποία σύστασις, per quam dignoscitur, an morbus sit acutus, vel diuturnus. §. 3. Scopi vniuersæ diætæ rectè instituendæ, à Medico

dico ſpectandi, tres ſunt, nempe I. Vires ægri, ex pulſu aliiſque ſignis deprehendendæ. II. Cataſtaſis, ſeu ſtatus morbi, & futurus vigor. III. Acceſſiones ſingulæ, quæ ad morbum referri poſſunt. §. 4. Explicat *Aphor.* per partes. I. Quomodo Morbi ipſi indicent, tum ſuam ipſorum conſtitutionem, tum acceſſionum ad inuicem proportionem, exemplo febrium intermitt. & contin. aliorúmque morborum. II. Quomodo anni tempora. III. Quomodo periodi. IV. Quomodo Epiphænomena id præſtent. §. 5. Notat, ſe ipſo ſtatim initio noſcitâſſe quartanas febres, tertianas, quotidianas, non expectatâ acceſſione aliâ: & ita victum debitum præſcripſiſſe, ex morbi ſolius cognitione. §. 6. Morbus, ex. gr. tertiana, indicat paroxyſmos, (putà, tertio quôque die futuros) & cataſtaſin, (putà, morbum fore breuem, & citò ad vigorem peruenturum) & ſic de aliis. §. 7. Tempora anni (quò referuntur temperamentum ac ætas ægri, regio, vitæ genus, conſuetudo, circumſtantis aëris præſens ſtatus) indicant etiam cum morbo, morborum cataſtaſes & paroxyſmos: Sic æſtiuæ quartanæ, breues; hyemales longæ: & æſtate paroxyſmi vtplurimùm tertio quôque die fiunt. §. 8. Hipp. ſæpè
in

in *aph*. ex vno recordanda reliqua nobis reliquit. §. 9. Ἀνταποδόσιες vel vt legit Gal. ἀνταποδόσιες periodorum, commutationes aut viciſſitudines ipſarum, ſunt incrementa paroxyſmorum, quæ indicant tempus augeſcentis morbi, & vigoris diem. §. 10. Incrementum vnius acceſſionis ſupra præcedentem, in tribus ſpectatur: videlicet. I. In hora, quâ incepit acceſſio. II. In longitudine acceſſionis, ſi pluribus horis affligat, aut paucioribus. III. magnitud. aut vehementiâ acceſſionis. Ergo anticipans, longior, & vehementior paroxyſmus vigorem breui affore oſtendit. §. 11. Paroxyſmus eſt pars deterior totius periodi: (niſi pro voce περιόδου, legere præſtet νόσου, *mobi*, vt ſuſpicatur Caſp. Hofman. *l.* 4. *Inſt. med. cap.* 27. §. 3.) Periodus verò eſt eodem ſimilis reditus. §. 12. Ἐπιφαινομένοισιν, id eſt, ſymptomatis ſeu ſignis, quæ ipſa etiam morborum paroxyſmos & conſtitutiones indicant: ídque exemplo ſputi in pleuriticis docet Hippocr. §. 13. Sequitur παρέκβασις de ſignis eorúmque differentiis: Triplicia quippe facit ſigna: id eſt, *Pathognomonica*, quæ affectiones indicant, & vnà cum morbo inuadunt. II. *Comitantia*, quæ interdum cum morbo adoriuntur, interdum ſuperueniunt, inter-

dum

dum planè absunt. III. *Prognostica*, quæ rursum triplicia: *Critica*, quæ in augmento & vigore accidere solent. *Coctionis, & cruditatis*, quorum illa nunquam in principiis adsunt; at verò ista. Denique *Salutaria, & exitialia*, è quibus similiter illa nunquam se produnt in principiis; at verò ista.

§. 14. *Principium morbi* triplex est. I. Inuasio prima, ἐπισημασία, latitudine vacans. II. Pars illa totius morbi, quam signa coctionis terminant. III. Tempus morbi, quod in tertium vsque diem extenditur.

§. 15. *Velut in pleurit.* Hoc explicat Galenus allatâ ex *l.3. Epid.* Anaxionis pleuritici historiâ.

§. 16. De pleuritidis cruditatis & coctionis signis, vt & aliarum inflammationum, quæ mensuram morborum indicant, disserit.

§.17. *Pleuritis*, alia
- 1. *Crudissima*, in qua nihil omnino spuitur.
- 2. *Minùs cruda*, in qua ichores tenues spuuntur.
- 3. *Minùs adhuc cruda*, in qua crassiores.
- 4. *Minimùm cruda*, in qua perfectè cocti apparuerint.

§. 18. *Sputorũ* varietas. Sputum aliud

- Album, læue, æquale, mediæque humidum inter & crassum cohærentiæ, signum est co-ctionis perfectæ.
- Quum omnino non spuitur, summæ cruditatis signum.
- Tenue, debilis & obscuræ co-ctionis signum.
- Sincerum, miniméque permixtum, aut flauum, aut rufum, improbandum.
- Liuidum, aut ærugini simile, aut nigrum, perniciosissimum, seu exitiale.

§. 19. Signa *coctionis* in singulis morbis, temporum morborum mensuram indicant. Súntque semper bona, vt quæ morbi solutionem breui fore ostendant, & certam indubitatámque salutem spondeant. §. 20. Signa *cruditatis* portendunt necessariò morbum fore diuturnum; non autem mortem, aut euasionem à morbo, quantum in ipsis est, nisi ante vires ægrotantis diligenter expendantur: tunc enim ex iis quoque mors vel salus præuidere potest. §. 21. Signa *exitialia* mortem breui fore minitantur. §. 22. Signa *crisima*, sunt symptomata quæ mutationem subitam significant: quo

quorum varias species recenset, vt sudores, hæmorrhagias, &c.

§. 23. Signa crisima significāt, vel
- *Salutem* propinquam, cùm scilicet post morbi coctionem accidunt.
- *Crisin improbam*, si subsequantur morbi cruditatem, quæ ægro sit allatura,
  - vel *Longitud.* temporis.
  - vel *Perniciem.*

§. 24. Docet differre signa *crisima*, & signa *coctionis*, adductis ad hoc probandum aliquot Hipp. locis: Vnde concludit, signa coctionis, quocunque tempore se prodiderint, semper esse bona, & quantò celeriùs apparuerint, tantò celeriùs salutem restituendam polliceri, atque ideò de his signis locutum esse Hippocr. *præsenti Aphor.* Crisima verò non item, interdum enim mala sunt, cùm scilicet aut *αὐτίκα ἐπιφαίνωνται*, *mox appar nt*, aut *μὴ κρίνωσι*, *non indicant*, imò crisis frustrationem invehunt. Quapropter de istis *hoc aphor.* non locutum fuisse Hipp. affirmat.

§.25. Pleuritidis signa sunt, vel

- Pathognomonica, puta,
  - Febris acuta.
  - Spirandi difficultas.
  - Tussis. *
  - Dolor lateris punctorius
- Comitantia, puta,
  - Dolor pertinens aut ad
    - hypochŏdrium
    - clauiculam.
  - Decubitus facilior in latus affectum.

Symb. * Tam fertilem segetem nactus, auidè totam penè demessui proprios in vsus. Qui de signis plura volet, Dan. Sennerti Institut. consulat, *l.3.p.3.*

Excerp. Aph.13. sect.1. §. 1. Indicationem quantitatis cibi in morbis, ab ætatibus sumtam proponit. §. 2. νηστείην εὐφόρως φέρειν, est non appetere, nec à longa inediâ offendi. §.3. Γέροντες hoc loco sunt senes non decrepiti, in prima scilicet aut media senectute constituti, inediam εὐφορώτατα φέροντες: quibus opponuntur τὰ παιδία, pueri, qui tum vehementer appetunt, tum longâ inediâ maximè offenduntur. Inter puerorum & senum ætatem

tem medij, videlicet οἱ καθεστηκότες, οἱ νέοι, & τὰ μειράκια, medio modo ad ieiunij toleran-tiam se habent, quò propiùs ab alterutra extremarum ætatum abfuerint. §. 4. Caussam huius *aph.* continet *sequens*, ita vt cum hoc copulari possit, si addatur ipsi particula γδ. §. 5. Καθεστηκότες, sunt ij, qui mediam ætatem agunt inter iuuentam, & primam senectutem. Quæ quidem ipsa ætas dici potest constans, plena, confirmata, vergens, inclinata. §. 6. Inter τῶν καθεστηκότων & μειρακίων ætates, media intercedit quædam ætas, νεότης dicta, seu iuuentus, quam floridam, perfectam, adultámve ætatem dicere possis, cuius heic non meminit Hippoc. sed ex vicinis ætatibus facilè æstimatur. §. 7. Τουτέων δὲ αὐτέων, per hæc verba, naturarum discrimina aperit. §. 8. παιδία προθυμότερα, sunt pueri viuidiore & acriore præditi ingenio: hi promptiores auidioréfque sunt ad cibum capiendum, quem etiam meliùs conficiunt ac percoquunt; imò nisi sumpserint, maius detrimentum percipiunt, quia copiosum habent calorem naturalem. §. 9. Senes decrepiti, οἱ ἐσχατόγηροι, ne breuem quidem inediam ferre possunt, ἀσιτίαν inquam. Si tamen per vocem illam νηστείην intelligatur ὀλιγοσιτία, *cibi paucitas*, omnino conue-

 nit

nit decrepitis; eáque in plures partita portiones. §. 10. Explicat cur decrepiti parum & sæpè cibandi sint, exemplo lucernarum olei defectu sensim extinguendarum, quæ licèt assiduâ indigeant olei affusione, multam tamen & confertam non ferunt.

Symb. * Ex hoc *aph.* Cassius Iatrosoph. suum exstruxit *probl.46.* Διὰ τί οἱ γέροντες ἀσιτίαν φέρουσιν; ὅτι δυσκίνητον τὸ γῆρας, ὡς κατεψυγμένον. τὰ δὲ βρέφη πολύθερμα καὶ πολυκίνητα· διαφορεῖ δὲ καὶ ἡ κίνησις· οἱ δὲ διαφορούμενοι τροφῆς δέονται. Celsus verò *lib.1. c.3.* ita habet: Quod ad ætates pertinet, inediam facillimè sustinent mediæ ætates, minùs iuuenes, minimè pueri & senectute confecti.

Excerp. Aph.14. sect.1. §. 1. Est veluti ratio *præced aphor.* agítque adhûc de quantit. ciborum. §. 2. Pueri sunt calidiores iuuenibus quòd copiosiorem; iuuenes pueris, quòd acriorem calorem habeant. §. 3. Vocem θερμὸν, *calidum*, esse homonymam, ita vt modò de sola qualitate, modò de substantia, seu substantiæ quantitate dicatur: idque dupliciter vel I. de substantia non-mista, vt si in duobus labris inæqualibus contineatur aqua æquè calida, eo casu maius labrum continebit plus calidi,

di, quàm alterum, vel II. de substantia commissa, vt si paria labra vinum & aquam, dissimili tamen in vtroque proportione mista, contineant. §. 3. Etsi *magis* & *minùs* de qualitate, *parum* & *multum* de quantitate propriè dicantur, abutuntur tamen hisce terminis Medicorum filij. §. 4. Morbi licèt magni & parui dicantur, substantiæ tamen non sunt. §. 5. Dictio θερμὸν hoc in *aphor.* de substantia intelligi debet, non verò de qualit. §. 6. Pueros plurimam calidi genuini substantiam obtinere, iuuenes autem minùs, fusè probat. I. ex natura calida hum. principiorum nostræ generationis. II. ex effluuiis copiosis, mitibus, temperatis & vaporosis corporum puerilium. §. 7. Febrilis calor est acris, mordax, tangentíque molestus, contra quàm sanorum. Iuuenum quoque calor acrior est, nec ampliùs humidus, quinimò siccior, propter calidum aduentitium. §. 8. Effluuium materiæ vaporantis, respondere decet subiectæ substantiæ, quod exemplis rerum externarum probat, ita vt humidæ humidum, siccæ siccum sit. §. 9. Effluuium è corporibus humidis maius, quàm è siccis, quod iterum exemplis rerum externarum probat. Hinc fit, vt puerorum corpora patiantur maiorem ia-

ĉturam triplicis ſubſtantiæ. §. 10. Inde colligit ſic: Plurimum cùm effluat ex puerorum corporibus & verò cibus effluuio analogus eſſe debeat; ergo πλείστης δέονται τροφῆς, vt recte Hipp. §. 11. Εἰ δὲ μὴ, τὸ σῶμα ἀναλίσκεται, *alioqui corpus conſumitur*: nec immeritò ſanè, quia vbi plurimum effluit, & parum affluit, neceſſe eſt multum de ſubiecta ſubſtantia deperire. §. 12. *Senibus verò parum calidi*: Verum eſt iſtud, tam ſecundùm qualitatem, (imbecillis enim ſenum calor) quàm ſecundùm ſubſtantiam (exiguus enim etiam ipſorum calor. §. 13. Ὑπεκκαύματα, fomites, ſuccendicula, id eſt, alimenta: repetit exemplum lucernarum ſuperiori *aph*. iam propoſitum. §. 14. Sicut ſtrue lignorum adgeſtâ igniculus obruitur, ita confertis ſuccendiculis calor ſenilis extinguitur. §. 15. *Hanc etiam ob cauſam febres ſenibus*, &c. Clauſula eſt ſeu appendix *aph*. quâ confirmatur ſenum corpora frigida eſſe. §. 16. Febris fit deceſſione caloris natiui in igneum. §. 17. Senes rarò corripiuntur febribus æquè acutis ac iuuenes: Quod ſi fiat, ſignum eſt, cauſam, quæ febrim talem excitauit, fuiſſe maximam, proindéque perniciem ægro illaturam. §. 18. Scripſiſſe ſe librum aduersùs Lycum memorat, pro *huius aph*. apologia.

* Cassius probl. 56. Τὰ βρέφη σφοδρότερον πυρέσσει, ὅτι πολύθερμα ἐστιν, ἐπίτασις δὲ τῆς ἐμφύτου θερμασίας ὁ πυρετὸς γίνεται. *Symb.*

---

§. 1. Continet indicationem constituendæ quantitatis victus sanorum, ex anni temporibus. Sequitur explicatio partium aph. *Excerp. Aph. 15. Sect. 1.* §. 2. Hyeme cibi appetentia maior, eiusdémque concoquendi facilitas, quia tunc calidissima sunt in sanis, cibi conceptacula. [illegible] κοιλίαι, sunt tum cibi, tum sanguinis conceptacula. §. 4. Φύσει, *naturâ*: Explicat Hipp. paulo pòst per ἔμφυτον θερμὸν: Itaque θερμόταται: tunc κοιλίαι, non simpliciter, sed naturali calore. §. 5. Calor hyeme augetur per antiperistasin, quia retinetur intus & coërcetur; non verò sicut æstate, expanditur & dissipatur. §. 6. Functiones omnes naturales meliùs obeuntur hyeme, tum propter caloris in altum corpus recursum, tum propter somni longitudinem (ob noctium quoque prolixitatem.) §. 7. Σημεῖον αἱ ἡλικίαι, *argumento esse possunt ætates*, indigentiæ scilicet cibi, vbi caloris adest abundantia, vt de pueris *suprà* dictum fuit. §. 8. Καὶ οἱ ἀθληταὶ, *& athletæ*: nam hi cibariis pluribus vti debent, eo quòd motu &

exercitatione corporis natiuum calorem augeant & exſuſcitent. §. 9. Poſt explicationem partium *aphor.* delabitur ad veritatis *aphor.* inquiſitionem: & primò animantia φωλεύοντα hinc excludenda putat, vtpote naturâ frigidiora; ſolâ enim ſe tolerant inediâ per hyemem, quòd eorum calor naturalis à frigore propemodùm extinguatur, ideóque non egent alimento. §. 10. Intelligi ſtatuit heic ſola animantia paulò calidiora: in iis enim calor intrò ſe recept[illegible] augetur, ſicut in robuſtis nominibus ψ[illegible] καλάχροσις, aut *frigidum balneum*, ἐπανάληψιν θερμοῦ ποιεῖ, *calorem intrò reuocat.* §. 11. Obiicitur heic, cur hyeme τὰ προσάρματα πλείω δοτέον, cùm tamen parum effluat tunc è corporibus? Etenim cibus analogus eſſe debet effluuio, aliàs plethorici morbi metus impenderet. Reſp. Calidum innatum, quod eſt omnium actionum naturalium cauſa, copioſius cùm ſit hyeme, prouidere omnino ne cibi reliquiæ inutiles in corpore retineantur, ſed eas abundè digerere, & partim per ἄδηλον διαπνοήν, quæ ſcilicet exactè tenuatæ fuerint, partim per alias ſenſiles vacuationes, vt quæ vaporoſæ per efflatum, quæ verò craſſiores, per vrinas expellere. §. 12. Hyeme non tantùm

copiosiores sunt vrinæ, sed & ipsarum sedimenta.

§. 13. Calidum natiuum est animantium natura & facultas nos gubernans.

§. 14. Hyeme & vere plus sanguinis generatur & inest corporibus, atque habiliora fiunt corpora, quàm aliis anni temporibus.

§. 15. Quantò calor insitus est fortior, tantò magis sensum fugit cutis perspiratio: ideóque

§. 16. Sudores præter naturam esse, dicebat Diocles, eo quòd omnibus ritè in corpore dispensatis, nutritionis reliquiæ, non humoris specie, sed vaporis, per cutim excerni debeant. Fieri ergo Sudores aut ab imbecillo calore, aut à causis violentis. Quam sententiam non videtur respuere Gal. quinimò ea ipsa vti, ad suæ probationem.

§. 17. Omnia probè geruntur in corpore, hyeme, modò ista tempestas sit moderatior, & proba victus ratio vsurpetur.

§. 18. Per autumnum corpus nostrum sanguine propemodum exhauritur; vnde attenuatur & imminuitur: contra quàm hyeme.

§. 19. Ca

§. 19. Calori natiuo largum alimẽtum hyeme offerendum: aliàs
- I. Vincetur ab ambiente frigore
  - Quod extrinsecùs corpus afficit.
  - Quod inspiratu introducitur.
- II. Vnà cum ipso debilitabuntur & parum procedent
  - Coctio.
  - Sanguificatio.
  - Nutricatio.
  - Vacuatio excrementorum.

§. 20. Verè postremo abundare sanguinem, fidem facit experientia, quòd scilicet eo tempore & hominibus, & equis sanguis soleat minui, ad præcauendos morbos æstate aliàs facilè orituros. §. 21. Humorum fusio oritur ab æstiuis caloribus aduentantibus dum sanguinem amplificant, & quandam velut ebullitionem in ipso concitant, vt nequeat ampliùs vasis capi: hinc phlegmonæ, erysipelata, aliique morbi. §. 22. ἦρ *vere*: Intelligendum hoc loco, si ver frigidum fuerit, aut totum, aut primis suis partibus: tunc enim eandem quam hyems, postulat victus rationem. §. 23. Heic obiter duo notanda. I. Veris initium hyemi quàm æstati similius esse, finem verò contrà.

II. Ver

VI. Ver aliàs frigiditate hyemem: aliàs calore æstatem imitari, aliquando autem mediâ temperie existere.

* Ἐν τῷ χειμῶνι τὸ οἰκεῖον θερμὸν ἰσχύει. διὸ οὐ σήπει ὁ χειμών. Aristot. *probl.* 33. *sect.* 2. Symb.

** Quomodo verum sit Galeni dictum hoc *aph*. quòd hyeme corpora plus optimi sanguinis accumulent, nisi malo omnino vtantur victu, docet Nic. Rorarius *contrad.* 74. *Galen.*

---

§. 1. Continet indicationes qualitatis victus ægrotantium. §. 2. Febricitantibus victum humidum imperat, videlicet iis quæ sunt præter naturam, contrariam victus rationem, ex indicationum lege, instituens; παιδίοισι verò & εἰθισμένοισι, denique humidioribus naturis similem victum præscribens, per humida conseruans, ea quæ sunt secundum naturam. §. 3. Febris morbus calidus siccus, est natiui caloris in igneum declinatio. §. 4. Πᾶσι πυρεταίνουσι, *omnibus febricitantibus*. Obiect. Atqui febri cum hydrope coniunctæ siccus, non humidus victus debetur. Respond. Simplicis morbi simplicem esse & peculiarem curationem; colligatorum verò communem curationis indica-

Excerp. Aph. 16. *sect.* 1.

indicationem. §. 5. In contrariis indicationibus duorum (pluriúmve) affectuum complicatorum, obsistendum vrgentiori, non neglectâ alterius curatione; vel ambobus solerter auxiliandum pari auxilio. §. 6. Dum *ætatis* & *consuetudinis* mentionem heic facit Hippocrates, reliqua quæ sunt eiusdem naturæ subintelligit, videlicet temperamentum naturale, partem anni, & regionem.

Symb. * Hieron. Mercurialis *cap.1.tract.de Feb.* necnon *comm.in hunc in aph.* per victum humidum, Hippocr. liquidum & sorbilem intelligere putat. Valesius *l 5. Controu.cap.18.* Victum humidum febricitantibus ab Hippocr. ideò commendari putat, vt præcaueant desiccationem, quæ à causa p. n. in corport fit, calorem enim febrilem, etiamsi non semper siccus sit, perpetuò tamen desiccare substantiam. Pereda *Schol. ad c.1. l.2. meth. m. Paschalij*, mauult, victum humidum heic adhiberi, vt humiditate, caloris febrilis acumen obtundatur, quod à siccitate, tanquam à cote, acuitur.

Excerp. Aph.17. sect.1. §. 1. Hactenus de cibi præbendi quantitate & qualitate, nunc de modo seu quotitate

tate agit, id est, quando sæpe seu pluries, rarò seu pauciens, tam interdiu quàm de nocte, cibandum. §. 2. Modi præbendi cibi indicationes, (sicut quantit. & qualit. victus) sunt duûm generum.

- *Prima*, quæ petuntur à
  - Morbo ipso.
  - Viribus ægri.
- *Altera*, quæ ab
  - Anni parte.
  - Regione.
  - Ætate.
  - Consuetud. &c.

§. 3. *Dandum verò aliquid.* Hoc ipso significatur, indicationem præcipuam non inde sumi, sed à morbo & viribus. §. 4. Explicat sigillatim, quas indicationes modi cibandi suppeditent tum morbus, tum vires ægri, ídque quadruplici coniugatione.

I. *coniug.*
- Vires infirmæ, & Morbus, ex humorũ
  - corruptione, aut defectu.
- Indicant dandum esse alimentum
  - *Paucum* ratione virtutis infirmæ, quæ magnam copiam vniuersim ferre non potest.
  - &
  - *Sæpius*, quia multis indiget affectus, ad
    - ἐπίκρασιν corruptionis.
    - adiectionem defectus.

coniug.

II. coniug. Vires infirmæ, & Humorũ { Symmetria id est, { nec corruptio, nec inopia. aut Abundantia. }

Indicant cibum dandũ { *Parum* & *Rarò*, & ex magno temporis interuallo.

III. coniug. { Virium robur, & Humorum copia, seu plethorica affectio. }

Indicant idẽ multò magis { Licèt enim Virtus cibi coctrix sit valida: tamen Affectio, multa non postulat.

IV. coniug. { Virtus valida, & Humorum { διαφθορὰ, hoc est, deprauatio, aut ἔνδεια, hoc est, defectus. }

Indicant

Indicant dandum
- *Multum* & — Affectus enim multa exigit. Virtus autem ea euincere potẽs.
- *Sapè.* Si tamen paroxysmi raras præbeant occasiones, raro cibandum.

§. 5. Indicationes modi cibandi ægros à cæteris rebus, putà, tempore, ætate, regione, consuetudine, sumendæ, omnes ad duos illos primos scopos redigi debent: cùm non alio fine considerentur, quàm quà causæ morborum aut sanit. siue quatenus reddunt
- Virtutem — firmam, aut, infirmam.
- Corpus — plethoricum, egenum, cacochymum.

§. 6. Æstas, (sicut *prima coniug.* morborum ex defectu ortorum) indicat dandum
- *Sapè*: quia indigent maiore alimenti accessione, ob virium exhaustum seu defectum, cute per id temporis perspirabili.
- *Parum*: quia natiuus calor paucus, solutæ ac deiectæ vires, proindéq; difficulter ferunt cibaria multa ἀθρόως data.

 Hyems

Hyems indicat cibandum,
- *Rarò*, seu *paucies*: Neque enim multum inaniuntur (quòd calorem tam copiosum non habeant, vt sani, de quibus suprà Hipp. *aph.* 15.) Quare nec adiectione tantâ cibariorum egent.
- *Multum*: Quia vires validæ.

Ver
- Iniens, indicat — Similiter cibãdũ ac hyems, sicut asserit *comm. in seq. aphor.*
- Medium, & Æstati proximum — Indicant, (sicut suprà *tertia cõiug.*) cibandum
  - *Parum*, & *Rarò*. — Quòd hac tempestate fiat fusio humorũ, & plethoricæ affectiones.

Autumnus (quem æstatem consequi dicit inf. *com. in aph.* 18. *sect* 1.) indicat cibandum,
- *Sæpè*: Quia respondet morbis ex humorum corruptione ortis, qui indigent assiduâ probi alimenti adiectione,
- &, si Virtus sit
  - fortis — *Multum*.
  - imbecilla — *Parum*.

Symb. * Aristot. *probl.* 39. *sect.* 1. æstate ὀλιγοσιτίαν & κωθωνισμὸν conuenire scribit. ** Quid insulsius

insulsius reperto Crinæ illius Medici Massiliensis, qui ad siderum motus ex ephemeridæ mathematica cibos dabat? vt est apud Plin. *l.29. Hist. nat. c.1.* Quid non ambitio mortalia pectora cogit?

---

§. 1. Continet indicationem quantitatis, seu mensuræ, ciborum in ægris, desumptam à partibus anni: neque idem dicit cum *aphor.15.* suprà, qui de sanis loquitur. §. 2. Hyeme, cibi multum simul, at raro, præbendum est omnibus: nullam enim inde noxam capient: Æstate verò capient dato ergo tunc parum & sæpè. §. 3. Autumnus æstatem consequitur, id est, eandem victus mensuram postulat ac æstas: quia autumno refrigerantur, coguntur, & densantur. §. 4. Ver hyemem consequitur, hoc est, eandem ac hyems, quantit. victûs exposcit: quia vere corpora laxari, raráque fieri incipiunt.

Excerp. Aph.18. sect.1.

* Habetur etiam hic aph. *libro de humor. t.27.* Obiter heic memoriâ tenendum: quod de autumno habet, nonnisi μέχει τινὸς, ad aliquam vsque partem ipsius, verum esse, quemadmodum loquitur *aph.18. sect.3.* quatenùs videlicet adhuc, æstatis quam excipit, sapit indolem: quod etiam ipsum de vere

Symb.

intelligendum respectu hyemis. Anni enim tempora non malè in tres partes dispescuntur, sicut mensium curricula apud Græcos, ita vt prima pars ἱσταμένη aut ἀρχομένη dicatur, secunda μεσοῦσα, tertia φθίνουσα.

---

*Excerp. Aph.*19. *sect.*1.

§. 1. Sensus *aph.* Caue ne præsente, aut quamprimùm futuro paroxysmo ægrotum alas, sed in cibo præbendo principia vita. §. 2. Tota victus ratio tribus capitibus continetur, ciborum videlicet quantitate, qualitate, & vtendi modo. §. 3. Ad rectum vtendi modum definiendum, (neutiquam ad ciborum quantit. aut qualit.) Paroxysmos statos spectandos esse, atque id præsenti *aph.* moneri, quòd paroxysmi tales indicent tempora cibi singulatim præbendi. §. 4. ἐν τῇσι περιόδ. παροξύσι. id est, per solas illas accessiones, quæ certis statísque circuitibus stato tempore, aut in orbem redeunt. Sunt enim alij quoque morbi, quorum paroxysmi repetunt, sed incertis temporibus, in quibus tempus dando cibo accommodum vix inuenire est. §. 5. πρὸ τῶν κρισίων, *ante iudicationes*, id est, ante paroxysmos, absolutè: quod magis arridet Galeno, quàm si nomine Criseôn, aut iudicationes propriè dictas exponas, aut vigorem morbi, de quo iam

sup.

ſup.& per cōſeq.de iudicatione egit. §.6.Criſes maximam partem in vigore fiunt.

Symb.

* Morbi alij acceſſiones ha-
bent { ſtato tempore, ἐν τῇσι περιόδοισι, de quibus heic Hipp. incertis temporibus, vt epilepſiæ, ophthalmiæ,&c.

** Finis diæteticæ,quæ ceperat *aphor.*4. adeóque ſedecim aphoriſmis abſoluitur.

---

*Excerp. Aph.*20. *ſect.*1.

§. 1. Aliud caput Medicinæ aggreditur, vt doceat, Medicum, mo-
dò { Spectatorem duntaxat Naturæ eſſe debere,omnia ipſi permittere,præſcriptóque victu idoneo ἡσυχίην ἔχειν, vbi ſcilicet præſtò fuerint τὰ κρινόμενα ἀρτίως,&c. vt *hoc aphor.*docet.
Miniſtrum Naturæ, ita vt aliquid agat, vbi ſcilicet imperfecta criſis eſt : addendum enim tunc quod deeſt,vt *ſeq. aph.* docet.

§. 2. Dictio ἀρτίως, ſignificat nonnun-
quam { Diebus paribus.
Nuper.
Perfectè, abſolutè, integrè, conſummatè, iuſtè, planè, aliter ἀπάρτι, ἀπαρτίως, ἀπηρτισμένως,

ὁλοκλήρως, ἀνελλιπῶς: quo ſolo ſenſu heic accipitur.

§. 3. Cùm aliquid ad perfectam Criſin deeſſe videtur, id addere debet Medicus, ſuáque operâ ſupplere, metu recidiuæ, ex ἐγκαταλιμπανομένοις.

§. 4. Criſeως perfectæ conditiones quinque

- I. Fiat euacuatione, non abſceſſu.
- II. Humor noxius, non immeritus quiſpiam, expellatur, ſicut & πλεονάζων, redundans.
- III. Fiat è directo, id eſt, recto vaſorum proceſſu & directione.
- IV. Fiat cum euphoria, id eſt, ſit toleratu facilis.
- V. Fiat humore noxio concocto, & die critico.

Symb. §. 5. Quum vna aut plures* è dictis conditionibus abfuerint, non ampliùs eſt exacta, perfecta, ſuíſque numeris abſoluta Criſis.

* Habetur & *lib. de Humor. t. 28.* Quid verò ſit Criſis, docet Gal. *comm. ad aph. 13. ſect. 2.* Criſeων differentias perſequitur *lib. 3. de Criſ. c. 1.* Vide Dan. Sennerti Inſtit. *lib. 3. part. 3. cap. 9. & 10.*

§. 1.

§.1. Sensus aph. Quæ iudicata sunt ac decreta { Perfectè, sinat Medicus. / Non perfectè, ducat & euacuet, quà decet. } *Excerp. Aph 21. sect. 1.*

§. 2. Vt pars vacuationi humoris commoda, designetur, duo diligenter obseruanda sunt à Medico.
{ I. Humoris noxij ῥοπὴ, naturæ inclinatio, momentum, ac motus.
II. Partis ipsius natura, per quam fieri debet euacuatio. }

§. 3. Loca vacuationibus commoda, sunt { Intestina, Venter, Vesica, Vterus } { Cutis vniuersa. Palatum, cerebro saltem repurgando. Nares, hæmorrhagiæ, præsertim κατ' ἴξιν. }

§. 4. Contrà, loca illis incommoda sunt, aut { I. Nobilia naturâ: tunc enim maior est futura ex iis noxa, quàm morbi ita terminati operæpretium.
II. Quæ viam non habent ad excernendum: Item, quæ non sunt sita κατ' ἴξιν. }

§. 5. Exempli gratia: Ie-

cur
- Potest expurgari duabus viis, scili-
  cet
  - Per ventrem, ídque
    vel
    - *Deorsum*, quæ via aptior, quàm
    - *Sursum*, ad vomitum agens.
  - Per renes, ac vesicam.
- Non potest per thoracem, pulmonem, & cor.

§. 6. Naturæ inclinatio-

ni
- Ad loca commoda, auxiliandum.
- Ad loca incommoda, obsistere, simúlque eò vergentem reuocare oportet.

Symb. * Extat etiam *lib. de Humor. t* 30. Eódem pertinet locus alius apud Hippocratem *libro 6. Epid* (*sect. 2. t. 28. Quæ quò non expedit, repunt, reuellere oportet: sin quò decet in viam struere, vt singula eò repant, conuenit.* Vide *Contrad. 46 Galeni*, apud Nic. Rorarium.

Excerp. Aph. 22 sect. 1. §. 1. Hic *aph.* in quibusdam exemplaribus non scribitur, sed extat *lib. de Humor. t* 19. in omnibus codd. §. 2. *φαρμακεύειν*, Hippocr. est medicamento purgante vti. §. 3. Ὀργᾶν dicuntur humores, qui motu feruntur

runtur concitatiore, & de parte vna in alteram quoquouerſum fluunt: metaphorâ ſumptâ ab animalibus in Venerem concitatis.

§.4. Crudos humores { Turgentes, purgatione vacuare oportet: quia, vt ait Galenus *com. ad aph.24. ſect.1.* ſuâ inſtabilitate Naturam ad excretionem ſtimulant.
Impactos verò, firmatóſque parte corporis quapiam nec medicari, nec vllo auxilio mouere oportet, donec fuerint πέπονα, cocti, maturi. }

§.5. Cocta medicanda: quia tunc ipſamet Natura vacuationis adiutrix erit. Solet enim primùm coquere, deinde ſecernere, demum expellere per criſes. §.6. Medicamentum autem locum non habet, ſi Natura perfectè moueat, ſed tunc duntaxat quando languidiùs agit & intra modum, vt ſcilicet medicamento ſuppleatur quod deſit, & vt moleſtus humor vacuetur vtriuſque operâ, tam Naturæ expellentis, quàm medicamenti attrahentis. §.7. Addit ſe *lib. de fac. natur.* demonſtraſſe, facultatem partium expultricem, & medicamentorum attractricem. §.8. *Vtplurimùm autem non turgent.* Ipſa experientia docet, perrarò humores

aliàs in aliam atque aliam partem transferri & fluere : ſæpius enim quieſcunt, & tamdiu parte quapiam firmati manent, donec expellantur cocti toto morbi tractu, atque ita ſoluatur morbus.

Symb. * Pepaſmus hic in diuturnis affectibus ſemper expectandus ; in acutis, minimè, niſi dederint inducias, humoréſque morbifici locum aliquem obſideant. Vide Galen. *comm. ad aph.* 24. *huius ſect.* * * Humores catullientes protinus purgandi veniunt, ne fortè in partem quampiam nobilem ruant, ex Galeno *comm ad aphor.* 10. *ſectione* 4. * * *. Cùm ait Hippocrates *non cruda*, *nec per initia*, vult inde ea ſolùm à medicatione excipere, quæ abſolutè cruda ſunt, non prohibens quæcunque aliquo modo concocta fuerint, medicari : parcè ſcilicet concedens illa purgari, quæ obſcurè cocta ſunt ; moderatè, quæ iam manifeſtè ; perfectè verò cocta, validiùs : quarum trium concoctionis varietatum cùm nulla morbi principio contingat, probè addidit, *nec per initia*. G.Franciſcus.

Excerp. Aph. 23. *ſect.* 1. §. 1. Quantitatis ſeu menſuræ τῶν χωρεόντων (ſiue ſponte naturæ, ſiue Medici operâ fiant) normam

normam indiciumve statuit Euphoriam, nequaquam multitudinem. §. 2. Euphoria sequitur humoris redundantis ac molesti vacuationem: contrà, Dysphoria seu grauitas sequitur, quum is vacuatur humor, qui naturaliter habet, tunc enim vires solui ac fatiscere necesse est. §. 3. Commodæ purgationis (in qualit. & quantit.) regulæ sunt duæ, ὡς αὖ χωρέῃ οἷα δεῖ, καὶ φέρει εὐφόρως. §. 4. *Ad lipothymiam vsque*: nimirum illam, quæ vacuationis ratione interuenit; hæc enim sola modus & mensura existit vacuationis, quæ fieri debet in casibus seqq. §. 5. ὅκου δεῖ, *vbi conuenit*: vt

in { Inflammationibus maximis.
Febribus ardentissimis.
Doloribus vehementissimis. }

§. 6. Lipothymia, seu animi deliquium fit triplici de causa: videli-

cet { I. Præ metu, vt eæ quæ ægrotantibus accidunt, dum venæ sectionem aut eiusmodi aliud auxilium reformidant.
II. Ab humoribus mordacibus os ventriculi vellicantibus, seu priùs in eo fuerint collecti, seu in ipsum confluxerint, dum auxiliũ adhiberetur: vt febricitantibus quibusdam vsu venit }

venit inter exurgendum & desidendum; quibus propterea resupinis iacentibus vena aperienda.

III. Ratione euacuationis.

§.7. Vacuationes ad lipothymiam vsque, vehementer prosunt, modò ἐξαρκέσῃ ὁ νοσέων, id est, modò constantes sint firmæque vires.

§. 8. Exempli gratia: In febribus ardentissimis Phlebotomia ad lipothymiam vsque

I. Totum corporis habitum illicò refrigerat, ac febrem extinguit.

II. Aluus etiam quamplurimis solui solet, ac sudores manare. Vnde alij febre omnino liberantur; alij magnopere saltem subleuantur, repressa inde morbi vehementiâ.

§. 9. In doloribus maximis nullum præsentius remedium vacuatione, quæ fit ad lipothymiam vsque. §. 10. Distinguendum diligenter, an vacuatio ad lipothymiam vsque fieri debeat phlebotomiâ, an purgatione: Quod docuit Gal. *lib. de vena sect.*

Symb. * De venæ sectione ad lipothymiam vsque celebranda, videatur Dan. Sennert. in *Instit. l. 5 p. 2. sect. 1. c.* 17. & Zacut. *l* 1. *Hist. Princ. Med. q.* 7 necnon Franc. Valles. *l* 7 *controu. c.* 8. *qui etiam ibid. c.* 10. *Expurgationem vsque ad lipothymiam, iudicat temerariam, summéque periculosam.* §. 1.

§. 1. Sensus *aph.* In solis acutis aliquando (nam longis in morbis semper expectanda maturatio) per initia statim (hoc est, circa primum diem, aut non vltra secundum) purgationem vtiliter moliri licet, si materia suâ instabilitate ad sui excretionem proritet (quod rarò fit ex *aph.* 22) modò id ipsum magnâ cum religione & circumspectione fiat. §. 2. Προεξδυχερμήσαντας, *magnâ cautione* : id

Excerp. Aph. 24 *sect.* 1.

est,
- I. Diligenti cum præmeditatione, & accuratâ consideratione.
- II. Debitâ cum ægroti præparatione,
- III. Cum expectatione recti, quoad eius fieri potest, iudicij.

§. 3. Duplex periculum impendet à purgatione in acuto morbo perperam vsurpata
- I. Ne febris (quæ acutos comitatur) catharticis, (quæ omnia sunt facultate calida) augeatur, & maior inde noxa in corpus redundet, quàm ex infestorum humorum mora.
- II. Ne purgatio sit irrita, ob corpus ad ipsam imparatum.

§. 4. Febris, quatenus febris est, & sui ratione

tione, tametsi humectantia & refrigerantia postulet (non calfacientia & siccantia:) Purgatio tamen interdum in febre instituitur, non quidem propter calorem illum febrilem, sed humorum nomine, qui febris causa sunt. Maior quippe vtilitas ex prauorum humorum vacuatione emergit, quàm detrimentum sit, quod ex medicam. purgantibus necessariò capitur.

§. 5. Maior existit vtilitas ex purgatione illa,
- I. Si fiat citra molestiam.
- II. Si totus humor noxius vacuetur.

§. 6. Ante purgationes præparanda sunt ægrorum corpora, iuxta *aph. 9. s. 2.* Quod fiet si
- I. Humores sint maximè fluxiles & tenuati, nulliúsque lentoris participes.
- II. Meatus, per quos fieri debet purgatio, sint ἄφραχτοι *minimè obstructi*, quinimò aperti ac referati.

§. 7. Apti non sunt ad purgationem, quibus
- I. Cruditates adsunt multæ, ex eduliis
  - Multis, aut
  - Lentis, aut
  - Crassis.
- II. Hypochõdria flatibus distẽta sunt.
- III. Vrina supra modũ calida & ignea.
- IV. Inflammatio aliqua subiectorum viscerum suspecta est.

§. 8. Purgationem hanc præproperam in morbis acutis,& hoc quoque difficilem reddit, quòd sæpè locus non sit præparationi, neque satis temporis præbeat morbus ad id efficiendum. §. 9. Quòd si præparandi occasiónem nancisci licuerit: propinandum in acutis illis morbis ante purgationem Melicratum, in quo aliquid humores tenuantium incoxerit,qualia sunt hyssop.origan. tragorig. thymus, puleg. &c.

Symb. * Ad præparandum succos, quò rectè cedat euacuatio, nunquam crassitudinem inducentibus vtendum, præterquàm in thoracis affectionibus. Fr.Valles. *lib.*7. *controu. cap.*11. Lud. Merc.t. *lib.*1. *de recto præsid. vsu, c.*3.

---

*Excerp. Aph.*25. *sect.*1. §. 1. Continetur *aphor.*2. *sect.*1. tametsi illic de vacuationibus spontaneis loquatur, hîc verò de instituendis à Medico. §.2.Cùm *hac sectionis parte* omnes propemodùm distinctiones ad vacuandum purgandúmve necessarias proposuisset Hipp. non potuit non hanc quoque adiicere.

Symb. * Militat in primis hic *aphor.* aduersus illos è Neotericis, qui cathartica non certos quosdam humores electiuè prolicere,

sed

sed omnes promiscuè solâ irritatione euacuare statuunt. * * Habetur etiam hic *aph. lib.6. Epid. sect.4. t.12.* quo loco Gal. vocabulum καθαίρονται, tam de purgationibus spontaneis quàm de artificialibus, intelligendum ait.

EXCERPTA
APHORISTICA
Sect. II. Aphorismorum.

Excerp. Aph.1. sect.2.

§.1. ΠΟνος hoc loco *læsio*, cui opponitur ὠφελέειν, *leuationem afferre.*

§. 2. Læsio ex somno, est duplicis generis.
- *Communis*, quando in principiis accessionum, seu ἐπισημασίαις ægroti obdormiscunt: qua de læsione non loquitur heic Hipp.
- *Propria*, quum in quibusdam morbis, in alio quopiam dormiunt tempore: quâ de læsione heic loquitur.

§. 3. Somnus, qui fit initiis accessionum, sequitur naturam temporis illius: (per quod scilicet

ſcilicet vniuerſus calor & humores intrò mouentur, & in profundum corporis cogi ſolent: quod in iis patet, in quibus aut horror quiſpiam, aut rigor, aut vehemens eſt ſummarum partium refrigeratio) proindéque neque mortem, neque quicquam aliud magnopere reformidandum indicat.

§. 4. Somni, qui fit acceſſionum initiis, incommoda

- I. Symptomata fiunt diuturniora.
- II. Febres ægrè ad vigorem perueniunt.
- III. Inflammatio viſcerum, ſi qua ſubſit, augetur.
- IV. Humores in ventrem confluentes, ſi qui confluant, plures cumulantur, & crudi permanent, non autem concoquuntur, vt per alios ſomnos.

§. 5. Initiis acceſſionum ægrotantes vigilare præſtat, vt motio, quæ per vigiliam fit foras, ſpiritûs, ſanguinis, vnáque in ipſis contenti caloris, opponatur ei motioni eorundem, quæ intrò fit per ἐπισημασίας; vt ita vigilia prohibeat læſionem, quàm ἐπισημασία illatura eſſet. §. 6. Quidam putant læſionem, quæ acceſſionum principiis percipitur, ex ſomno conciliari: alij verò non ex ſomno, ſed ex priuatione vtilitatis, quæ ex vigilia percipi poterat. §. 7. In omnibus aliis

accessionis temporibus videlicet incrementi fine, vigore, & præcipuè morbi declinatione, Somnus apertè iuuat. Quòd si non iuuet, nocuus est & perniciosissimus: (saltem in declinatione) quandoquidem §. 8. Si quicquam quo tempore vtilissimum esse solet, id præterquam quòd non iuuat, insuper etiam lædat, meritò perniciem portendere arbitrandum. §. 9. Læsiones ex somno fiunt, propter humorum morbificorum cacoëthiam, quos calor noster naturalis infirmior in visceribus collectus superare nequit, sed ab illis vincitur; vnde viscera ipsa grauescere, & mala mox memoranda, vnde & mors, hominem corripere solent.

§. 10. Noxæ ex somno profectæ:

- I. Febris non soluitur, sed irritatur.
- II. Dolores recrudescunt.
- III. Fluxiones multiplicantur.
- IV. Inflammationes augentur.
- V. Deliria, perseueratura in excitatis, oriuntur.
- VI. Comatis initium oboritur: hoc est, tam grauis somnus, vt vix puncti aut vellicati expergefiant.

§. 11. Vigilans foris, dormiens intus calidor est, ex *t. 13. sect. 4. l. 6. Epid.* §. 12. Somnus & vigilia fiunt, pro caloris natiui intrò foráſve

foráſve motione. §. 13. Ἡ ἀφιλία, id eſt, ſi calor natiuus ſuperet humores, nondum tamen propterea ſignum eſt certæ ſalutis. Poteſt enim æger ab alio morbo (verbi gratiâ inflammatione ſolutu difficili, in parte principe) interire. §. 14. Damna quædam ex ſomno capi, oſtendit locus Hipp. *in Epid.* dum ait: *In iis erant veternoſi ac deliri multi, qui ex ſomno tales facti erant.*

Symb. * *Acuto morbo facilè conſumitur is, cui ſomnus dolorem auget*, inquit Celſ. *lib.* 1. *cap.* 6. * * Somnus meridianus meritò ſuſpectus eſſe debet, quòd per eum ſpiritus atque calor, cum ſanguine qui ad aërem luminoſum ſponte mouentur, intrò violenter, moréque naturæ contrario cogantur ſeſe receptare, quem intrò recurſum, ἀμπάνδω vocauit Hippocr.

Excerp. Aph. 2. *ſect.* 2. §. 1. Hoc aph. exemplum proponitur, quo ſuperioris *aph.* vniuerſaliter prolati veritas meliùs eluceſcat. §. *Delirium* Nota: Singularem tantùm, ſed periculoſiorem morbum profert, vt ſimile iudicium feratur de dolore, febre, aliiſque ſymptomatis, quæ omnia bonum eſt ſomno ſedari ac terminari.

Symb. * Caue tamen, ne in deliriis idiopathicis Narcotica præscribas: causas enim illorum altiùs impingerent. Ex illustr. De la Chambre, in sua *Noua meth.*

Excerp. Aph. 3. sect. 2. §. 1. Refelluntur asserentes, Vigiliam quidem immodicam, malam esse, vt causam & vt signum; Somnum verò non item: esse quippe semper symmetrum, nec vnquam immoderatè fieri posse: somnum autem longum, quem alij damnant, esse potiùs affectum comatosum incipientem. §. 2. Somnus longus, & coma, differunt inter se:

Nam {
- *Somnus longus* est is, qui licèt temporé naturalem moderationem excedat, nondum tamen habet difficult. ad expergefaciendum. Cuius causa est, primi sensifici, id est, cerebri refrigeratio vehemens. {
  - Cum *humidit.* mixta, vnde morbi lethargici.
  - Cum *siccitate*, vnde catalepsis.
- *Coma*, seu *veternum*, quando cum somno immoderato, coniungitur difficultas in expergefaciendo.

§ 3.

§. 3. Vigiliarum causa, caliditas cerebri, ab { Intemperie sola. / Biliosi humoris redundantia.

§. 4. Refellit eos, qui negant, Vigiliam posse intra modum consistere, eóque nomine solam ametriam significari putant: Refellit, inquam, ex communi loquentium vsu, quo parua mala, magnorum comparatione, vocantur moderata: sic enim (ait) Vigilia moderata dicitur, id est parua.

Symb. * Quamuis somni immoderatio semper praua sit, non sequitur eius moderationem semper esse salutarem. Semper enim, quantumuis modicus, funestus est in viscerum inflammationibus & febribus pestilentibus. ex eod. illustr. De la Chambre.

Excerp. Aph. 4. sect. 2. §. 1. Quod de vna tantùm materia pronunciat hoc *aph.* idem de cæteris quoque intelligendum est: quod & super *aphor.* factitauit Hipp. §. 2. Sanitas definitur symmetriâ quadam & iustâ proportione: Quare

§. 3. Omnes excessus & immoderationes σὺν ἀγαθαί. Etenim { Quæ longissimè recesserunt, à iustâ illa moderatione, iam *morbi* sunt. / Quæ non tam longè absunt, indicant *morborum generationem*.

Symb. * Excessus infirmis morbos creat, & perniciem. Aristotel. *probl.26. sect.1.* vnde etiam *probl.46. sect. eiusd.* frequentissimas morborum causas agnoscit, τροφῆς ὑπερβολὴν, & πόνων ἔνδειαν, satietatem, & exercitiorum defectum.

Excerp. Aph.5. sect.2.

§. 1. Lassitudo, (κόπος) duplex est, videlicet

- A labore & motu nimio contracta, de qua non loquitur Hippoc. hoc loco, dicitúrque lassitudo absolutè.
- Spontina, ac sine motu facta, quæ est ingenerata in animantium corporibus affectio & grauitatis sensus. De qua *aphor.* intelligendus.

§. 2. Lassitudo spontanea, est triplex. Vide *libros de tu. valetud.*

- I. Vlceris sensum præ se ferens, ex — Cacochymia.
- II. Tensionis sensum præ se ferens, ex — Plenitud.
- III. Inflammationis sensum præ se ferens, ex ambabus aliis vnà coëuntibus composita.

Cùm ergo omnes hæ lassitudinum species morbos denuncient, verus *aphor.* fuerit.

* De

* De lassitudinum differentiis, & causis, non pœnitenda profert Franc. Vallesius, *l.6. controu. c.*11. *Symb.*

---

§. 1. *πόνοι, dolores*, hoc loco sunt ipsi morbi dolorifici: cuiusmodi *Excerp. Aph.6. sect.2.*

sunt { Erysipelas. Phlegmone. Vulnus. Contusio. Ruptio. Fractura, &c.

§. 2. Sic in *Epid.* meminit dolorum frigidorum & calidorum affectiones ipsas, non reipsà dolores intelligens. §. 3. *γνώμη, mens*, aut *intelligentia*: nihil enim refert, vtrum malis dicere.

* *Quibus causa doloris, neque sensus eius est, his mens labat.* Cels. *l.2.c.7.* *Symb.*

---

§. 1. Ἐν πολλῷ χρόνῳ λεπτυνόμενα, *&c.* Ratio huius prioris membri *aphor.* est, quòd huiusmodi corpora, solidarum quoque partium, (vt carnium, cæterorúmque per quæ coctio, distributio, hæmatosis, & nutricatio perficiuntur) iacturam, colliquationem, seu *Excerp. Aph.7. sect.2.*

consumptionem passa sunt : proptereáque tantum alimenti nequeunt conficere, quanto opus est corpori : tenuiter ergo ac sensim refocillanda sunt. § 2. Ἐν ὀλίγῳ, hoc est, non multo, quinimò repentino tempore extenuata, vacuationem humidæ duntaxat & spirituosæ substantiæ experta sunt, seruatâ partium solidarum firmitate & valentiâ Ergo repente & pleniùs ea reficere licet.

Symb. * Conualescentium diætam docet, quæ non aliam cynosuram habet, quàm triplicis quâ corpus constat, substantiæ deperditionem, quæ si fluxa fuerit, promptius; sin solida, lentiùs reparanda venit.

Excerp. Aph.8. sect.1. §. 1. Per Asiatismum, dicuntur προσφλῶ λαμβάνειν, qui cibum appetunt, & μὴ λαμβάνειν, qui illum respuunt. Ergo προσ-

φλῶ { λαμβάνειν, est cibum appetere, & se ad satietatem vsque replere.
μὴ λαμβάνειν, est cibum fastidire & auersari, atque intra modum epulari. }

§. 2. Sensus *aphor* per paraphrasin talis est. Qui à morbo, inuitante appetentiâ abundè ac liberaliter epulantur, (quos ἀνόλους ἐκ νόσου vocant Græci) nec proptęrea tamen

men pristinam virtutem recuperare possunt, ij grauantur potiùs & obruuntur cibi multitudine, quàm alantur & sustententur. Qui verò auiditate cibi defecti (quos δυσκόλως ἐκ νόσου vocant Græci) modicè epulantur, nec se tamen ob id recolligunt, hos prauis humoribus abundare necesse est, qui nisi vacuentur, fieri non potest, vt pristinas vires recipiant.

§. 3. Ex euacuationibus adhibet Hippoc. hoc loco, &

alibi,
- Sanguinis detractionem, cùm omnes humores iustâ inter se proportione inaucti sunt.
- Purgationem conueniente medicamento, cùm ex ipsis humoribus vnus aliquis redundat.

§. 4. Duo sequentes aphor. de vacuando agentes, explicant postremam partem istius, quæ habet, *Si verò modicè epulanti*, &c. Ex duobus autem illis, nono, & decimo, priorem scribi *decimum*, in quibusdam exemplaribus magnâ cum ratione censet, neque tamen ab ordine vulgò recepto recedere audet.

* Quid si per illam dictionem τροφὴ, sola alimenta solida intellexit Hippoc. vt peringeniosè coniicit diuini ingenij scriptor, *Syml.*

M. Curæus De la Chambre? Pertinet autem hic *aphor.* etiam ad Diæteticen conualeſcentium, vt & *aphor.* 31. *huius ſect.*

Excerp. Aph. 9. ſect. 2.

§. 1. Mallet Gal. *aphoriſmum ſeq.* heic locari, vt eſſet veluti confirmatio vltimæ partis *aphor. octaui*: ſic: *Quòd ſi cibum reſpuenti idem vſuueniat, vacuatione indigere ſciendum eſt: corpora ſiquidem impura*, &c. Hæc ex *com. ad præced. aphor.* §. 2. Reprehendit errorem vulgi Medicorum, qui putant corpora reddi εὔροα, fluxilia, vomitum proritando, quum Emeticis opus eſt, & aluum aſſiduè ſubducendó, quum deiectoriis eſt opus. §. 3. Εὔροια iſta purgationi (tam per vomitum, quàm per aluum) præmittenda, conſiſtit in duobus: I. Meatibus omnibus (per quos, humores medicamentorum purgantium vi trahi ac traduci debent) reſeratis. II. Humoribus craſſis & lentis, tenuatis & inciſis, ſi tales in corpore exiſtant: ſic enim demum feliciſſima belliſſimáque catharſis ſuccedet.

§. 4. Neglectâ hac totius corporis præparatione, ægrè moleſtéque procedet purgatio, cum {
Ventris torſione.
Interdum & vertigine quadam.
Inquietatione magna.

Pulſus

Pulſus deprauatione.
Interdum etiam corporis ſolutione, & difficultate.

§. 5. Nihil horum accidit, vtendo victu tenuante (vt faciebat Galen. quum purgare cogitabat aliquem.) Sic enim purgationes (omnium, quæ ſunt p. n. in corpore) peragi ſolent, citra vllam moleſtiam atque celerrimè, viâ ſcilicet priùs ritè ſtratâ.

Symb. * Εὔροια conciliatur tum alimentis, tum medicamentis, aliis internis, aliis externis. Sic ante Elleboriſmum, præhumectandum corpus iubebat Hipp. copioſiore cibo, & requiete *aph.* 13. *ſect* 4.

Excerp. Aph. 10. *ſect.* 2.

§. 1. Ratio *aph.* eſt, quòd praui ſucci in corpore priùs collecti, ſuo conſortio τὴν τροφὴν accedentem vitient, vnde maior cacochymia ſuccreſcit, præſertim quum venter prauis illis humoribus fuerit refertus.
§. 2. Praui humores in ventre abundantes faciunt vt cibus non poſſit capi, quod paulò antè dicebamus de iis, qui ſe ex morbo recolligunt.

Symb. * Non minor contagio eſt inter prauos corporis humores, & ingeſta alimenta etiam optima, quàm ea quæ ab immundo vaſe liquori

liquoribus infusis affricatur. *Sincerum est nisi vas, quodcunque infundis acescit.* Sic & in moralibus nihil vulgatius, quàm ex improborum conuersatione bene moratos corrumpi.

Excerp. Aph.11. sect.2.

§. 1. Explicat hic *aphor.* differentiam materiæ conuenientis recreandis è morbo conualescentibus, de quibus suprà *aph.7.* sermonem habuit. §. 2. Galenus locum Hipp. è libello *de Alim.* profert, hunc *aphor.* mirè illustrantem, qui ita habet: *Qui celeri alimenti appositione egent, humidum ipsis optimum colligendis viribus remedium: Quòd si adhuc multò celeriore egeant, odoribus sunt recreandi.* §. 3. Ποτῦ & ὑγρασίης nomine, hoc & illo loco, intelligit Hippoc. quasvis *res humidas & potulentas*, quæ alere & sustentare queunt, (non potum absolutè.) Quibus opponuntur σιτία, id est, *solida alimenta.* §. 4. Demonstratio præsentis *aph.* Humida alimenta, præsertim naturâ calida, celerrimè distribuuntur & coquuntur: quapropter inanita corpora faciliùs reficiunt: solidiora verò cibaria plus quidem alunt, sed tardiùs. §. 5. Vina, quoad substantiam & colorem spectata sunt

alia

alia
- Crassiora & rubra, quæ
  - Plurimum nutriunt, inter vina, ac
  - Celerrimè replent exhausta corpora, & alimenti indiga.
- *Tenuia & alba*, (Aquosa etiam dicta) quæ
  - Minimũ nutriunt, quòd ab aqua parum differant &
    - Colore, &
    - Virtute nutriẽdi.
  - Vrinas promouent.

* Liquidis alimentis conualescentes melius promptiúsque refici docet, tum quia faciliùs concoquuntur, tum quia feliciùs distribuuntur & assimilantur, vtpote *ἀναληπτικώτερα* solidis cibariis, de quibus solis intelligendus *aph.65.sect.7. Si quis febricitanti cibum præbeat, ægrotanti morbus fit.* *Symb.*

---

§. 1. Hic *aph.* dependet adhuc ab *octauo*, causámque exponit τῆ κενώσιος, quæ postremâ *aph.* illius parte consulitur: quasi dicat: κενώσιος δεῖται· τὰ γὰρ ἐγκαταλιμπανόμενα, &c. *Excerp. Aph.12. sect.2.*

§. 2. Reliquiæ prauorum humorum, cùm sint alienæ à corporis natura, ipsum non modò non alunt, sed interposito temporis spatio, necessariò putrescunt, febrésque

redaccen

redaccendunt. §. 3. Putrescunt maximè & celerrimè humores, si cumulentur in loco calido.

Symb. * De excrementis, quæ vel putrescunt, vel alterationem aliquam à Natura recipere possunt, videatur argutissimus Nic. Rorarius, in *Contrad.*47.*Gal.* ** Hic ipse *aph.* extat etiam *lib.6. Epid. sect.*2.*t.*21. vbi Gal. notat, bifariam intelligi posse τὸ ἐγκαταλειπόμενον, vno quidem modo humorem morbi authorem, altero autem morbosum affectum. *** *Vt malè relictus igne de magno cinis vires resumit.* Senec. *Trag. in Troad. In corporibus ægris nihil quod nociturum sit, relinquas.* Q. Curtius *l.6.*

---

*Excerp. Aph.*1. *sect.*2. §. 1. Crisis est subita in morbo mutatio ad salutem aut mortem. §. 2. Δυσφορία περὶ τὸν παροξυσμὸν, molestia crisin præcedens, oritur ex Naturæ lucta & turbatione, dum prauam & inutilem materiam à benigna & vtili secernit, & ad expulsionem præparat. §. 3. νὺξ δύσφορος, *nox grauis*: quia enim tunc dormire solemus, si turbatio somnum subinde interrumpat, ea grauior apparet, & meliùs dignoscitur. Id autem fit, quum seq. die futura Crisis; nam quum nocte futura est, turbatio

turbatio in præced. diem cadit. §. 4. ἡ δ' ἐπιοῦσα, &c. Desideratur in multis exemplaribus istud membrum (inquit Gal.) Vult autem eo significare, noctem quæ proximè crisin excipit, præcedente nocte ferè leuiorem esse. §. 5. ὡς ἐπὶ τὸ πολύ, *vtplurimum*: quia plures crises ad salutem desinunt, & plures ægroti seruantur, quàm intereunt, nisi quando pestilens est cœli status.

Symb. * Quales sint perturbationes criseos prodromæ, exponit Gal. *l.*3. *de Crif. cap.*2. Post crisin autem solet tranquillitas aduenire, vt post hyemem ac tempestatem εὐδία ac serenitas: vnde Naturæ victrici non abs re tribui potest illud prisci Poëtæ [Titinnij in *Veliterna* apud Non. *Hodie hostes fugauit, spolia placidè posteriùs leget.*

Excerp. Aph.14. sect.2. §. 1. *Mutationes excrementorum alui iuuant*, quæ multas humorum species præ se ferunt: corpus enim exactiùs repurgari indicant. §. 2. *Nisi in deteriora fiat mutatio*: id est, nisi colliquationis aut putredinis signa habeant, quales sunt pingues & fœtidæ deiectiones, de quibus Hipp. in *Progn.*

Symb. * Mutationes autem illæ in deiectionibus, spectantur vel penes substantiam, vt si crassef

craſſeſcant quæ tenues priùs fuerant, cuiuſmodi laudantur ab Hippoc. *Progn. ſect.* 2. *t.* 16. vel penes qualitates, vt ſi colore minùs laudabili tinctæ, alio ſubinde fucentur lætiore, atque ad ſubrufum, qui omnium optimus eſt, magis accedente.

Excerp. Aph. 15. *ſect.* 2. §. 1. Conſtat hic *aph.* duobus membris, quorum prius ad illa vſque verba protenditur, ἢν δὲ ὅμοιαι, &c. à quibus poſterius incipit. Eſt autem aliquid ſupplendum in fine vtriuſque: nam poſt τὸ σῶμα ξυννοσέει, hoc tanquam conſequens ſuppleri dêbet, *Minimé que tutum ipſum alere.* Et poſt illa verba, ἢν δὲ ὅμοιαι τοῖσιν ὑγιαίνουσι γίγνονται. ſupple, *corpus non ægrotat*, vt membra inter ſe oppoſita meliùs reſpondeant. §. 2. Scopus *aph.* Dixerat ſuprà *aph.* 10. Impura corpora alenda non eſſe, priuſquàm repurgata fuiſſent, ob imminentia pericula: nunc autem docet ex inſpectione excrementorum, de corporum puritate vel impuritate ferre iudicium. §. 3. Ὅκου φάρυγξ νοσέει, ἢ φύματα. *Fauces dolent*, ſuſceptis ruentibus à capite humoribus: *Puſtulæ* verò ex craſſiore prauorum humorum portione, quam Natura ad cutim protrudit ac deponit, oriuntur; necnon ab humore

humore biliofo,calfacto fanguine. §.4. Natura pravos humores principibus partibus contentos vacuat per vrinas, aluum, vomitum, puftulas. Vt autem diftinguas, vtrùm quicquid erat redundantis humoris peccantis iam vacuârit, an adhuc reftet aliqua impuritas, τὰς ἐκκρίσεις fpectare oportet. §. 5. Biliofæ ἐκκρίσεις indicant humores adhuc reftare multos, ad quos repurgandos Natura egregium omnino ceperit impetum. Ergo tunc minimè tutum eft, corpus alere, fed priùs repurgandum eft. Contrà, excretiones fanorum fimiles fignificant totum corpus rectè valere, ac nullum ab eius nutricatione periculum imminere.

Symb. * Locum præcipuè habet hic *aph.* in Crifibus per apoftafin;fed per biliofas excretiones,omnes alias prauorum fuccorum, etiam intellige: ficut per faucium dolores, reliquarum omnium glandularum tumores, à vifcerum impuritate oriundos.

Excerp. Aph.16. fect.2. §. 1. Senfus *aph.* Quum quis efurus non eft,fiue fanus, fiue ægrotus, nullum toto eo die exercitium fufcipere debet, aut motionem vehementiorem, ne vires nimiùm diffoluantur. §. 2. Λιμὸς *fames*, apud Hippoc.

E est

eſt omnis cibariorum magna indigentia: Siue fames ea

fiat { Inopiâ & egeſtate, vt olim in Æno, apud Hipp. 2. *Epid.*
Voluntariò, aut imperatò, vt tum heic ſumitur, tum *aph.* 59. *ſect.* 7. ac *Progn. ſect.* 1. *t.* 8. videlicet pro inedia. }

§. 3. Οὐ δεῖ πονέειν, *labore*, id eſt, exercitio & motu corporis vehementiore abſtinendum, tam ſanis quàm ægris. §. 4. Πόνοι,

alij { *Sanorum*, ſunt { Exercitia: de quibus dicit Hipp. 6. *Epid. ſ.* 4. *t. vlt. labor cibum præcedat.* }
Ægrorum, ſunt { Sanguinis miſſio.
Purgatio.
Vacuatio per vomitum.
Frictio multa.
Fortis corporis motio, aut alteratio. } }

§. 5. Cur autem per inediam vacandum à labore? Ne vires collabantur, quas validas tueri decet omni diligentiâ. §. 6. Vires, ſeu *virtus* animalia regens *eſt vna & non vna*, ait Hippoc. *l. de alim.* id eſt, vna quidem genere eſt, ſed multas habens ſpecies.

Symb. * Non pugnare cum hoc *aph.* Problema Ariſt. 46. *ſect.* 1. vbi quærit, cur cibum imminuere,

minuere, laborem augere salubre sit, (quod desumpsit ex celebri illo Epid. loco, ἄσκησις ὑγιής, ἀκορίη τροφῆς, ἀοκνίη πόνων) docet Ludou. Septal. *comm. in illud ipsum probl.*

---

§. 1. Idem sibi vult ac *aph. 4. huius sect.* nisi quòd illic vniuersalis est oratio, heic verò specialis, videlicet de satietate duntaxat, seu τροφῇ παρὰ φύσιν πλέονι. *Excerp. Aph. 17. sect. 2.*

§. 2. τροφὴ παρὰ φύσιν tres expositiones apud varios sortitur: quæ omnes veræ, sed *tertia* non videtur ad mentem Hipp.

- I. Relatione factâ ad vires, seu facultatem animantium moderatricem.
- II. Relatione factâ ad qualitatem cibi p. n.
- III. Relatione factâ ad quantitatem, id est, præter modum, magnoperè, seu exuperanter.

§. 3. Tres has expositiones sigillatim amplificat. Quoad amplificat. *prima*, Satietatem esse dicit cibum nimium seu copiosiorem, quàm pro corporis natura, ingestum; sícque referri ad aliud, vt omne nimium.

§. 4. Satietas intelligi poteſt:

vel
- Ad vaſorum capacitatem : de qua heic non loquitur Hipp.
- Ad Naturam nos gubernantem relat. factâ : de qua heic loquitur.

§. 5. Demonſtrat inductione trium coctionum, Hippocratem de ciborum nimietate ad vaſa non fuiſſe locutum, ſed de ſola copia ad vires.

I. Non in *prima coctione*:

nam
- Qui ciborum tantam vim ingurgitârunt, vt ipſis venter diſtendatur, ſæpè nullum inde detrimentum aut læſionem capiunt, ſed eam bellè coquunt, ſi Naturæ robur adſit, & eupepta edulia fuerint.
- Quibus cibi aliquid deeſt ad explendam ventris capacitatem, etiam pauca concoquere non poſſunt, ob Naturæ infirmitatẽ, præſertim ſi dyſpepta aſſumpſerint edulia.

II. Non in *ſecunda coctione*:

nam
- Succus longè ampliſſimus in venas diſtributus, interdum promptè vertitur in ſanguinem, tum propter proprium facultatis ſanguificis robur, tum propter naturam ſucci facilè in ſanguinẽ cõuertẽdi.

Succus

Succus etiam modicus in venas distributus, interdum non alteratur, propter imbecillitatem facultatis αἱματοποιητικῆς, quæ ad proportionem coctrici ventriculi respondet.

III. Non denique in *tertia coctione*:

nam
- Alimentum quod vnicuique animantis particulæ apponitur, etiamsi largius, à Natura vinci, belléque concoqui potest, modò sit pro viribus illius.
- Parcius, interdum minimè euincitur à Natura (quando scilicet vires excedit) sed corrumpitur, & morbum creat.

6. Accedit ad amplificationem *secundæ exposit.* τῆς παρὰ φύσιν τροφῆς. Vnaquæque pars (inquit) alitur conueniente & familiari naturæ suæ alimento, quod dicitur esse secundùm suam cuiusque partis naturam: quo fit, vt vnius partis alimentum secundùm naturam, alteri particulæ sit alienum & παρὰ φύσιν. Quòd si tale alimentum alienum pars aliqua suscipiat, ipsa quidem ab eo non aletur, quinimò morbo afficietur, siquidem magna sit eius portio. Parua enim portio, licèt malo sit particulæ, morbum tamen

necessariò non inducit:Quod ipsum probat tribus exemplis.

I. *Pharmaca*, quæ corpus nostrum corrumpere possunt, vt ruta, mandragora, papauer, nequeunt nocere sine quantitate. Ergo, à maiori ad minus, neque alimentum illud sine magna quantitate detrimentum afferre potest, cùm prætérquàm quòd suâ naturâ perniciosum non sit, alias etiam partes alere possit.

II. *Flatus* exiguus per gulam in ventrem non ita lædit, vt ægrotet.

III. *Potûs* pauxillum per asperam arteriam in pulmones deerrans, non facit vt peiùs habeat pulmo.

Ergo à simili, idem fiet in aliarum partium alimento, quod nonnisi paulò maiore copiâ, morbi causa existere potest.

§. 7. Aggreditur ad amplificationem *tertiæ expositionis*, quam illustrat sequentibus. Cibus, qui non multum excedit mediocritatem, nondum committit morbum, sed corpus seruare potest intra valetudinis latitudinem. Qui enim morbum facturus est, non parum iustam mediocritatem & conuenientem proportionem superet oportet. §. 8. Solent

lent Medici dum morborum cauſas indigitant, ſolum genus ipſum nominare, verbi gratia, æſtum, frigus, cibum, &c. ſubaudientes in omnibus his quantitatem non paruam: quomodo Hippoc. heic nudè dixit πλείονα τροφὴν, non additâ intendendi particulâ, Multò. Atque hactenus Gal. de ſignificationibus τροφῆς παρὰ φύσιν.

§. 9. Δηλοῖ δὲ καὶ ἡ ἴησις, *Indicat & ſanatio.* Coniunctionis καὶ, &, vim ac neceſſitatem docet, censétque textui inſerendam, ſiue Hippocrates eam omiſerit, ſiue ab aliquo expuncta fuerit.

§. 10. Non ſola ſanatio, quæ euentus eſt, (aut, ſi malis, iuuantia) ſed etiam ipſius rei natura, indicant morbum gigni à cibo præter naturam ſumpto.

§. 11 Euentus, aut teſtimonium ab euentu, & confirmatio; iis quæ ſolerter inuenta ſunt ſingulis artibus, accedere ſolet atque aſtipulari §. 12. Exempli gratiâ.

Huic qui affectus ſit, meriò ob repletionē ſeu plenitudiné ægrotare dixeris,
- Si plura comederit quàm pro conſuetudine.
- Si exercitationem conſuetam vel { ſeruet. / imminuat.
- Si corpus grauari onerarique ſentiat.
- Si { rubor faciei, / tumórque venarum } adſint.
- Si febricitare incipiat.

Confirmatio protenus erit conceptæ opinionis de plenitudine. Vnde animus addetur, in posterum in iisdem similiter audendi & vacuandi

Si à vacuatione levari se sentiat (Vacuationem enim molestorum humorum consequi tunc solet sanatio.)

§. 13. N. B. *ἴησις*, *sanatio*, hoc loco fit vacuatione adhibitâ, non purgatione, *πληθώρης γὰρ κένωσις ἴησις*, ex *aphor. 22. sect. huius.* Vbi notare etiam libet ex Lalamantio, *com. in Gal. de diebus decret.* *κένωσιν* propriè esse artificialem, *ἔκκρισιν* verò spontaneam.

§. 14. *Vacuatio* absolutè dicta apud Hipp. est æquabilis omnium humorum vacuatio: Estque duplex,

- Exactissima, quæ fit { Venæ sectione.
- Proximè ad hanc accedens, fitq; vel
  - Per se, & primaria ratione
    - Scarificatio malleolorũ,
    - Exercitia.
    - Frictiones.
    - Balnea.
  - Per accid.
    - Per inediã, quæ insẽsibiliter corpus vacuat.

§. 15.

§. 15. Ansam heic arripit, pauca quædam de plenitudine ad vires differendi. Plenitudo ad vires (inquit) potest quidem cœpisse absque corruptela (ita vt sanguis initio sit vtilis ac benignus) sed non potest diu in eo statu consistere, imò temporis spatio mutationem in qualitate ac corruptelam subit. Nec tamen desinit vocari *Plenitudo* à Medicis, quamdiu scilicet suam recuperare potest naturam, vacuato superuacaneo.

§. 16. Idem Sanguini accidit, dum alteratur, ac Vinis acescentibus

Vina, vbi planè acuerunt, non iam ad vini naturam redire possunt. Sic etiam Sanguis, vbi magnam mutationem p. n. siue corruptionem experitur, ad sui naturam redire nequit, quòd à Natura ampliùs vinci regíque non possit.

Vina, vbi tam leui momento ad id vergunt, vt acescere quidem, sed nondum acetum esse videantur, ex iis complura pristinam recepisse naturam sæpius sunt visa. Sic Sanguis parum à seipso degenerans, vacuato superuacaneo, qui restat, suam recuperare potest naturam.

§. 17. Differunt ergo duæ istæ Sanguinis affectiones, apud Medicos

- *Plenitudo*, quòd hæc sit
  - Absque omni corruptela, vel
  - Cum parua & emendabili corruptela.
- &
- *Corruptela*
  - Quæ tam magnam p.n. mutationem sortita est, vt à Natura ampliùs vinci regíque nequeat, quò probus, laudabilis, ac vtilis succus fiat. Atque hāc solam *Corruptelæ* nomine dignantur Medici: aliam verò *Plenitudinem* nuncupare solent.

Symb. * Nisi alimenta sint analoga temperamento, consuetudini, viribus assumentis, iustáque tam quantitate quàm qualitate vsurpentur, morborum causæ facilè euadunt. Quo fit vt heic locum habere debeat vetus dictum, *Ne quid nimis*: quod fusè exponit Erasmus in *Adagiis*.

§. I.

§. 1. Nutrientia duplicia sunt, videlicet

I. ἀθρόως, *confertim*, quæ postquam alere cœperunt, quicquid habent alimenti, totum breui tempore corpori impertiunt.
sensim, contrà.

Excerp. Aph. 18. *sect.* 2.

II. Ταχέως, *celeriter*, quæ paulo postquàm sumpta sunt, statim alunt secundùm suam naturam, modò corporibus inculpatâ valetudine fruentibus offerantur.
tardè, id est, multo postquàm sumpta sunt tempore.

§. 2. Celebres eorum διαχωρήσεις esse solent, vel celeriter corpus peruadunt: hoc est,

vel
1. Celeriter per ventrem subeunt.
2. Facilè quacumque corporis parte datum est, permeant, facilè digeruntur, & cute perspirabili euanescunt. Quo sensu citatur à Galeno locus Hippoc. è *lib. de alimentis*, vbi dicit, Cibum alteratu difficilem ægrè consumi ac discuti; contrà facilem appositu, facilè quoque consumi & exhauriri.

§. 3.

§. 3. Diachoresin ho-

rum
- accelerat, acrimonia quæpiam excretricem stimulans.
- tardiorem reddit viscíditas: hac enim diutius retinentur & morantur.

§. 4. Signa, quibus deprehendi potest, sumptum cibum iam alere:

sunt
- Pulsus
  - vehementia
  - magnitudo.
- Motus voluntarij firmitas.
- Robur nutritis partibus conciliatum.

§. 5. Manifestiora verò sunt hæc signa in iis, qui soluti sunt, & viribus defecti, propter

vel
- Vacuationem quandam manifestam.
- Fatigationem.
- Inediam.

§. 6. Quorundam alimentorum catalogum proponit, quæ ἀθρόως & ταχέως alunt. Vina citissimè & confertissimè alunt, necnon citissimè peruadunt, sed tamen καθ' ἧττον καὶ μᾶλλον. Verbi gra-

tia:
- *Aquosa* (id est, colore alba, substantiæ compage tenuia) perpaucum dant corpori alimentum, & citissimè per vrinas percolantur: quia tota propemodum ocyssimè ad hepar

prius

prius subuehuntur, quàm per aluum quicquam descendat.

Alba & crassa, plus alimenti impertiunt corpori, quàm aquosa, sed non ita celeriter & confertim alunt, permeandi autem celeritate nigris antecellunt.

Crassa & fulua, multò & copiosius alimentum corpori impertiunt, quàm aquosa, sed minùs nutriunt quàm nigra: quando scilicet celeriùs & confertiùs præ his alunt.

Et sic alia omnia διαχώρησιν habent proportione respondentem nutriendi tempori.

§. 7. Succus ptisanæ non multum alimentum impertit: cæterùm pauco in tempore, hoc est, non multo postquàm assumptus est, & vniuersim alit. §. 8. Alica multùm præbet alimentum, sed multo tempore.

§. 9. Tardissimè & sensim nutriunt, proindéque tardè per ventrem permeant ista,

Dura omnis caro.
Caro salita.
Bubula.
Suilla, &c. *quæ lentos & crassos humores habent.*
Oua cocta indurata.
Cochlea.

Gamma

Gammari, Carabi, Locusta,
Spondyli marini.
Lentes, Bulbi, &c.

§. 10. Vt certa habeatur alentis substantiæ probatio, quatuor *Diorismi* notari debent.

I. Quæ inter se comparantur, (dum scilicet explorare volumus, an hoc vel illud citiùs vel tardiùs, plus vel minùs nutriat) similem habere debent σύστασιν, id est, substantiæ compagem, ne videlicet vnum sit exactè humidum, alterum summè siccum.

II. Carnes quæ inter se comparantur, similes esse debent in apparatus & conditura forma, ita vt vtræque, v. g. similiter assatæ sint, vel coctæ.

III. Si qui succi mordaces insint, p r apparatum remoueantur. Sic in brassica & leguminibus remouentur hi succi, transfundendo inter coquendum ex vna aqua in alteram, quæ incoquuntur.

IV. Exhibeantur hominibus similiter habentibus.

§. 11. Alentia confertim & celeriter, iis exhiben

exhibenda ſunt, quorum totum corpus inanitum eſt, celeriter enim diſtribuuntur, & faciliùs ſubeunt, obſequuntúrque partium attractioni.

§. 12. *Peruaſio* ferè intelligitur de tranſitu per ventrem: poteſt tamen de eo quoque, qui quacunque corporis parte fit, intelligi. *Subductio* verò, ſeu *hypochoreſis* de iis ſolis dicitur, quæ per aluum deſcendunt.

§. 13. Suilla,&c.quæ lentos & craſſos humores habent, nonniſi multo tempore ex toto diſcutiuntur corpore.

§. 14. Olera, piſcéſque ſaxatiles, & quicquid diſtribuendo conſtat tenui ſucco, diſtributionis quidem & appoſitionis celeritate aliis præſtant: cæterùm firmam & ſtabilem naturam non habent, ſed facilè digeruntur, & cute perſpirabili euaneſcunt.

* Heic de *tachytrophis*, ſiue cibi ſint, ſiue potiones, tam valentis, quàm mediæ ac imbecillæ materiæ, (quorum enumerationem habet Celſ. *c.*18.*l.*2.) loquitur Hippoc. Huic affine illud, *6.Epid.5.t.35. E cibis hi quidem celeriter ſuperantur, illi verò tardè*: & *lib.de Alim.* τροφὴ εὐαπόθετος, ἐξανάλωτος, *cibus qui citò coquitur,citò diſſipatur.* **Symb.**

§. 1.

Excerp. Aph. 19. *sect.* 2.

§. 1. Ratio huius *aphor.* duplex
- I. Quia in morbis acutis subita fit in crisi mutatio in melius vel deterius: quæ mutatio sequitur naturam humorum morbificorum.
- II. Quia humor peccans interdum ex vno loco in alterum mutat sedem.

§. 2. *Morbi* omnes, vel sunt
- *Acuti*, qui præterquàm quòd criticè citò soluũtur, statim etiã magnitudinẽ celeritati coniunctam habent.
  - Prima diuisio. Vel
    - Accensi in solis humorib. calidiorib. nullũ certum occupantib. locũ, sed æquabiliter quauis corporis parte genitis.
    - Parte quapiam affecta fiũt, vt in
      - Pleurit.
      - Peripneũ.
      - Cynanch.
  - Secunda diuisio. Vel
    - Febres eos comitãtur velut continuæ, idq; frequẽtissimè.
    - Sine febribus sunt, idque raro; vt
      - Apoplex.

Breues,

Breues, qui celeriter finiuntur, vt { Febres Ephemeræ.

Longi, qui fiunt ratione humorum crassorum, lentorum & frigidorum, qui non facilè concoqui possunt, sed impacti & cuneati hærent partibus affectis. Itaque scirrhi potiùs quàm phlegmones naturam retinent. Ex quibus { Pauci reperiuntur, qui fiant per consensum & sine loco affecto: In quibus scilicet omnes venæ putrescentes humores æqualiter habent melanch. vel pituitosos.

§. 3. Prædictiones sunt,

vel { Longorum morborum: atque his omnibus niti ac fidere videtur Hippocrates.
Acutorum, quibus { nec semper / nec omnibus } fidit.

§. 4. O'υ πάμπαν, *non omnino*, id est, non semper, nec in omnibus: quasi dicat, interdum, quanquam rarò, fallit Medicum etiam experientem præsagitio acutorum morborum.

* *In acutis morbis fallaces magis nota sunt Symb.*

& salutis, & mortis, Celſ. *l. b. 2. cap. 6.* ** In prima diuiſione acutorum à Gal. heic propoſita, prius ipſorum genus Plantio *Acutorum primariorum* nomine, alterum *ſymptomaticorum*, non ineptè donatur.

Excerp. Aph. 20. ſect. 2.

§. 1. In hoc *aphor.* ſubaudiendum τὸ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, id eſt, *ferè*, aut *ſæpenumerò*: quod expreſſum fuit ab Hippocrate *aphoriſmo* 53. *huius ſectionis.* Vocatur autem à Galeno *com. ad aph.* 43. *huius ſect.* particula ſecuritatis & cautionis.

§. 2. Loquitur heic de mutatione alui humidæ in ſiccam, aut ſiccæ in humectam, non abſolutè, ſed quæ fit ratione ſolius ætatis mutatæ, cæteris omnibus paribus, hoc eſt, eodem victu ſeruato, & cæteris omnibus.

§. 3. Mutatur autem aluus (ſeu alui deiectio) humecta in ſiccam, ſicca in humectam, mutatis propter contrarias ætatum temperaturas affectionibus, vnde aluus humecta & ſicca reddi ſolet.

§. 4. Tabula affectionum corporis, quæ cauſæ ſunt deiectionum alui humidarum.

Parcior chyli diſtributio ab aluo ad hepar.

par. Cuius causæ

- sunt
  - Cibus copiosior assumptus quàm quo hepar egeat: (cùm enim traxerit quod ad explendam auiditatem satis est, plures superesse reliquias necesse est.) Idque vel
    - quia
      - Cibi plus appetimus, idque propter — Frigidius temperam. oris vētric.
      - Minùs attrahit hepar: idque propter — Frigidit.
  - Cibus celeriùs intestina permeans, & ocyus ad descensum festinans. (Sic enim hepar tantum trahere non potest, quanto egeat: vnde eius reliquiæ humidiores fiunt.) Celeris autem transitus causæ
    - sunt
      - I. Copia bilis in ventrem defluentis, & ad excretionem stimulantis.
      - II. Imbecillitas facult. retentricis ventric. propter — Humiditatē.
      - III. Robur facult. expultricis ventriculi & intestinorum, propter — Siccitatē.

§. 5. Quomodo singulæ istæ causæ deiectionis humidæ, in contrarium statum, ætatis progressu, mutari possint, ita vt alui siccæ euadant, tribus conclusionibus comprehendit Gal.

I. Qui iuuenes aluum naturâ humidiorem habebant, propter ventriculi frigiditatem, ij senescentes, atque adeò corpore frigidiore euadente, minùs cibi assumunt, quia incidunt in ἀνορεξίαν, id est, cibi fastidium, ob collectam in ore ventriculi valdè frigidam humiditatem. Sícque his siccatur alui deiectio, cibariorum defectu.

II. Qui iuuenes aluum naturâ humidam habebant, propter copiam bilis stimulantis, ij senes facti in contrarium statum aguntur: quia in senectute talis humor non ampliùs gignitur in corpore.

III. Qui iuuenes aluum habebant naturâ humidam, propter imbecillitatem facultatis retentricis, ij

vel Mutantur in contrarium senes facti, si aluus statim ab ortu fuerit temperamenti calidioris cum humiditate. Sic enim robusta euadet retentrix.

Non

Non mutantur in contrarium ſenes facti, ſi videlicet aluus ab ortu fuerit temperamenti frigidioris cum humiditate. Nam per ſenectutē mutatur in intemperiem frigidam præter modum, quæ facult. retentricem ſimiliter imbecillam reddit: Quia omnis intemperies immoderata actiones debilitat & lædit.

§. 6. Tabula affectionum corporis, quæ cauſæ ſunt deiectionum alui ſiccarum.

I. Paucitas cibariorum aſſumptorum pro iecinoris virtute: Cuius cauſa eſt { Cibi faſtidium (id eſt, minor cibi appetentia, & citior expletio) cuius cauſa eſt { Caliditas partium, in quibus ſita eſt appetentia. }}

II. Tarditas tranſitus. Cuius cauſæ ſunt {
1. Bilis inopia, putà in ventrem parciùs confluens & deriuata: quia { Pauca gignitur. Cauſa eſt { Viſceris frigiditas. }}
2. Siccitas exuctorum excrementorum: quòd omnis humor alimenti in chylum redacti,

dacti, sed tardè transeuntis,ab aluo in hepar obiter exugatur & efferatur. Cuius rei causa

est { Hepar moderatè naturâ temperatum.
aut
Calidiore nonnihil tẽperamento. }

3. Firmitas virtutis retentricis : Cuius causa

est { Temperamentum siccius, seu siccitas ingenita iuuenum. }

§. 7. Quomodo singulæ istæ causæ deiectionis siccæ, ætatis progressu, in contrarium statum mutari possint, ita vt alui humidæ euadant : triplici etiam conclusione comprehendit Gal.

I. Quibus iuuenibus cibi fastidium ob caliditatem aderat, mutatur id ætatis progressu. Caliditate enim decrescente plus appetent, quàm hepar subigere & euincere possit. Vnde aluus humidior euadet senescentibus.

II. Quibus iuuenibus aluus moratur propter bilis inopiam & exuctas fæces,iis senescentibus modò

{ Idem status etiamnũ manere potest.
Humidiora fieri alui purgamenta. Cuius causa }

est

est { Iecur præter modum refrigeratum : atque ita distributio valdè imbecilla reddita.

III. Quibus iuuenibus vis retentrix valentior erat, propter siccitatem ingenitam, senescentibus eadem infirmior fiet, ob eiusdem siccitatis excessum. (Omnis enim intemperies immoderata actiones lædit.) Hinc citatior cibariorum transitus, atque indidem rursum aluus humidior.

Symb. * Celsus Hippocratis verba ita Romanè reddit, *cap.* 3. *lib.* 1. *Quibus iuuenibus fluxit aluus, plerumque in senectute contrahitur: quibus in adolescentia fuit astricta, sæpè in senectute soluitur.*

Excerp. Aph. 21. *sect.* 2. § 1. Sensus *aph.* Meri potio (seu vini meraci liberalior potus) caninam appetentiam mitigare, ac tandem in totum sedare solet, causas illius persanando.

§. 2. Λιμὸς, *fames*, alia

est { Κατὰ φύσιν, quæ duplex (de qua duplici fame non est intelligendus Hippoc. hoc loco: quippe quam vini potio magis offendat, quàm iuuet & compescat: ei autem cibi copia remedio sit.)

sit.) { I. Cibi quæuis indigentia, quæ scilicet consequi solet quamuis vacuationem, puta { Longam inediam. Alui profluuium. Sanguis fluxum, &c.

II. Quæ coniunctam habet cibi appetentiam.

Παρὰ φύσιν, quæ etiã duplex { I. *Fames morbus*, seu appetentia canina: quæ est magna, insatiabilis ac perpetua cibariorum appetentia famésve. { Et hanc solam vult Gal. ab Hippoc. hoc aph. designatã fuisse τȢ λιμȢ vocabulo.

II. *Bulimus*, quæ est prostratio virtutis profecta ab externa refrigeratione. Atque hæc non intelligitur ab Hipp. hoc loco nomine λιμȢ, vt absurdè quidam voluerunt, ait Gal. { 1. Quia bulimus est particulare tantùm vitium: λιμὸς generale & vniuersale.

2. Quia

2. Quia licèt bulimus principium sumpserit ab esuritione: famem tamen non habet ampliùs coniunctam.

§. 3. In fame, quæ vacuationes consequitur, ante cibariorum esum,
In fame canina, contra.

Vinum potare
- Nocet, quia facile adfert
  - Conuulsiones
  - &
  - Delirationes.
- Prodest, quia duas illius causas persanat, videlicet
  - Intemperiem frigidam.
  - aut
  - Succos quosdam acidos os ventric. imbuentes.

§. 4. Victus ratio caninâ appetitione vexatorum.
- I. Cibaria apponantur
  - Pinguia, oleosa, aut ex oleo multo parata.
  - Nihil admiscendo
    - austeri,
    - aut
    - acerbi.
- II. Vinum aliquod liberaliter propinetur, etiamsi nondum sitiant, illúdque Generosum,

sum, { Fuluum, aut Rubrum, Non { adſtringens, aut acerbum, quod ne calefacit quidem. }

Symb. * Bulimi vox eſt homonyma apud auctores: interdum enim ingentem eſuritionem denotat ab orificij ventriculi refrigeratione profectam; quo ſenſu & vinum potens, & panem vino madidum admittit: interdum verò ſumitur pro omnimoda facultatis orecticæ deiectione, ſicut heic ſtatuit Gal. quo ſenſu etiamſi Vinum tanto affectui ſoluendo ſit impar, non tamen prorſus inutile cenſetur à Practicis.

Excerp. Aph. 22. ſect. 2. §. 1. Paraphraſis huius *aphor.* Omnes cauſæ morbiferæ per ſua contraria tolli debent: ſublatis autem illis, vnà quoque remouentur ac curantur morbi qui adhuc fiunt. Ergo morbi, qui à πλησμονῆ adhuc fiunt, (non autem qui facti iam ſunt, & eâ ſublatâ remanent) curantur κενώσει: & contrà. §. 2. Γίνονται, id eſt, qui fiunt adhuc: nam morbi iam facti per ſua contraria tolli debent,

debent, itémque symptomata morbos necessariò comitantia. §.3. Omnes causæ morbos committentes per contraria tolli debent. Ex.gr. Quod morbum facit

cit { Refrigerando. / Calfaciendo. / Propter copiam. / Vacuatione nimiâ. }

Curatur per { Calfacient. / Refrigerant. / Vacuationem. / Refectionem cibi.

§. 4. Refelluntur negantes Vacuationem esse morbum efficere, quia febrem non efficit, quæ sola morbus est. Refelluntur (inquam) hac ratione.

Non sola febris, quinimò omnis etiam affectus actiones lædens, omnísque adeò insignis intemperies, morbus est.

Atqui Vacuatio fortis affectus actionem lædentes producere potest.

Ergo Vacuatio morbum producere potest.

Minorem ex distribut. specierum illustrat. Enimverò { Sanguinis magna profusio ex vtero, hæmorrhoid. vulner. produ-

cit

sum, { Fuluum, aut Rubrum, Non { adstringens, aut acerbum, quod ne calefacit quidem. } }

Symb. * Bulimi vox est homonyma apud auctores: interdum enim ingentem esuritionem denotat ab orificij ventriculi refrigeratione profectam; quo sensu & vinum potens, & panem vino madidum admittit: interdum verò sumitur pro omnimoda facultatis orecticæ deiectione, sicut heic statuit Gal. quo sensu etiamsi Vinum tanto affectui soluendo sit impar, non tamen prorsus inutile censetur à Practicis.

Excerp. Aph. 22. sect. 2. §. 1. Paraphrasis huius *aphor.* Omnes causæ morbiferæ per sua contraria tolli debent: sublatis autem illis, vnà quoque remouentur ac curantur morbi qui adhuc fiunt. Ergo morbi, qui à πλησμονῆ adhuc fiunt, (non autem qui facti iam sunt, & eâ sublatâ remanent) curantur κενώσει: & contrà. §. 2. Γίνονται, id est, qui fiunt adhuc: nam morbi iam facti per sua contraria tolli debent,

debent, itémque ſymptomata morbos neceſſariò comitantia. §.3. Omnes cauſæ morbos committentes per contraria tolli debent. Ex.gr. Quod morbum fa-

cit { Refrigerando. / Calfaciendo. / Propter copiam. / Vacuatione nimiâ. }

Curatur per { Calfacient. / Refrigerant. / Vacuationem. / Refectionem cibi.

§. 4. Refelluntur negantes Vacuationem oſſe morbum efficere, quia febrem non efficit, quæ ſola morbus eſt. Refelluntur (inquam) hac ratione.

Non ſola febris, quinimò omnis etiam affectus actiones lædens, omníſque adeò inſignis intemperies, morbus eſt.

Atqui Vacuatio fortis affectus actionem lædentes producere poteſt.

Ergo Vacuatio morbum producere poteſt.

Minorem ex diſtribut. ſpecierùm illuſtrat. Enimverò { Sanguinis magna profuſio ex vtero, hæmorrhoid. vulner. produ-

cit

Inedia longa conci-cit { Intemperiem actiones lædentem, aut Aquam intercutem.

liat { Febrem, in iis qui calorem naturâ feruentiorem habent. Noxas alias.

§. 5. Reprehendit Medicos quosdam recentiores, statuentes sublationem causarum morbificarum pertinere ad prophylacticen, non therapeuticen. Reprehendit, inquam { I. Quòd de meris nominibus disputent, non de rebus ipsis. II. Quòd etiam de nomine ipso malè disputent. Quod sic ostendit.

Causa morbi tripliciter spectatur: Nam

vel { I. Morbum peperit, nec ampliùs adest: tunc restat sola Curatio { Morbi facti. Symptomatum illius.

II. Inest in corpore, necdum morbum committit, exempli gratia: plethora, túncque eius remotio pertinet ad Prophylacticen.

III. Morbum iam facit, túncque eius causæ remotio proprio quidem caret

ret nomine, ſed quodammodo miſta eſt,

ex { Prophylactica: (prouidendum enim ne fiat, quod de morbo faciendum reſtat.
Therapeutica.

§. 6. Pharmaca, ſeu medicamenta, quæ adhibentur ictis à cane rabioſo, duobus modis appellant Medici.

{ Ratione curationis, vocant Remedia aduerſus rabiem: id eſt, pharmaca aduerſus affectionem, quæ rabiem generat.
Ratione prophylaxeos, vocant Amuleta futuræ rabiei: id eſt, pharmaca vim habentia prouidendæ auertendæque rabiei.

* Huic *aphor.* conſonat illud Philoſophi, *Probl. vltim. ſect.* 1. *ἰατρεύονται δὲ αἱ μὲν ἀπὸ πυρὸς νόσοι, νοτίᾳ· αἱ δὲ ἀπὸ νοτίδος, πυρί· νοτίδα γὰρ ξηραίνει. Curantur verò morbi qui ab igne, humiditate: qui verò ab humiditate, igne: humiditatem enim deſiccat.* Quomodo autem opinio Chymicorum de morborum per ſimilia curatione, cum Hippocratica conciliari poſſit, docet Dan. Sennert. *cap.* 18. *tract. de conſ. & diſſ. Chym. cum Gal.*

Symb.

§. 7.

Excerp. Aph.23. sect.2.

§. 1. Sensus *aph.* Certissimâ obseruatione constat, Morborum acutorum, absolutè ita dictorum, continuatum acumen non plures dies durare, quàm quatuordecim: ita vt intra illud spatium temporis integrè terminentur, nec vlteriùs progrediantur.

§. 2. *Acuti morbi* sunt morbi & *magni*, (siue suâ naturâ, siue symptomatum vehementiâ) & *celeres*, (ὁκόσοισιν αὐτίκα ἡ ἀκμὴ, qui breui tempore statum consequuntur.) Súntque

- *Absolutè dicti*, qui scilicet intra 14. dies integrè iudicantur: de quibus solis loquitur heic Hippoc.
- ve
  - siue
    - Ab initio celeriter moueantur.
    - Posteà: nam
      - Qui primis diebus tardi & parui, circa quartum aut 5. diem citatiores demum &! vehemẽtiores fiũt, terminantur die 17.
      - Qui ad 6. aut 7. sumpserunt acumen, cessant vigesimo.

Ex

Ex metaptosi, id est, acuti per mutationem prioris status in alium, siue acuti per degenerationem à sua specie: Item acuti qui in quadraginta diebus iudicantur, aut qui durant ad quadragesimum vsque diem, quòd aliquo dierum criticorum fuerint imperfectè iudicati.

§. 3. Κρίνεται, id est, magnas faciunt mutationes, & integrè iudicantur ac finiuntur.

§. 4. *Crisis* est magna quædam in morbo mutatio derepentè facta: Eáque vel

- *Integra*, quæ duplex
  - *Bona*, mutatio scilicet subita ἐπὶ σωτηρίην, ad salutem pristinam: Cùm Natura superior euadit, strenuo impetu sumpto ad mali expulsionem.
  - *Mala*, mutatio scilicet subita ἐπὶ ὄλεθρον, ad mortem, virtute citò succumbente ob
    - Morbi magnitud. aut
    - Symptomatum vehementiam.
- *Imperfecta*, ἡμίῤῥοπος, quasi dicat, semiinclinata: quæ rursus duplex

plex
- *Bona*, éstque ῥοπὴ ἐπὶ τὸ ἄμεινον, inclinatio ad melius.
- *Mala*, éstque ῥοπὴ ἐπὶ τὸ χεῖρον, inclinatio ad deterius: ex qua tamen non moritur è vestigio ægrotans. Fit autem, cùm Natura impar cedit, & lassata dat manus.

§. 5. Ἐν τεσσαρεσκαιδεκάτῃ ἡμέρῃ intra 14.

dies.
- id est, spatio duarum septimanarum: Crises enim acutorum omnium morborum in longius tempus differri non possunt, nec vltra hunc terminum progreditur continuatum morborum istorum acumen.
- Non autem quòd sint XIV. numero dies, qui crises in his morbis faciant, vt ineptè quidam interpretati sunt. Refelluntur
  - enim
    - I. ab Absurdo
      - Nõ sũt 40. dies critici morborum acutorum ex decidẽtia, licèt Hippocr. iñ *Progn.* de iis loquens dicat simili loquendi

quendi formula, eos κρίνεσθαι ἐν περισσαῖσιν ἡμέρῃσι.

Nec ſunt etiam quatuordecim dies critici morborum acut. ex decidentia.

II. Ab Experiẽtia. — Dies XIV. eſt terminus iudicationis acutorum. Nullus enim morbus acutus adhuc viſus eſt hunc ſuperâſſe terminum.

§. 6. *Notandum tamen eſt*, Non omnes præciſè acutos, die ipſo decimoquarto iudicari: quin-

imò
- *Ante xiv. diem* multi acuti criſin ſubire & iudicari poſſunt: ex *Epidem.*
  - Bene, vt
    - XI. die.
    - IX.
    - VII.
    - V.
  - Malè, vt
    - VI.
- *Poſt decimumquartum diem* iudicantur
  - I. Morbi acuti ex decidentia, quorum criſes ἐμπίπτουσι aliquo ſequentium dierum, qui memorantur ab Hipp. in *Progn.* finem accipiunt, ídque vſque ad quadrageſimum diem, vl-

tra quem terminum extimum progredi ipsis non licet.

I I. Acuti, quorum motus sunt inæquabiles, (id est, qui diebus quibusdam sumunt vehementiam, postea eam latenter remittunt: pòst iterum augentur, & motus continuationem accipiunt.) Horum enim multi ad vlteriorem proferuntur terminum.

Symb. * Extat & in *Coac. l.* 1. *t.*153. apud Duret. Fusiùs autem hunc *aphor.* explicat ipse Gal. *vltimis capp. l.*2.*de dieb.decretor.*

---

*Excerp. Aph.*24 *sect.*2. §. 1. Cùm *praced. aph.* mentionem fecerit diei XIV. docet heic, quinam sint dies critici, seu Crisimi, per quos scilicet morbi suas ἐφόδους, impetus insultúsve mouent. §. 2. Galenus præclarè *huius aphor.* veritatem illustrat, adducto loco ex *sect.*3. *Progn.* docétque quomodo digerantur dies Critici vsque ad vigesimum, videlicet per sex quaterniones, è quibus tres singulas septimanas bifariam diffindentes, vocantur Hippocrat. ἐπίδηλοι, *indices*, aut θεωρητοί, *spectabiles*, videlicet 4.11. & 17. quia in iis signum aliquod apparet futuræ criseôs die critico proximè secuturo. §.3. Supputan- tur

tur { Duæ priores ſeptimanæ per *disiunctionem* à ſe inuicem : ita vt ſecundæ initium ſit dies octauus.
Tertia per *copulationem*, ſeu continuationem cum ſecunda:ita vt eius initium ſit dies XIV. (*non xv.*) Extremum autem XX. (*non xxi.*)

§. 4. Hinc fit, vt tres ſequentes ſeptimanæ quadrageſimo die comprehenſæ finiantur, & vt ſexageſimus ac octogeſimus dies ſint Critici, vt teſtatur experientia.

Symb. * Qui dies Criſimos antiquorum repudiare audent, Sophiſtæ à Galeno nuncupantur in *libb. de diebus Decret.* è quorum numero fuiſſe Aſclepiadem, conſtat è Celſo, *lib.3.cap.4.* cui etiam fauentem ſe exhibet : quo nomine à Bald. Ronſſéo in *Enarrat.* meritò increpatur.

Excerp. Aph.25. sect.2. §. 1. Agit de febrium (vt & aliorum omnium morborum) breuitate & longitud. ratione variarum anni partium, adducto in exemplum morbo longiſſimo, ſcilicet quartanâ.

§. 2. Causæ breuitatis morborum æstiualium,

sunt:
- Humorum redundantium (qui sunt causæ morborum)
  - Fusio quoquouersùs.
  - &
  - Perspiratio per cutem.
- Virium
  - Robur, si salutaris est futurus.
    - Quia statim humores tristifici vacuantur, sícque breui finitur morbus.
  - aut
  - Imbecillitas, si funestus.
    - Tunc enim cum vacuatione humorum peccantium, vnà quoque virtus ipsa resoluitur: sícque breui moriuntur.

§. 3. Causæ longitudinis morborum hyemalium, sunt contrariæ prædictis: nimirum
- Causarum morbi perseuerantia, quæ sunt humores intra corpus, tãquam latibulis quibusdam delitescentes.

Vires

Vires robustæ, quæ quandiu tales seruantur & permanent, abundè contra vim morbi suppeditant, nec moriuntur ægri.

* *Æstiua quartana ferè breuis est*, inquit Cels. *lib.*2. *cap.*8. licèt enim vires per æstatem nonnihil resoluantur, nec tantæ sint quantæ hyeme, tamen satis robustæ sunt ad humoris morbifici expulsionem, quia is fusus & attenuatus est, corpúsque perspirabile, ex *scholiis* G.Francisci. *Symb.*

---

§. 1. Demonstratio primæ partis

Aphor. { Spasmus, qui derepentè secundâ valetudine inuadit, fit à πληρώσεως, id est, repletione, seu infartu neruorum, à frigidis viscidísque humoribus (qualibus etiam aluntur.) *Excerp. Aph.*26. *sect.*2.

Atqui febris superueniens, humores illos { Frigidos calfacit. / lentos { tenuat, ac discutit. } }

Ergo tunc febris incendium prodest, & spasmum curat. }

§. 2. Demonstratio alterius partis

Aphor.
- Spasmus, qui sequitur magnam inanitionem seu exiccationem totius corporis & neruorum, est maximum, ac propè immedicabile malum.
- At qui sequitur febres, talis est. (Siccitatem enim inducunt febres ardentissimæ.)
- Ergo spasmus febri superueniens, malum est signum.

§. 3. Probatur maior hoc argumento.
- Morbus
  - Qui multum temporis postulat ad sui epanorthosin, nec præ vehementia suâ vllas dat inducias,
  - Quin
    - Vires statim deiicit,
    - &
    - Citã mortẽ adfert,

  est malũ immedicabile.
- Atqu   ccitas eiusmodi in neruis, talis est.
- Ergo malum est immedicabile.

Symb. * Celsus primam partem *huius aphor* aut potiùs

potiùs *aphor*.57. *sect*.4. sic exprimit *l*.2.*c*.8. *Ipsa febris* (quod maximè mirum videri potest) *sæpè præsidio est: nam neruorum distentionem rigorémque* (*si postea cœpit*) *ex toto tollit*. Idem secundam *aphor*. partem ita effert, *lib. eiusdem cap*.4. *Nunquam in acuta febre non est terribilis neruorum distentio*. Quoad primam partem *aph*. videatur Franc.Valles. *lib*.8. *controu.cap*.10. vbi disputat, an liceat morbum morbo curare, & Dan. Sennert. *lib*.1. *Practic*. vbi quærit, vtrùm febris pro spasmo curando excitanda sit, quod rectè inficiatur: sicut & Illustr. De la Chambre,in *vsu huius aph*.

---

§. 1. Sensus *aph*. Incerta sunt, quæcunque præter rationem leuiora aut grauiora fiunt in morbis; ideóque prioribus, vt suspectis ac malè tutis minimè fidendum; posteriora ἄφοβα esse debent,neque vllo modo reformidanda: propterea *Excerp. Aph*.27. *sect*.1.

quòd { Tantum abest vt mali quidquam denuntient. / Vt etiam interdum bonam Crisin mox fore significent. }

§. 2. Μὴ κατὰ λόγον, ἢ παραλόγως, id est, *præter rationem, ac te-*

merè,
- Κουφίζειν, *subleuare*, dicitur morbus, qui ex vehementi derepentè mitior fit & facilior, íd-que
  - Nullâ factâ vacuatione è corpore, quales
    - Sudor.
    - Vomitus.
    - Alui deiectio.
    - Sang. eruptio.
  - Nullísque signis coctionis adhuc apparentibus: iuxta illud, τὰ ἀσήμως ῥαςωνήσαντα φιλυπόςροφα.
- Μοχθηρὰ γίνεσθαι, deteriora fieri dicuntur, si subitò adaugeantur symptomata: vt-pote
  - Dypsnœa.
  - Delirium.
  - Febris vehementior.
  - Rigor magnus, &c.

Symb. *. Vide *Coac.* 51.*l* 1 apud Duret. Παράλογα in morbis sunt duûm generum: *bona*, quibus non magis confidendum quàm maris pellaciæ, quæ momento vertitur: *mala*, quæ brutorum fulminum more, inanes vt plurimùm terriculas obiiciunt.

§. 1.

§. 1. Summa *aph*. Repetit ex habitu corporis mala quædam signa tum longitudinis febris, tum imbecillitatis virium. §. 2. *Febricit. non omnino leuiter*, id est, magnopere febricit. seu in magna febre: est enim diastole seu diorismus in his vocibus μὴ παντάπασιν ἐπιπολαίως, quæ referendæ sunt ad διαμένειν tantùm, non autem ad συντήκεσθαι. §. 3. *Διαμένειν ἢ μηδὲν ἐνδιδόναι, sibi constare, nec minui*: cui opponitur συντήκεσθαι, quod heic abusiuè significat ἰσχνοῦσθαι, seu ἐνδιδόναι, vertitúrque à Plantio, *colliquefieri, collabi, concidere, considere, attenuari, gracilescere, imminui, emarcescere*. Propriè autem συντήκεσθαι significat contabefieri, & absumi. §. 4. Μᾶλλον τοῦ κατὰ λόγον, *plus æquo, præter rationem, plusquàm ratio postulet*: quod referendum est non tantùm ad συντήκεσθαι, sed etiam ad διαμένειν: communiter enim de vtraque parte prædicatur. §. 5. Expensis vocibus ad rem accedit.

Excerp. Aph. 28 sect. 2.

§. 6. Corpus plus

æquo { Διαμένειν | in febre < Magnâ, est signum, malum, puta { Longitud. febris, ex { magna abundantia crudórum humorum.

Paruâ

Paruâ, non est signum malum { Obortâ enim febriculâ propter humorum copiam, præsertim statu cœli frigido, licèt corpus perstet ἀσύμπλωτον, nihil tamen mali, nec febris lõgitudinem portendit.

Συωτήκεια in omni febre { magna / parua } Malum est: vtrobique enim signum est τ̃ ἀσθενείας.

§. 7. Quibus indicationibus & vnde sumptis expendi & intelligi debeat illud μᾶλλον ἢ κτ̃ λόγον.

Ægrotos emaciant ista, quæ omnia *causa* tantùm sunt, non *signa*, ἀσθενείας Provt enim corpus minuitur, ita virtus deiicitur ac pessundatur.

- I. Febris magnitudo. / II. Morbi tempus. } Maior enim febris, meritò citiùs & magis macilentos reddit, quemadmodum & morbi longitudo.
- III. Ætas puerorum, & senum decrepitorum: quia puerorum corpora

corpora plurimùm fluunt & vacuantur, propter calidit. & humidit. ſenum corpora facilè collabuntur per febr. propter virium imbecillit.

IV. Regio. V. Anni pars. VI. Tempeſtas ſeu præſens anni ſtatus. } Calidiores enim & ſicciores corpus magis vacuant: Frigidiores & humidiores magis aſtringunt, denſant, adeóque prohibent ne corpus digeratur & inaniatur perſpiratione cutis.

VII. Vacuationes manifeſtæ & ſenſibiles, vt ſanguinis eruptio, ſudorum, aut vrinarum copia, vomitus, alui deiectio, complures protenus extenuant, quia corpus exinaniunt.

VIII. Inedia. IX. Vigiliæ. X. Curæ. } Quæ & ipſa corpus emaciant.

XI. Motus plures, ſeu frequentes. { Corporis, vt ſi febricitans peregrinetur.

Animi,

Animi, vt	Mentis alienatio, Furor.	Vnde vel assiduè exurgũt, vel loquuntur.
Corpus amplius conseruant ac tuentur.		Horum contraria.

§. 8. Cùm ergo nullum eorum, quæ modò dicta sunt corpus emaciare, præsens est, ac nihilominùs corpus ipsum prærer rationem attenuatur, omnis demum illa *σωύτηξις* corporis (*colliquefactio, attenuatio, gracilitas*) præter rationem facta, *ἀσθένειαν σημαίνει*, id est, *signum est* & argumentum *imbecillitatis virium*: quod heic statuit Hipp.

§. 9. In sensibus decrepitis

Ἀσθένεια causa est *συντήξιος*, id est, *virium imbecillitas* causa est *gracilitatis*, faciens nimirum vt corpus per febres citò collabatur. Σωύτηξις verò *ἀσθένειαν σημαίνει*, id est, *gracilitas signum est imbecillitatis*.	Nec mirum: ita enim se res habet in omnibus, quæ efficiẽtium & effectorum rationem sortiuntur.

§. 10. Causa gracilitatis in febribus, seu propter quam colliquefit corpus plus æquo, duplex est

I. Inter

I. Interdum ſola virium imbecillitas, cuius vnius hoc *aph.* meminit Hipp.

II. Alia etiam affectio, quam addit Gal. dicens eſſe quoque & ipſam tanquam cauſam gracilitatis:

puta { Tenuitas humorum. Raritas corporum, ſeu laxitas cutis. } Quando enim iſta duo coniungũtur, tũc corpora, quã ocyſſimè vacuantũr per ἄδηλον διαπνοὴν.

§. II. Contrà, affectus oppoſitus facit, vt corpus ſibiipſi conſtet, nec eius moles conſi-

dat. { Craſſities ſeu craſſitudo humorum. & Dẽſitas corporum, ſeu cutis. } Nulla enim fit humorum vacuatio: proptereáque corpus ſibiipſi cõſtans, longitudinem morbi ſignificat, vt heic docet Hipp.

Symb. * Prognoſticum durationis morbi ex habitu corporis non extenuato petitum, ſic proponitur à Celſo, *l.2.c.5. Morbum longius tempus habiturum colligere poſſumus, vbi ager pro ſpatio parum emacreſcit.* Quod ad alterum verò prognoſticum imbecillitatis virium, ex

præ

præpropera extenuatione depromtum, his verbis apud eundem proponitur *lib.2. c.4.* *Mali morbi signum est, nimis celeriter emacrescere*: quod fit à debili facultate, quæ neque coctioni, neque nutritioni pro dignitate sufficit, propter depauperationem spiritus ac humidi solidarum partium à cæco & cacoëthe Vulcano.

Excerp. Aph.29 sect.2. §.1. Ætiologia præsentis *aph.* in proximè sequente continetur. §. 2. Tam in hoc, quàm in seq. *aph* vox ἀρχὴ, duo morbi tempora, putà principium & augmentum comprehendit. §. 3. *Mouere* in morbis, est maiora celebrare remedia, qualia sunt præcipuè phlebotome, interdum & purgatio. §. 4. In vigore melius est ab vsu majorum quiescere, ne Naturam tunc humorum pepasmo incumbentem interturbemus. §.5. Morborum & symptomatum τὰ ἔσχατα seu vigores, etiamsi perpetuò coincidant: attamen in morbis benignis & salutis spem præbentibus, minor quidem morbus est in vigore, sed symptomata sunt vehementiora. §.6. In affectibus exitialibus tantum abest vt aliquid mouere debeat Medicus, vt potiùs soli prognostico laborantes committere, ne artis

tis præsidia infamentur. §. 7. In morbi vigore facultas animalis fatigata laborat, sed vitalis & naturalis fortes permanent.

Symb. * Ad hunc *aph.* allusit Gal. scribens *lib. de totius morbi temp. c* 8. Per vigorẽ morborum, in curatione præpollere debere, quod mitigandi vim sortitur; in principio verò & fine, τὸ ἀγωνιστικόν. Hinc rectè Lactantius, *lib. 6. Diuin. c. 4. Quum est propositum cum hoste certamen, priùs laborandum est, vt sis postmodum in otio.* **. Non de nihilo Practicis heic vellit aurem Illust. De la Chambre, ne morbis vigentibus tam audaces sint in mittendo sanguine, vt solent esse plerique.

Excerp. Aph. 30. sect. 2. §. 1. Non de morbis, sed de symptomatis intelligendus hic *aph.* quæ seipsis per morborum vigorem vehementiora redduntur, qualia sunt febrium accessiones, vigiliæ, dolores, sitis, alysmi, &c.

Symb. * Vtrùm tempora morborum penes essentiam, symptomata, & coctionem simul perpetuò concurrant, ad vnguem examinat Zacutus Lusit. *lib. 4. Hist. Princ. Medd. q.* 14. In quo verò tempore morbus dicendus sit major, definit solertissimè Roder. à Castro, in *Synt. prædict. medic. pag.* (mihi) 101. *& seqq.*

Excerp. Aph. 31. *sect.* 2.

§. 1. Hic atque ſequens *aph.* de Conualeſcentibus agentes, affines ſunt *octauo huius sect.* & quod heic ἀσιτίειν dicitur, illic προσφέρειν λαμβάνειν, quod heic σῶμα ἐπιδιδόναι, ibi ἰσχύειν dixerat. Vires autem non recipere, & corpus non proficere duo ſunt inter ſe quodam modo ſimilia. §. 2. Corpus porrò eutrophiâ non proficit in conualeſcentibus, duplici de cauſa: vel propter

- Virtutis altricis imbecillitatem.
- Humorum peccantium redundantiam.

Symb.

* In ἀναλήψει diæta conueniens præcipuum ſolet ferre punctum, præſertim τοῖς προσάρμασι, quæ aſſumuntur, eáque euchyma, eupepta, euanadota, à quibus ſi neque habitudini corporis, neque viribus debita fiat acceſſio, alterutram cauſam à Galeno modò memoratam præſtò eſſe oportet.

Excerp. Aph. 32. *sect.* 2.

§. 1. Hic etiam *aph.* de Conualeſcentib. loquitur, quorum alij quidem ab εὐσιτίᾳ ad ἀσιτίαν, quod peius; alij contrà ab hac ad illam deueniunt, quod melius ac optabilius iudicat Hipp. licèt cauſam vtriuſque euentus non

non expresserit. §. 2. Eusitia, siue vescendi auiditas initio conualescentiæ suborta, ex qua tamen vires non reuocantur, indicat robur partium appetitui dicatarum, præsentibus multis impuritatibus, quæ alimenta inquinant, & orectica organa paulatim labefactant: vnde tandem ἀσιτία, cibi fastidium concipitur. §. 3. Asitia initio conualescentiæ eo potissimùm nomine præferenda Eusitiæ, quòd per ipsam Naturam non auocetur à pepasmo reliquiarum morbificarum: quibus domitis demum succedit Eusitia, & virium redintegratio.

Symb. * *Mali morbi signum est*, inquit Celsus *lib. 2. cap. 4. post cupiditatem cibi, póstve longas febres hunc fastidire.* Ecce primum huius *aph.* membrum: alterum verò proponit idem *lib. 2. cap. 3.* hisce verbis: *Cupiditas cibi vel à primo seruata, vel etiam post fastidium orta, inter bona indicia est.*

Excerp. Aph. 33. sect. 11. §. 1. Signum ab Hipp. bonum aut malum dictum, tale esse intelligitur quantùm in se est: nequaquam verò statim dicit, hominem aut saluti restituendum, aut moriturum. §. 2. Bonum signum à maiore malo, sicut malum à potentiore bono vinci potest. §. 3.

H De

De morbi exitu, non nisi ex æstimatione virium signorum sigillatim omnium, pronunciari potest, ex *sect.* 3. *Prog. t.* 37.

§. 4. Bona signa in morbis sunt talia,

vel {
- Absolutè.
- Comparatè : ídque in morbis,
  - vel {
    - Omnibus, vt heic {
      - *ῥώμη τῆς διανοίας, mentis constantia*, quæ cerebri, neruorum, diaphragmatis, bonam valetudinem indicat.
      - Τὸ εὖ ἔχειν πρὸς τὰς προσφοράς, *rectè se habere ad oblata*: quod viscera nutritia & cor, salua esse docet.
    - Certis solùm, vt { In acutis, eupnœa.

Symb. * Duo signa heic proposita, coniunctim, non autem diuisim sumpta, ab Hippoc. heic laudari, censet perillust. De la Chambre : ac si dixisset summus Præceptor : Appetitus integritas sine errore τοῦ ἡγεμονικοῦ, bona est in omni morbo. Cæterùm quoad contrarium statum attinet, diuisim etiam sumpta hæc signa,

ſigna, praua ſunt : Sic Celſus *lib.2.c.4. Mali morbi eſt, in prima febre protinus mentem eſſe turbatam*:quem quidem locum Hippocratico huic effato contrarium eſſe , cenſet Balduinus Ronſſéus in *Enarrat.*

---

§.1. Naturæ vocabulum , etſi πολύσημον, heic ſignificat temperamentum : quod quidem duplex *Excerp. Aph.34. ſect.2.*

eſt
- Primum , ſeu inſitum à principiis generationis.
  - Simplex
    - Calidius.
    - Frigidius.
    - Siccius.
    - Humidius.
  - Compoſit. Cal.ſiccum,&c.
- Acquiſitum, ſeu aduentitium, ab
  - Ætate.
  - Habitu , aut conſuetud.
  - Parte anni.
  - Tempeſtate cœli.
  - Regione.

  Totuplex.

§.2. Calidis ergo naturis , verbi gràtia, calidi morbi ſunt familiareſ ac próprij , iiſdémque minùs periculoſi,& ſic de cæteris.

§.3. Heic tria dubia mouet ac ſoluit Gal. I. Dioclis , qui morbos à ſimilibus conci-

tari, à contrariis solui asserebat, propterea-que causum v. g. hybernum æstiuo, faciliorem curatu esse. Ad quod Resp. Non esse heic tam respiciendum ad curationem (cuius tamen ratione is causus periculosus quoque sit) quàm ad magnitudinem causæ, quam temporis contrarietas reprimere non potuit. Vnde fit vt morbus degener, congenere non tantùm sit grauior, præ magnitudine causæ, sed etiam, cæteris paribus, sit curatione difficilior. II. Branchi & coryzæ, iuxta *aph*.40. *s*.2. in valde senibus non concoquuntur, quibus tamen sunt congeneres. Ergo magis ægrotant, qui congeneribus detinentur. Respond. 1. differre ista, non concoqui, & periculosum esse: hîc enim agi de securitate, non de pepasmo. 2. De senibus σφόδρα, seu decrepitis istud dici, in quibus morbi quidem omnes periculosi sunt, ob virium imbecillitatem, periculosiores tamen degeneres. III. Si, quorum natura vergit ad tabem, magis periclitantur, vt constat ex 1. *Epid*. *sect*.1. *t*.18. Ergo morbi consentanei periculosiores erunt. Resp. Eo loco *Epid.* vocem *Natura*, non significare temperamentum, sed τὴν τοῦ σώματος ἰδέαν, *conformationem*, quâ præditi, putà στηθώρακες, tum faciliùs promtiúsque tabe corripiuntur, tum semel

ſemel correpti magis periclitantur. §.4. Explodendi, qui per morbum οἰκεῖον τῆς φύσεως, interpretantur morbum temperamento contrarium.

Symb. * Vtri morbi periculoſiores, analogi an diſſimiles, examinant Valleſius *lib.*10. *Controu. cap.*12. & Zacutus *lib.*3. *Hiſt. Princ. Medd. quæſt* 46. ** Reſponſio Gal. ad dubium Dioclis confirmari etiam poteſt ex Ariſt. *ſect.*1. *Probl.*6.

---

*Excerp. Aph.*35. *ſect.*2.

§. 1. Epigaſtrij tres ſunt regiones, quæ omni affectione p. n. vacare debent,
- 1. *Hypochondrium*, quod ex *Progn. ſect* 1. *t.*27. eſſe debet
  - indolens.
  - molle.
  - æquabile.
- 2. τὸ περὶ τὸν ὀμφαλὸν, *regio vmbilicalis.*
- 3. τὸ ἦτρον, ſeu *hypogaſtrium.*
- Vtraque vt habet heic Hiip.
  - Craſſiora, meliora, vt
    - *Signa* roboris partium ſubiacẽtiũ,
    - *Cauſa*, quatenus fouẽt partes quib. incubant.
  - Macilentiora, contrà.

§. 2. Extenuatio nimia abdominis, præsertim musculorũ ipsius, tum ad ἄνω, tum ad κάτω καθάρσιας parũ tuta: feliciùs enim vtræque fiunt, quum partes infra thoracem omnes sunt robustæ, quales vtplurimùm sunt carnosæ ac succi plenæ.

Symb. * ***Mali morbi testimonium est, cutem circa vmbilicum & pubem, macram habere.*** Celsus, *l.2.c.4.* Hinc Hipp. *sect.2. Progn t.19.* in omni morbo ventrem εὔογκον optat.

Excerp. Aph.36. sect.2. §. 1. Duo hominum genera, dum purgantur, citò satiscunt, deficiunt ac exoluuntur: nimirum

- Qui sano sunt corpore
  - Quia carnium liquefactionem à catharticorum vsu patiuntur, dum prauos humores, in quos agant, non reperiunt.
- Qui minùs sano præditi sunt corpore: puta
  - 1. Illaudabilibus alimẽtis vtentes.
  - 2. Prauis succis è ponerotrophia oriũdis scatentes.
  - Propter vitiosorũ humorum copiã.

* Sanis

* Sanis corporibus purgantia neutiquam conueniunt, quæ si porrigantur, non possunt non aliquà nocere, & si paulò validiora fuerint, orificium ventriculi insolentiùs vellicando, cardiogmon, animíque deliquium parere, imò & conuulsionem, quod de helleborismo in specie pronunciat *sect.4 aph.16.* Quod attinet ad eos, qui improbo victu vtuntur, à mochlicis etiam impensè lædi possent, ideóque nonnisi per blandas epicrases partitim veniunt repurgandi. **Symb.**

---

§.1. Bene valentibus, dum purgantur
- Non tantùm ἐκλύσιας citò, contingit, vt est in *præced. aphor.* ***Excerp. Aph.37. sect.2.***
- Sed purgationes ægrè ferre, obortis scilicet
  - Vertigine.
  - Torminibus.
  - Discatharsia.

  Quia Catharticũ familiari humore, quem attrahat, destitutum, sanguinẽ liquat & carnes.

* Hinc colligere est, Pharmaca non eos humores procreare, qui non sunt, sed eos qui sunt trahere. Vide Nicol. Rorarium, *Contrad.93. Galeni.* ** *Non expedit concutere*

 felicem

felicem statum. Seneca Tragicus in *Oedip.* Sic etiam, Haud medicamentis fas corpora sana mouere.

Excerp. Aph. 38. *sect.* 2.

§. 1. Gratiores cibi, etsi paulò peiores, ægrotanti indulgentur, { tum ad gratiam ab ægrotāte ineundam. tum ad ipsius vtilitatem. } Tales enim cibos vētriculus arctiùs cōplectitur, meliúsque retinet ac concoquit.

§. 2. Hinc fit vt peiores suâ naturâ cibi, meliores interdum reddantur libenter vtentibus, quàm fercula aliàs εὐχυμότερα.

Symb.

* Qui plura ad huius *aph.* sensum facientia desiderat, adeat *comm.* Galeni nostri *ad t.*8.*sect.*4.*lib.*6.*Epid.* vbi Hipp.habet: Ægrotantibus χάριτες, *gratificationes.* His verò gratificationibus modestè vti debet Medicus, qui Salutem ægri pro scopo gerendorum statuere sibi debet, *adulatoris enim est, cubantis delitiis subscribere*, vt habet Gal. *lib.*12.*m.m. cap.*1. Cæterùm quod de ægrotantibus heic dixit, aut saltem de conualescentibus, Hippoc. de sanis quoque dici debet: *facilè quippe ferunt cibos, quibus adsueti sunt,*

ſunt, etiamſi naturâ non ſint boni, ſimiliter etiam potus: agrè autem ferunt tum cibos, tum potus, quibus adſueti non ſunt, etiamſi boni ſint. lib. de Vict. acut. ſect. 2. t. 33.

---

§. 1. Senes { Temperantiæ cultores, ſunt minùs obnoxij morbis, quàm iuuenes. Intemperantes, ſunt iis magis obnoxij, eo quòd ſint imbecilliores iuuenibus, propter ætatem. } *Excerp. Aph. 39. ſect. 2.*

§. 2. Chronicis affectibus (qui omnes frigidi ſunt, proptereáque ſenibus familiares) magis patet ſenecta quàm iuuentus: qui quidem affectus ipſam ad mortem vſque comitari ferè ſolent, propter potentiæ ſummam imbecillitatem.

Symb. * Cicero in *Catone mai. Faciliùs in morbos incidunt adoleſcentes, grauiùs ægrotant, triſtiùs curantur: itáque pauci veniunt ad ſenectutem.* ** Senectutem, quæ ipſa morbus eſt, minùs morboſam eſſe iuuentute dicit heic Hipp. quatenus temperantiâ prudenter ſibi conſulit. Quanquam etiam *lib. 1. de Diat.* homines calida-ſiccâ temperie natiuâ præditos, ſera in ætate ſaniores eſſe, quàm præ- greſſis ætatibus fuerint, pronunciet: contra verò frigidos-humidos ab ortu, vbi conſe-

 nuerint,

nuerint, morbosiores, sicut hanc rem ingeniosè explicat Theod. Zvvinger. stupendus sensorum Hippocraticorum Oedipus, *comm. in huncce lib.*

Excerp. Aph. 40 *sect.* 2.

§. 1. *aph.* exemplum est posterioris membri, *aph. proximè præcedentis.*

§. 2. Morbi senum frigidi, alij sunt
- heic memorati
  - βράγχοι, *destillationes.*
  - κόρυζαι, *grauedines.*
- subintellecti
  - Nephritis.
  - Podagra.
  - Arthritis.
  - Ischias.
  - Affectus frigidi,
    - Coli.
    - Splenis.
  - Asthmata.
  - Tusses.
  - Spinæ luxationes.
    - κύρτωσις.
    - λόρδωσις.
    - σκολίωσις.

§. 3. Tantùm verò abest, vt in valdè senibus affectus hi frigidi coctionem admittant, vt etiam à quibusdam iuuenibus ægrè percoquantur.

Symb. * Morbos senum συντρόφους è censu calidorum, vt sunt cephalæa, hemicrania, affectus

fectus calidi renum, arthritis calida, interdum ante mortem sedari, scribit Hippocr. *6. Epid. sect. 5. t. 6.* idque tripliciter, videlicet διὰ πεπασμὸν, λύσιν, καὶ ἀραίωσιν: dummodò viribus vtcunque firmis adhuc polleant ista silicernia.

---

§. I. Ἔκλυσις (seu *animi defectio*, aut *deliquium*, vel — *Excerp. Aph. 41. sect. 2.*

est,
- Cita morte funesta, quæ scilicet contingit,
  - 1. Frequenter.
  - 2. Vehementer.
  - 3. Sine prophasi manifesta.
- Propter scilicet imbecillit. facultatis animalis, vt in
  - Animi deliquio cum vehementi palpitatione cordis.
  - Syncopis cardiacis.
- Non ita lethalis, quæ contrà
  - A causis manifestis, in iis quibus os ventriculi vel imbecillius, vel εὐαίσθητον: vt sunt,
    - Longior mora in balneo, præsertim malis lignis succenso.
    - Apnœa hysterica, seu μητρόπνιγμος.

πνιγμός.

Ieiunium ante balnei vſum.

Symb. * Meritò heic æſtuant multi, quòd Gal. ἔκλυσιν derepente homines de medio tollentem, referat ad imbecillitatem facultatis *animalis.* An pro ψυχικὴ, reſcribendum φυσικὴ, *naturalis?* quatenus Vitalem facult. comprehendit, vt apud ipſummet Galenum interdum, nominatim verò *lib. De ſympt. differ. cap.*4. vbi pulſificam facultatem inter φυσικὰς, *naturales*, recenſet. Quicquid ſit, conſtat omnino, eclyſin tam citò iugulantem, arguere potiùs facultatis vitalis, quàm animalis imbecillitatem, ob varios Cordis ipſius morbos, inprimis vlcera, de quibus vide Tulpium, *lib.* 2. *Obſeruat.* 16. Quamobrem Leonh. Fuchſius non dubitat hoc loco pro ψυχικὴ, reponere ζωτικὴ.

Excerp. Aph. 42. *ſect.* 2. §. 1. Apoplexia, quæ repentina eſt ſenſus ac motus totius corporis priuatio, quatuor eſt generum, pro vario reſpirationis ſtatu:

puta
- 1. *Maxima* & acutiſſima, omnem reſpirationem prohibens.
- 2. *Fortis*, in qua ſeruatur quidem reſpiratio, ſed ægrè, procedens quippe cum magna violentia, δυσφορίαν πνεῦμα

πνιγμώδης vocat Hipp. in *Coac.*

3. *Minùs fortis*, vbi non violenta quidem, ſed anomala eſt, inordinata, & intermittens reſpiratio.

4. *Debilis*, in qua reſpiratio ordinem aliquem ſeruat: atque hæc ſola curam admittit, cùm tres reliquæ, in quibus læſa eſt reſpiratio, ferè curationem reſpuant.

§. 2. Fiunt omnes hi Apoplexiæ gradus, intercepto facultatis animalis influxu in partes capite inferiores. Idque

vel { A calida materia, ſeu diatheſi phlegmonode, in celebro conſiſtente.
A pituitoſo humore ventriculos cerebri opplente. Affectus autem vel maior vel minor eſt pro cauſæ magnitudine. }

§. 3. Ex omnibus corporis muſculis per apoplexiam immotis, ſoli thoracici motum ſæpe retinent, ob neceſſitatem reſpirationis: quo fit vt omnes tunc agant, non quidem auctâ tunc reſpirandi neceſſitate, vt aliàs fieri ſolet in vehementiſſimis corporis exercitationibus; ſed propter virtutis imbecillitatem multò auxiliari coactis omnibus, quemadmodum vſuuenit per febres virtutem habentibus imbecillam.

* Maxima

Symb. * Maxima illa & acutissima Apoplexia, cuius heic meminit Gal. nil aliud esse videtur quàm Syncope cardiaca, iudice Casp. Hofmanno *lib. 4. Instit. med. cap. 25.* §. 43. quam ipsam Aretæus *l. b 2. De caus. & sign. acut. cap. 3.* tam à Medicis, quàm à vulgo, rectè vocari scripsit *ὠκυφόνον κακὸν*, *malum celeriter interimens*, vt ingeniosè ibidem legisse Renatum Moræum τ πάνυ, monuit nos Car. Sponius, affinis noster amantiss. & eruditiss. quo in loco aqua priùs hæserat interpreti Iun. Paulo Crasso, aliísque omnibus. ** In definitione Apoplexiæ hoc loco traditâ, supplendum, *cum rectricis partis functionibus cohibitis*: ex Gal. ipso, *l. De sympt. diff. cap. 3.*

Excerp. Aph. 43 sect. 2. §. 1. Spuma omnis, quoad materiam, è duplici substantia comminuta & permista, constat: videlicet

- Humida, multas in partes fracta: eáque vel est
  - solutu facilis, vtpote minùs viscida.
  - δύσλυτος & constans, quæ crassa ac viscida: qualis
    - Circa os equorum cursu fatigatorum.

Circa

Circa os aprorum irâ percitorum.

Spirituosa, quam humida circumplicat, vnde bullæ.

§. 2. Spuma, quoad causam efficientem, fit vel à

Motu violento substantiæ materialis, vel

- Vtriusque.
- Alterius tantùm: sic
  - Spumescit mare per tempestates vento vehementiùs ingruente, propter vehementem vndarum collisionem.
  - Spumant Epileptici, præ iactatione & motus violentia.

Calor vehementi, vt

- In feruente lebete.
- In apris iratis.

Vtroque: v. gr.

- In equis cursu concitatis: in quibus,
  - tum Saliua tenuatur per frequentem aëris intrò ac foras delati respirationem.

Vapor

Vapor ex pulmonibus permiſcetur.

§. 3. Spuma circa os animalium natans,

tum
- Quoad partem humidam,
  - Non effertur è ventriculo: cùm abſint
    - Vomitus.
    - Nauſea.
  - Sed è pulmonibus.
- Quoad vaporoſam, non è ventriculo quoque, ſed ſolùm è pulmone educitur.

§. 4. Quod de ſpuma circa os, dictum modò eſt, de ſpumoſo quoque ſanguine per os reiecto dici debet, qui è pulmone effertur confertim & cum tuſſi: à quo longè differt, qui ex ventriculo promanat.

§. 5. Spuma in iis qui ſtrangulantur, fit circa os, ex fuliginoſo cordis excremento in pulmonem compulſo, ac efflari prohibito: quod totum pulmo violenter, cum humiditatis propriæ portione aliqua extrudere contendit. Quæ res cùm ſummam vim pulmonibus illatam indicet: mirum eſſe non debet, ſi pro ſigno exitiali ab Hippocrate agnoſcatur. Tria enim heic concur-

runt { Calidæ materiæ feruor.
Spiritûs motus violentus.
Pulmonis contentio vehemens. }

§. 6. Prognosticum istud mortis, à Spuma petitum, non semper ac necessariò verum est: sed tantùm ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, *vtplurimùm*: quam particulam heic omisit „sicut etiam fecit *aph.*20. *huius sect.* expressit autem *aph.*53.*eiusd*

* De genuina lectione huius *aph.* lis est inter Eruditos: an scilicet legendum, κατακλυομένων, *solutorum à laqueo*, cum vulgo, & Corn. Celso, qui ita Latinè interpretatur *l.*2. *cap.*8. *Neque is ad vitam redit, qui ex suspendio, spumante ore, detractus est*: an potiùs leg. καταδυομένων, *submersorum*, cum Cornario, *Dolab. in P. Ægin. l.*3.*c.*27. vbi vide. *Symb.*

---

§. 1. Habitus corporis à natura, seu ἐκ γενετῆς, ab ipso ortu: vel *Excerp. Aph.*44 *sect.*2.

est { Σύμμετρος, seu εὔσαρκος, aut μετρίως ἔχων, id est, quadratus, aut modicè corpulentus: qui omnium optimus & viuacissimus, etiamsi postea crassus euadat.
Ἄμετρος, qui duplex est { Σφόδρα παχὺς, opimus, obesus: qui minùs

minus viuax gracili, tum ob venarum exilitatem, tum ob sanguinis & spirituum paucitatem.
Ἰσχνὸς, gracilis: qui viuacior est opimo, ratione causarum internarum; quanquam externarum iniuriis faciliùs offendatur: vnde infirmus dicitur Celso.

Symb. * *Obesi plerumque acutis morbis & difficultate spirandi strangulantur, subitóque sæpè moriuntur, quod in corpore tenuiore vix euenit*, ait Cels. *cap.* 1. *lib.* 2. Maior enim vbertas tum probi sanguinis, tum calidi natiui, gracilibus meritò facit spem vitæ longioris.

Excerp. Aph. 45. *sect.* 2.

§. 1. Apoplexia & Epilepsia
- Conueniunt
  - Loco affecto, putà Cerebri ventriculis.
  - Humore morbi auctore
    - frigido.
    - crasso.
- Disconueniunt, quòd
  - Apoplexia fiat, propter virtutis ad neruos affluentis consummatam priuat.
  - Epilepsia fiat, ob motum vitiosum & peruersum.

§. 2. Epilepsia puerorum curatur mutatione

sione {
Ætatis: adoleſcentiâ quippe, quæ temperamento eſt cal. ſicc. quod denuò docet *com. ad aph.7.ſect.5.*
Loci: vtpote regionis calidioris & ſiccioris.
Victûs {
Si proba eius ratio, omiſſa vitioſa, ineatur.
Si ea eligatur, quæ corporis habitum efficit calidiorem & ſicciorem.

Symb. * Iſtis ab Hippoc. enumeratis meritò acceſet quoque Gal. idoneum medicamentorum vſum, *com. ad aph.7. ſect.5.* Verba porrò Gal. de Apoplex. & Epilepſ. natura tum conueniente, tum diſcrepante, cum aliis ipſius locis conciliat Nicol. Rorarius, *contrad.44. Galen.*

Excerp. Aph 46 ſect.2. §. 1. Ratio *aph.* in eo conſiſtit, quòd tota ſentiendi facultas ad obiectum quod magis vrget, conuerti ſoleat, ac velut in diuerſum trahi. §. 2. Dolores

duo {
Non poſſunt ſimul vnquam conſiſtere in eadem præcisè particula.
Poſſunt ſimul conſiſtere,
vel {
In parte latiùs ſumpta, & maiore, putà brachio, aut tibia:

tibia : túmque mutuò molestiam augent : vnde Hipp. de hisce non intelligendus hoc loco.

In locis diuersis, putà vnus in vlna, alter in tibia:túmque vehementior alterum obscurat,quod heic vult Hipp.

§. 3. Sic in animi morbis, putà angoribus & mœrori-

bus,
- Si de eadem re oborti sint, sese mutuò fouent & amplificant.
- Si de aliis atque aliis rebus hausti fuerint, ac concepti, tunc vehementiores obscurare solent minores.

Symb. * Quod heic de doloribus tam corporis quàm animi obseruat Gal. de voluptatibus eorundem etiam dici debet. **. De dolore colico & arthritico, quorum vno superueniente alter mitescebat, insignis est locus apud Hipp. *6.Epid.sect.4. t.3.* necnon in *libello de humor.*

Excerp. Aph.47 sect.2. §. 1. Sanguinis mutatio triplex

est.
- 1. *Bona absolutè* ac benigna, quæ fit à solo calore naturali : qualis
  - Nutricatio partium corporis.

2. *Mala*

2. *Mala omnino*, quæ fit à calore præter naturam. — Cum putredine graueolente.
3. *Semivitiosa*, seu *media*, quæ ab vtroque calore quodammodo misto, seu à calore inflammationis: qualis, — Pus efficit.

§. 2. Puris genesin duo stipant symptomata,

putà
- *Dolor*, qui fit, tum ob
  - Partis inflammationem, stipa-
    - tam
      - Tensione, & Calfactione p.n.
  - Sanguinis
    - feruorem, aut cremationem.
- *Febris*, quæ fit, vbi
  - Cor, vitæ princeps, efferuescente sanguine, vnà accensum fuerit.

§. 3. Facto pure, dolores & febres mitigantur, quia materia iam est consumpta: post quam consumptionem pus ipsum non aliter se habet, quàm cinis post lignorum combustionem relictus. Præsertim verò tam do-

lor, quàm febris disparent, vbi pus eruperit.

Symb. * De Puris genesi, & calore pyopoëtico, Galen. mentem *hec in comm.* propositam perquàm ingeniosè illustrat Franc. Vallesius *l.5. controu. c.4.*

Excerp. Aph.48 sect.2. §. 1. Πονέειν, *laborare*, significat { *Dolere*, aut *Defatigari.* } Vtroque significatu verus est aph. Requiete enim corporis partes, propter plures motus seu dolentes, seu defessæ; à lassitudine vindicantur.

Symb. * Quies ab Hipp. heic memorata, vel est *consummata*, vel *apotherapia*, quæ debili motu constabat, quam etiam supplebat frictio ex hydrelæo facta: atque istud innuisse videtur Hipp. *6. Epid. sect. 2. t. 26.* dum ait, *ἐκ προσαγωγῆς τ' ἀναντία προσάγειν, κὴ διαναπαύειν*, id est, *paulatim ad contraria transeundum, paulatim item quiescendum*: quod nihil est aliud, quàm apotherapiâ vti. Ex *scholiolo* Iac. Duvallij Issodunensis, Polemarcho De la Force à medicis consiliis, nobis per Sponium nostrum candidè communicato.

** Huic

** Huic aph.affinis,aut planè eadem ſententia habetur, *initio adiectitiorum ad lib.de nat. hum.* Ὁκόσα ἀπὸ ταλαιπωρίης γίνεται νοσήματα, ἀνάπαυσις ἴηται· ὁκόσα δὲ ἀργίη νοσήματα τίκτει, ταλαιπωρίη ἴηται. *** *Leuat etiam laſſitudinem laboris mutatio*, inquit Celſus *lib.*1. *c.*3.

---

§.1. Hic *aph.*& *proximè ſeq.* de conſuetudine agunt. In hoc autem peculiariter de Exercitiis conſuetis agitur, quæ varia ſunt: vt currere pugnare, fodere, humum, arare, remigare, &c. ſiue ipſa exercitia pluribus, ſiue paucioribus corporis partibus peragantur; ſiue has aut illas partes magis minúſve exerceant. §.2. Exercitatæ porrò partes inexercitatis validiores & expeditiores euadunt. *Excerp. Aph.*49 *ſect.*2.

* Celſus huc alludens ita ſcribit, *l.*1.*c.*3. *Omnem laborem faciliùs vel puer, vel ſenex, quàm inſuetus homo ſuſtinet.* Vnde non malè dixeris cum Poëta: Perſier & obdura, labor hic tibi proderit olim. Corpora tamen parum rectè ab initio condita, exercitando imbecilla potiùs quàm firma redduntur, ex Galen. *lib.*5.*de ſan.tu.* Vide Nic.Rorarium, *contrad* 49*Gal.* *Symb.*

Excerp. Aph.50. sect.2. §. 1. De omnibus Consuetorum generibus heic intelligendum, putà exercitiis, alimentis, balneis, vigiliis, somno, aëris constitutionibus, curis ac studiis: quæ omnia consueta minùs nocere solent, quàm innocentiora quæ insueta: eo quòd consueta acquisititiam quandam naturam efficiant: quod ipsum explicat per partes. §. 2. Dum Hipp. ad insolita transire iubet, eo ipso μονοειδῆ consuetudinem cauendam monet, ne fortuitò occurrentibus rebus insolitis ac intentatis (provt inopinatis casibus obnoxia est vita mortalium) grauiter offendamur.

Symb. * Circæi *consueta diu* sunt æmula vinni, Naturas quia transformant, variéque refingunt. ** Homini sano optimum omnibus assuescere: quandoquidem, vt rectè Celsus, *Nimis otiosa vita vtilis non est, quia potest incidere laboris necessitas.*

Excerp. Aph.51. sect.2. §. 1. Rationem huius *aph.* ipseme Hipp. exprimit, dicens, *Omne siquidem nimium*, &c. Natura enim in symmetria consistit, quam nimium omne labefactat, sícque animantis constitutionem resoluit. Contrà autem, quod

quod paulatim sit, tutius est: quapropter etiam transitus ad insueta, qualem *aphor. praced.* consulebat, paulatim fieri debet.

* Huic *aph.* concinit illud Celsi *lib. 1. c. 3.* *Quum quis mutare aliquid volet, paulatim debebit assuescere.* Subitæ enim quælibet mutationes suspectæ sunt. Hinc ipse Hippoc. *6. Epid. 2. tom. 26.* aiebat, *Contraria sensim adhibenda, & interquiescendum*, vt suprà iam citauimus ad *aphor.* 48. Nimirum festinandum lentè, atque recordandum dicti Poëtici, *lenis alit flammas, grandior aura necat.* Hinc Gal. in lib. ad Glauc. temperandum monet ab ἀϑρόαις, confertis, & πολλαῖς, multis vacuationibus. *Symb.*

---

§. 1. Ratio huius *aph.* est, quòd causa morbifica in morbis crudis, coctu difficilibus, ac longis, breui euinci nequit: sicut in dura silice stillicidium casitans vix longissimo tempore sensibile cauitatis vestigium facit. *Excerp. Aph. 52. sect. 2.*

* Allusit huc Ennius, dum *clauum rectum*, & Pindarus dum δίκαιον πηδάλιον commendant. *Symb.*

Excerp. Aph. 53. sect. 2.

§. 1. Nihil heic annotat Gal. sed remittit

lectorem ad *aphor.* 20. *huius sectionis.*

Symb. * Celsus hunc *aph.* sic expressit, *lib.* 1. *c* 3. *Melior est autem in iuuene fusior, in sene astrictior aluus.*

Excerp. Aph. 54. *sect.* 2. §. 1. Significat, proceritatem hanc, quæ iuuenili ætati inest, plurimùm obfuturam, quum corpus ad senectutem peruenerit.

§. 2. Magnitudo corporis
- Propriè, est dimensio iustam mensuram excedens, in
  - Longum.
  - Latum.
  - Profundum.

  Hæc senectuti deterior non est quàm minor statura.
- Impropriè
  - Quæ solùm in longum, legitimam proportionemexcedit: atque hæc propriè longitudo, aut Proceritas nuncupatur.
  - Quæ in latum & profundum iusto ampliùs aucta est. Propriè Crassitudo.

  Licèt autem vtraque senectuti sit grauior ac inutilis: quia tamen crassitudo iuuentuti non est liberalis & speciosa; de sola longitudine intelligendus Hipp.

§. 3.

§. 3. Statura longa in senectute, eo nomine inutilis ac grauis existit, quòd incuruescat, fiátque tunc onus δύσφορον, graue ac molestum.

* Cels. *lib.2. cap.1. Longa statura vt in iuuenta decora est: sic matura senectute conficitur.* vbi per maturam senectutem, eam fortassis intelligendam censet Bald. Ronsséus, quæ fit ante tempus. *Symb.*

EXCERPTA
APHORISTICA

Sect. III. Aphorismorum.

§. 1. MVTATIONES *temporum* non heic significant successiones aut vicissitudines tempestatum, putà dum Ver excipit hyemem, æstas ver, autumnus æstatem, quod satis testatur vocula μάλιστα *potissimùm.* Hæ namque temporum vicissitudines non magis morbos pariunt quàm soluunt: sed significant alterationes naturæ & temperationis eorum temporum, quæ maximè pariunt morbos, *Excerp. Aph.1. sect.3.*

morbos, quod indicatur verbis illis, καὶ ἐν τῇσιν ὥρῃσιν, &c. sed non parit μάλιστα. § .3. Per verba illa: *Cateráque ad proportionem his similiter*: supple, *vel alterius cuiusdam, vt humiditatis, siccit. ventorum,* αἰθωσμίας, &c.

Symb. * Hæc sectio *aph.* duas in partes dirimi potest: quarum priore, aëris crases variæ exponuntur, earúmque in corporibus alterandis potentia; posteriore verò, quæ octo postremis *aph.* continetur, de morbis ætatum agitur. Quoad priorem, Hipp. ita statuit *lib. de Aër. aq. & loc. Astronomia ad artem medicam non minimum, sed plurimum potiùs confert*: & Gal. *com. in sect.4. l. de Vict. acut. t.1. Aëris ambientis temperatura corporis constitutionem* ἑαυτῇ συμμεταβάλλει, *secum immutat.* Et scitè Melch. Sebizius in *præfat. Dissert. de Acidul.* scribit, Aërem circumfusum esse velut topicum vniuersale. ** Hic *aph.* habetur etiam, paucis immutatis, *lib. De humoribus.*

Excerp. Aph.2. sect.3. §. 1. Heic per vocem φυσίων *naturarum*, intelliguntur temperamenta, sicut suprà, *aph.34. sect.2.* quam acceptionem ait Gal. esse κυριωτάτην & primariam.

§. 2.

§. 2. Temperamentum, vel

est
- Eucratum, perfectum, quod vnicum est, ac Vere optimè degit, ex *com.ad aph* 18.*sect*.3.
- Dyscratum, ídque duplex
  - Simplex, in quo vnica qualitas dominatur, éstque quadruplex
    - Calidum.
    - Frigidum.
    - Humidum.
    - Siccum.
  - Compositum, in quo duæ qualitates dominantur: éstque quadruplex
    - Calid. siccum.
    - Calid. humidum.
    - Frigid. siccum.
    - Frigid. humidum.

§. 3. Naturæ, aliæ

sunt
- Frigidæ-humidæ quæ
  - Æstate, optimè habent.
  - Hyeme, pessimè.
- Calidæ siccæ, quæ
  - Æstate, pessimè habent.
  - Hyeme, optimè.

§. 4. Naturæ quædam à certis temporibus mediocriter afficiuntur, dum ab vna ipsorum qualitate iuuantur, ab altera offenduntur.

* Habe

Symb. * Habetur etiam *lib. De humor.* ** Quod de Temperamentis heic pronunciatur, de variis corporis habitibus videtur etiam dici posse, vtpote qui temperamenti seu complexionis sunt effectus, purà gracilitas & obesitas, raritas & densitas. Hinc graciles non impunè frigus admittunt, teste Gal. *com. ad aph.44. sect.2.* τὸ γδ ψύχος λεπτῷ χρωτὶ πολεμιώτατον, vt aiebat Euripid. Ἀ ϱαιόσαρκοι æstate viribus exhauriuntur, hyeme sunt alsiosi, &c.

Excerp. Aph.1. sect.3. §. 1. Hic *aph.* ἀτακτότερον scriptus est, iudice Gal. & concinniùs ita conciperetur: *Morbi alij, & ætates aliæ, ad alia tempora, & loca, & victus genera bene vel malè se habent.* §. 2. Morbi gaudent temporibus similibus, quoad generationem; contrariis verò, quoad solutionem, vt expositum fuit *aph.34. sect.2.* §. 3. Quod heic de ætatibus in genere dicitur, quoad tempora quibus gaudent, infrà *aph* 38. in specie de ipsis ab Hipp. pronunciatur. §. 3. A locis quoque, & victus genere Morbi & Ætates variè afficiuntur. Calidi enim morbi locis calidis magis generantur, quia facilis est lapsus ad similem intemperiem. Calidiores ætates meliùs valent in frigidis

gidis regionibus ob ὑπεναντίωσιν, & sic de aliis ad proportionẽ: vt & de Victus genere, quod frigidius calidioribus morbis & ætatibus; calidius frigidioribus conuenit, &c. §.4. Temperatæ solæ tum naturæ, tum ætates, similibus gaudent & conseruantur : Intemperatæ verò omnes contrariis. Quare etiam §. 5. Morbi omnes, cùm sint ἀμετρίαι quædam, à similibus tum locis, tum temporibus gignuntur; à contrariis verò soluuntur.

* Secunda pars huius *aph.* quæ de Ætatibus loquitur, habetur quoque διαῤῥήδην, *lib. de Humor. part.* 3. *t.* 18. ex distinct. Lud. Dureti. *Symb.*

---

§. 1. Anni tempora à propriâ indole degenera, morbis etiam diuersis dare originem mirum non est : non enim appellationes temporum, sed ipsorum temperaturæ, causæ sunt morborum. *Excerp. Aph.4. sect.3.*

* Habetur & *lib. de Humor.* ** Non abludit ab hoc *aph.* dictum Poëtæ:

Quum modò frigoribus premimur, modò soluimur æstu,
Tempore inæquali corpora languor habet.

*** Huic *aph.* non parum consonat *aph.* 6. in quo per æstatem veri similem sudores

multos,

multos, quales vernales morbi habere solent, docet expectandos.

Excerp. Aph. 5. sect. 3.

§. 1. Effectus enumerat, quos tum Austrina, tum Aquilonaris tempestas ægris corporibus inferunt, quò videlicet Medicus discernat ea symptomata, quæ ratione causæ externæ fiunt, ab iis quæ ratione morbi accidunt: quod plurimùm refert ad certiùs præsagiendnm. §. 2. Causa incommodorum, quæ venti pariunt, facilè intelligitur, cognitâ ipsorum naturâ. Sic enim I. Auster, cùm sit calidus & humidus, (exemplo talium omnium) vim habet caput replendi: vnde καρηβαρίαι, ac torpor motus voluntarij, quòd scilicet humiditas cerebri neruis impertiatur, qui quò ficciores, eò motum faciliorem ac liberiorem præbent. II. Aquilo contrà frigidus est & siccus: vnde ista in primis inuehit incommoda.

1. *Tusses mouet*, intemperie affectis organis spirabilibus.
2. *Fauces exasperat*, aut etiam (vt alij volunt) *indurat*, præ frigid. & siccitate.
3. *Aluum indurat*, (id est, ventrem astringit) tum quòd totum corpus propter

propter ſicciorem temporis conditionem ſiccefcens, humidiores alimenti partes auidè ad ſe trahit; tum quòd excrementa diutius in corpore retenta, tota exuguntur, & arida euadunt.

4. *Dyſuriam mouet*, offenſa veſica, parte exangui ac frigida, à cauſa frigida, cui magis quàm aliæ, eſt expoſita.

5. *Thóracis dolores facit*, cum reſpirat. læſione, ob eandem cauſam.

6. *Horrores excitat*, ob aëris ambientis frigidam ſiccam naturam.

* Extat etiam heic *aph. lib. de humor.* necnon apud Celſum *lib. 2. cap. 1.* vbi corollarium quoque ſubdit memoratu dignum: *Cæteri venti quò vel Auſtro vel Aquiloni propiores ſunt, eò magis vicinos his illiſve affectus faciunt.* Ad explicationem porrò huius *aphor.* facit apprimè Ariſtot. *Probl. 24. ſect. 1.* ** *Notum* ἀπὸ τοῦ νοτίδος, *ab humore*, Græcè nominari voluit Gellius *l. 2. Noct. Att. c. 22.* Verùm de ipſius natura, ſitne calidus humidus, an frigidus-ſiccus, videri poteſt N. Rorarius in *Contradict. 22 Gal.* *** Contendet fortaſsè heic aliquis, æſtate ſicciorem aluum eſſe debere, quàm Aquiloniâ cataſtaſi; quòd temporis illius conditio ſiccior ac ca-

Symb.

lidior auidè humidas alimenti partes populetur. Respondetur tamen, aluum ob id ipsum non admodum siccari, quia bilis tunc procreatur multa, quæ aluum ad excretionem stimulat.

Excerp. Aph.6. sect.3. §.1. Hic *aphor.* consonat *aph.4.* Veritas autem ipsius inde patet, quòd nullum sit tempus anni proliciendis sudoribus aptius quàm Ver: quia tunc & moderatus viget aëris ambientis calor ad cutim euocans, & subest superuacanea humiditas, quæ præ tempestatis humiditate in vaporem resolui & consumi nequit: vnde sudores per febrium crises, effusâ ἀϑρόως humidit. Quod proinde ipsum ab æstate quoque vernæ temperiei æmulâ meritò expectandum. §.2. Sudores in morbis non fiunt æstate, si sicca sit & torrida, vt debet, quia humiditatem contentam absumit ac resoluit. Non fiunt itidem hyeme, propter frigus tempestatis. Non denique autumno, præ defectu caloris & humidit.

Symb. * Hic *aphor.* habetur etiam *lib. de humor.* A Celso verò sic effertur, *lib.2.cap.1. Vbi primò calor à primo verè orsus, æstatem quoque similem exhibet, necesse est multum sudorem in febribus*

febribus subsequi. ** Cùm calor ambientis sudores promoueat, non prorumpunt tamen facilè æstate, quia tunc vis caloris humores tantoperè attenuat, vt insensibiliter per διαπνοὴν digerantur. Nec obstat, quòd tunc calor internus sit languidulus, qui τῇ ἀδήλῳ διαπνοῇ non adeò fauet, quàm validus calor internus, ex Gal. *com. ad aph.* 15. *sect.* 1. Effugiunt enim sensum æstate sudores illi, non ratione caloris interni, sed ratione externi, id est, ambientis, à quo extenuantur. Ex *scholiolo* G. Francisci Stempani.

---

§. 1. Per squalores febres *acutæ* fiunt, non autem ὡς τὰ πολλὰ *multæ*, sicut pluuio Ioue: quia, vt inf. *aphor.* 15. dicitur, *squalores imbriferis salubriores.* §. 2. Galenus in istorum aliquot aphor. serie aliquid immutatum vellet, vt meliùs cohærent, sicut rem expedit *com ad aph.* 15. Censeret itaque statim post *aphor.* 5. quo loco de statu temporum agere incipit Hipp. locandum esse *aphor.* 17. postea 15. deinde 7. istum, ac tandem 16. cùm naturâ & doctrinâ simplex priùs esse debeat composito. § 3. Ratio *aph.* est, quòd siccitas humores quidem minuat, sed biliosiores reddat; vnde febres pauciores, sub-

Excerp. Aph. 7. sect. 3.

tractâ materiâ, sed acutiores gignuntur, (bile tunc efferuescente) quàm constitutione pluuiosa: quæ ob aëris ambientis humidit. pituitosæ illuuionis, & aqueæ superfluitatis copiam non exiguam cumulat.

Symb. * Humiditas aëris pituitosos humores propterea congerere dicitur, quod ipsorum digestionem & foras euaporationem fieri prohibeat, eósque non absorbeat, quemadmodum facit constitutio sicca, ex *comm. ad aph.* 11. *&* 15. *huius sectionis.* ** Pars posterior huius *aph.* extat etiam *αὐτολεξεὶ lib. de humor.*

Excerp. Aph. 8. *sect.* 3. §. 1. Καιροὶ καθεστῶτες sunt anni tempora stata: & annus καθεστὼς, probè constitutus, cuius scilicet 4. tempora suam naturalem constitutionem retinent, qualis scilicet etiam depingitur ab Hipp. *lib. de Aër. loc. & aq* éstque saluberrimus. Huic opponitur ἀκατάστατος, in quo morbi etiam fiunt ἀκατάστατοι & δύσκριτοι

§. 2. Δύσκριτοι, seu κακόκριτοι morbi dicũtur, vel

- In quibus crises fiunt cum symptomatis grauibus & periculosis.
- Qui præsenti sunt exitio.
- Qui φιλυπόστροφοι, ex restibili semine.

* Habetur

* Habetur etiam totus hic *aph. l.1. Epid. sect.1 t.5.* apud Foëſ. prima verò pars huius *aph.* extat quoque *lib. de humor.* ** Ἀκαταστασία tempeſtatum, cùm aut criſeôs fruſtrationem in morbis, aut extremum periculum inuehat, aut denique recidiuam minetur, non ad diagnoſin ſolùm, ſed & ad prognoſin tutiùs ineundam, ſedulò Medicis obſeruanda venit, quemadmodum Hipp. feciſſe, conſtat ex *Epid.*

---

§. 1. Autumnus, inter anni tempora, maximè morbifer ac perniciofus, quatuor de cauſis. *Excerp. Aph.9. sect.3.*

1. Quia inæqualis eſt in prima oppoſitione.
2. Quia ratione æſtatis prægreſſæ, humores tunc aduſti ſunt, viréſque imbecillæ.
3. Propter humorum ad centrum è peripheria repulſum, ab ambientis aëris frigore.
4. In multis, ob præpoſterum fructuum vſum: vnde larga ſæpè cacochymia, aut putredo humorum ſoboleſcit.

§. 2. Ver inter bene conſtituta anni tempora, cùm eucratum exiſtat ac modera

deratum, saluberrimum omnium esse solet,

Symb. * Prima par huius *aph* quà de Autumno. extat etiam *l.2.Epid. sect.1. t.4.* apud Foës. Secunda verò pars, quà de Vere, *ibid t.5.* Celsus hanc sententiam sic expressit *lib.2.cap.1.* *Saluberrimum Ver est, proxima deinde ab hoc hyems, periculosior æstas, autumnus longè periculosissimus.* ** Quomodo autem Ver saluberrimum dici possit, cùm tot habeat suos peculiares morbos, docet Galeno *comm. ad aph.20.huius sect.* Vide & Lud.Septal.*com.ad Probl.17.sect.1.* Arist. vbi quæritur, Cur Ver & Autumnus morbosi.

Excerp. Aph.10. sect.3. §.1. Autumnus superiore *aph.* variorum morborum reus agebatur, nunc in specie tanquam tabidis præcipuè nocens damnatur: quippe cùm siccus simul, frigidus, & inæqualis existat, cúmque pulmones omnium primi aërem eiusmodi excipiant, ipsiúsque iniuriis pateant.

§.2. Φθίνοντες, seu tabidi sunt,

tum { Phthoë laborantes, quibus scilicet vlceratus est pulmo.
Oi ἑπωσοῦν ἀποτηκόμενοι, quacunque occasione plurimùm extenuati ac macilenti. }

* Hinc

* Hinc vulgus τὸ τῶν δένδρων φυλλοβολίας tempus phthisicis apprimè suspectum ac infestum crepare solet: nec eo fortassè minùs infame est ipsorum naufragiis Vernale æquidium, quod mihi quoque ipsi non ita multo pòst fatale futurum auguror. Vide Hippoc. *l.6.Epid. sect.7.t.13.* *Symb.*

---

§. 1. Incipit *aph.* de temporum anni variatione p. n. aut deprauatione agere, ac primùm de leuiore, in qua scilicet hyems sicca nimis & Aquilonia, ver plus æquo nimbosum ac Austrinum, morbósque quosdam sequenti æstate propterea futuros prædicit, rei ætiologiam silentio inuoluens, quam tamen *lib. de Aër aq. & loc.* explicat: quod & ipsum Gal. heic facit. Nimirum hyems ita constituta non gignit statim morbos effatu dignos, sed ὀρθοπνοῦν duntaxat homines afficit tussi, alui retentione, dysuriâ, &c. Ver autem præcedentis tempestatis noxas quadantenus emendat, corpus ad naturalem mediocritatem primùm reducens, postea symmetriam illam prætergrediendo, corpus agit ad contrariam siccæ, quam priùs habebat, conditionem. Vnde fit, vt æstas, cuius naturalem temperationem supponit, *Excerp. Aph. 11. sect. 3.*

 homi

hominem tali apparatu morbifico instructum, & putridis humoribus onustum nacta, morbis heic notatis tandem afficiat ac mulctet. §. 2. Aliam fuisse rationem docet Carbunculorum Cranône per æstatem ortorum, *lib.2.Epid.* Cùm enim illo ipso tempore tum humiditates præter modum auctæ, tum vehementes æstus essent, statim emersit huiusmodi morbus, non expectatâ alterâ tempestate. Vbi enim ambæ putredinis causæ, æquè prægrandes conuenerint, necesse est corpora grauissimè lædi, móxque putridas labes emergere.

§. 3. Morbi, qui in hac acatastasia fiunt, sunt:

- *Febres acutæ*, oriundæ à putrescentibus in corpore humoribus, ob ambientis caliditatem & humiditatem.
- *Ophthalmiæ*, capite repleto, cuius pleonexiam facilè suscipiunt oculi, infirmiores ob id redditi, quòd præcedentis hyemis frigiditatem experti fuerint.
- *Dysenteriæ*, putridis humoribus per ventrem euacuatis: cui incommodo naturæ humidiores magis patent.

§. 4. Durare solent hæc mala per totam æstatem,

æſtatem, niſi circa ortum caniculæ fiat aëris mutatio, pluuiarum acceſſu, aut Eteſiarum flatu: ex *l. de aër. aq & loc.*

§. 5. Tandem dixit Hipp. ἀνάγκη, *neceſſe eſt*: vnde colligitur, Hipp. iſta ſcripſiſſe, non ſolâ nixum obſeruatione aut experientiâ, ſed ipſius rei naturâ ac ratiocinio ductum, contra quam cenſuit Lycus, teſte Gal. *præfat. in com. huiuſce ſect.*

Symb. * Extat hic ipſe *aph.* etiam *lib. de Aër. aq. & loc. t.* 46. diſtinct. Foëſ. necnon apud Celſum, *l* 2. *c.* 1. atque ex hoc *aph.* Ariſt. quoque contexuit *Probl.* 8. *ſect.* 1.

Excerp. Aph. 12. *ſect.* 3.

§. 1. Criſis hyemis ac veris heic planè contraria depingitur illi, quæ *praced. aphoriſmo* memorabatur: ſed *illic* morborum ortus in æſtatem differebatur; heic vêre ipſo contingit neceſſariò. Nam I. fœminarum *incientum* corpora, per hyemem ἤδιον ac clementem humida, mollia, & rara facta, poſtea incidentia in ver ſiccum & frigidum, promptè frigus aduentans excipiunt, à quo fœtus læditur, vnde vel abortus, vel infirmitas ipſius ἀξιόλογος. II. *Dyſenteriæ* naturis pituitoſis contingunt, defluente pituitâ à capite in ventrem: quæ pituita per talem hyemem

cumulata fuerat; postea verò à verna frigiditate repentè superueniente exprimitur, instar spongæ, sícque ad partes inferiores defertur. §. 2. Cerebrum refrigeratum, par non est subigendo proprio alimento: vnde pituitæ generatio. §. 3. *Pituita* triplex est differentia: nempe

1. *Acida*, quæ fit à frigiditate vehementi.
2. *Dulcis* aut *Insipida*, à frigiditate exigua.
3. *Salsa* à calore caput replente: atque istam, propter hyemis calorem genitam, heic adesse constat, quæ radendo intestina, dysenterias excitat.

§. 4. *Ophthalmia sicca*, vel sine materia, fiunt biliosis naturis, oculos debiles sortitis, præ iniuriâ siccæ & frigidæ tempestatis calidam-humidam excipientis. §. 5. Hanc prædictorum affectuum ætiologiam confirmat Gal. ex Hipp. *lib. de Aër. aq & loc.* §. 6. Catarrhi senum breui perimentes, sunt fluxiones, quæ ex capite per venas in partes infernas feruntur. §. 7. Hanc lectionem affirmantem præfert Gal. alteri, quæ additâ particula negatiua legit heic: *Catarrhi qui celeriter non interimunt*: quâ ipsa lectione alij interpretes intelligere malunt catarrhos, ex capite

capite per fauces & asperam arteriam delabentes in pulmones, qui longiori tempore durant, nec in senibus coctionem admittunt, propter ætatem.

Symb. * Extat etiam hic ipse *aph* vt dictum, *lib. de Aër. aq. & loc. t.* 53. dist. Foës. Extat item apud Celsum *lib.* 2. *cap.* 1. atque hoc ex *aph.* Philosophus contexere non dubitauit *Problem.* 9. *sect.* 1.

Excerp. Aph. 13. *sect.* 3. §. 1. Hoc *aph.* eandem crasin æstati & autumno affingit, quam *aph.* 11 tribuerat hyemi ac veri: ex qua præsagit certos quosdam morbos non magnos, hyeme sequente, laudabiliter habente, suborituros. Hyemem enim supponit heic Hipp. temperationem suam naturalem, quæ frigida est ac humida, obseruantem, qualis temperatis terrarum partibus conuenit. §. 2. Omnes morbi, tali hyemis constitutione emergentes, sunt repleti capitis βλαστήματα. §. 3. Si imbres austrini, vtroque tempore, æstiuo & autumnali viguissent, in ipsa æstate aut autumno frequentes extitissent humidæ tempestatis proprij morbi. §. 4. Æstatis siccitas immodica ab autumni humiditate remedium quodammodo accipit: sed quia totus autumnus humidus

humidus fuit, iis qui naturâ ſunt humidiores,caput præter modum repletur: quo fit vt hyeme ſeq. dictos morbos facilè incurrant: dum enim frigus,hyeme,excrementa capitis intus detinet,nec diſcutit, Cephalalgias parit; dum caput vehementiùs cogit,exprimit iſta excrementa in partes capite inferiores; dum præ copia grauatum caput, & præ intemperie refrigeratum,vehementiùs ab hyemis frigore infeſtatur,maiores ac ferinæ deſtillationes fiunt ad pectus, vnde tabes. §. 3. Tabidi verò euadere tunc poſſunt,non tantùm obnoxij fluxionibus à cerebro, ſed & qui ſtricto ſunt pectore.

Symb. * Extat etiam hic *aphor. lib. de Aër. aq. & loc. t.* 61. ex diſtinct. Foëſ. necnon apud Celſum *loco cit.* Atque ex iſto *Aph.* contexuit Ariſt. *Probl.* 10. *ſect.* 1.

Excerp. Aph. 14. *ſect.* 3. §. 1. Hic *aph.* videtur eſſe pars proximè præced. in quo ſupponitur adhuc æſtas ſicca & Aquilonia; ſed autumnus Aquilonius itidem atque ἄνυδρος: quo vno præſens ἀπαγὴ diſtat à præced. §. 2. ξηρὸν, αὐχμηρὸν, ἄνυδρον,ſunt ſynonyma. §.3. Æſtas & autumnus ſicca,humidis naturis ac pituitoſis cōferunt, tantùm abeſt vt offendant, ex Hipp. *lib. de Aër.*

Aër. aq. & loc. Biliosis contrà sunt infestissima, & morbos heic memoratos ipsis infligunt. §. 4. Intempestatum συνδρομὰς (complexus) plureis quàm quatuor, quales tamen multi dari possunt, non est prosecutus Hipp. sed istas, exempli tantùm vice, proposuisse contentus fuit. Quomodo autem illas temporum dyscrasias methodicè rimari conueniat, progrediendo à simplicibus ad compositas, vnius, duorum, trium, ac quatuor temporum acatastasias, obiter heic docet Gal. §. 5. Tempestates, de quibus agit Hipp. fieri solùm intelligendæ sunt in regionibus temperatis: Proptereáque Thraciæ Pontíque loca à mari remotiora, vtpote plusquàm par est frigida & humida, Ægypti etiam & Lybiæ loca longiùs à mari dissita, vtpote iusto calidiora & sicciora, hinc excipi meritò debent. §. 6. Zona exactè temperata, totiúsque orbis media, seu parallela, porrigitur per Cnidon & Coon Insulas, ob ortu ad occasum. §. 7 Temporum anni ordo, iuxta Hipp. in *Epid. lib.* 1.

Ortus
- *Vergiliarum*: æstatis initium est: Fit circa finem Aprilis.
- *Caniculæ*: Oporæ initium, alterius scilicet partis æstatis.
- *Arcturi*: Autumni initium: Fítque

que 12. ferè diebus ante æquinoctium autumnale.

Occasus Vergiliarum. Hyemis initium. Fit 50. circiter diebus post æquinoctium autumnale.

Æquinoctium vernum: Veris initium.

Symb. * Hipp. in *Aphor.* aliísque plerisque scriptis, annum in quatuor tempora dispescit cum vulgo: verùm *lib. de Septimanis*, in septem partes, vt testatur & explicat Galen. *com. ad t.* 1 *s.* 1. *l* 1. *Epid.* quemadmodum ille ipse quoque Hipp. in *fragmento* περὶ αἰῶνος, apud Philonem Iud. *lib. de Opificio mund.* hominis vitam in septem ὥρας seu ætates diuidit. *.* Extat etiam hic *aph. lib. de Aër. aq. & loc. t.*62. ex distinct. Foës. Item apud Celsum *loc. cit.* Et ex hoc *aphor.* Aristoteles contexuit *Probl.*11.& 12. *sect.* 1.

---

*Excerp. Aph.*15. *sect.*2. §. 1. Ordinem meliorem in hisce aphor. digerendis restituendum indicat: ita vt post *aph.*5. statuatur 17. postea verò hic 15. vtpote qui ad *aph.*17. probationem faciat, quo quidem simplicior est naturâ & doctrinâ, proindéque meritò prior statui debet. §. 2. Ratio *aph.* est, quòd per siccitates excrementa corporis digeruntur, quæ per pluuias coaceruantur,

uantur,ac facilè putrescunt. §.3.Excrementa per imbres collecta,feliciùs discuti ac expurgari non valent,quàm exercitationibus cottidianis : minimè verò balneis , vtpote quæ ferè sola cuti hærentia vacuant:minimè item purgantibus, vtpote quorum rarus vsus, nec nisi per magna interualla esse debet ; aliàs tum prauam in consuetudinem corpus inducet,tum ipsum labefactabit frequẽs catharsis. §. 4. *Excrementa* ex alimentis profecta,cottidie vacuanda , sunt

vel
- *Serosa & humida* , quæ ipsi alimento distribuendo,vehiculi vice, admista fuerunt.
- *Fuliginosa* , quæ coctionem effugiunt, nec assimilari , aut agglutinari possunt.

* Hinc patet , I. Quanta sit præstantia in *Symb.* bene-valentibus τῆς τῶν πόνων ἀοκνίης, impigritiei ad exercitia. II. Quàm vana illorum fiducia, qui solâ diaphoresi superuacanea cottidiana moliuntur abigere.III.Quàm inepti, qui purgantibus frequẽter indulgent:Enimverò , vt verbis vtar Galeotti Martij , *lib. de doctr. promisc. c.5. medicamenta* non iniuriâ *comparaueris cineri lixiuio,qui sordes lauat,& pannos terit.* ** Αὐχμὸν , & ξηρότητα distinguẽda censet Gul.Ballon.*l.1.Epid.& ephem. pag.mihi* 147.

§. 1.

Excerp. Aph. 16. sect. 3.

§. 1. Symptomatum ac morborum, quæ tum ex assiduis pluuiis, tum ex immodicis siccitatibus fieri solent, causas rimatur, & primò τῶν ἐπομβρεινῶν. Hi

sunt
1. *Febres longæ*, ob copiam humorum frigidorum ac humidorum, qui nonnisi longo tempore concoqui possunt.
2. *Fluores aluini*, ab eadem humorum copia, quæ per aluum expurgatur.
3. Σηπεδόνες (*cancros* vertit Celsus) quòd humida siccis magè sint putredini obnoxia.
4. *Apoplexia* & *Epilepsia*, quatenus affectus sunt pituitosi.
5. *Angina*
   - modò superuacaneorũ copiâ in fauces regestâ.
   - modò fluxionibus à capite in fauces delabentibus per multos & assiduos imbres, ibidémque impactis ac firmatis.

§. 2. Postea affectuum quoque αὐχμωδῶν heic memoratorum laterculum lustrat, déque ipsis tanquam parum distinctè ac definitè

finitè ab Hipp. pronunciatis, ſibi cum ipſo non planè conuenire fatetur. §. 3. Quod ad *φθινάδες* attinet, anceps eſt Gal. an hæc dictio per ſe ac ſeorſim legenda ſit, quo ſenſu *morbos tabificos* deſignaret; an verò coniunctim, cum ſequenti voce ὀφθαλμίαι Si primo modo ſumatur, negat Gal. morbos huiuſmodi, à ſiccitate per ſe tali, citra vllam caloris aut frigoris ametriam, excitari poſſe, cùm duas ſolùm tempeſtates conſequantur, ſcilicet aut ſummè frigidam, præ qua vas aliquod in organis ſpirabilibus rumpitur, aut calidam humidam, præ qua caput repletum fluxiones ad pulmonem ablegat. Si ſecundo modo legatur, quod probabile iudicat, *Ophthalmias tabificas* exponit, quæ in tabem oculorum deſinunt, per quam pupilla anguſtior euadit, conſumpto humore proprio. §. 4. Si vox ὀφθαλμίαι diuiſim heic legatur, adiungendam ipſi conſulit vocem ξηραὶ, *ſiccæ*, quòd tales per immodicas ſiccitates fiant, vt docuit *com. ad aph.* 14. §. 5. Quod ad Arthritides, negat Gal. ipſas fieri à ſolis ſiccitatibus immodicis, niſi accedat immodicus quoque calor, humorum acrimoniam pariens. Haud abs re tamen excuſauerit quis Hippoc. quòd per *arthritidem* hoc loco non propriè ſic dictam intelligere voluerit, ſed

impropriè, putà ἀρθραλγίαν, quæ dolor est ac difficultas motûs præ siccitate articulorum, quam parit tantus tempestatis squalor, vt consumpserit omnem ipsorum humorem: quanquam mirum sit, quòd vocem arthritidos hoc sensu vsurpârit, cùm *lib.2. Epid.* quosdam sic affectos γουναλγέας dixerit, non arthriticos; nisi quis fortè causetur, vnius solùm articuli, putà genu, dolorem designare volentem Hippoc. γουναλγίαν appellasse, nequaquam verò ἀρθρῖτιν, quæ multorum tantùm articulorum cruciatus esse solet. §. 6. Quod ad Strangurias spectat: aliæ oriuntur à sola aëris siccitate immodica, quarum heic meminit Hipp. aliæ ab eadem siccitate immodica, complicata cum calore, vel cum frigore, quarum non meminit.

§. 7. *Stranguria* duplex est:

- alia
  - *Propriè dicta*, cuius causæ duæ
    - Acrimonia vrinæ, ab intemperie aliqua: præcipuè verò ab excessu
      - Caloris.
      - Caloris & humiditatis simul.
      - Siccitatis.
    - Imbecillitas facultatis retentricis vesicæ, ab intemperie

temperie quapiam immodica, quæ octo generum eſt.

Symptomatica, cuius cauſæ ſunt veſicæ affectus proprij & peculiares:

vt
- Vlcus.
- Eryſipelas.
- Abſceſſus.
- Inflammatio.
- Alius aliquis affectus.

§. 8. *Regula aurea de Aëris ſtatibus*. Omnes qualitates immodicæ ambientis, tam ſimplices, (quarum in cenſu ſqualor eſt immoderatus) quàm cõpoſitæ, variè pro ſubiecti aptitudine agunt, proindéque aliter afficiunt naturas temperatas, aliter intemperie tam ſimplici quàm coniugatâ præditas: *Μεγίστη μοῖρα γενέσεως ἐστὶ νοσημάτων ἡ τοῦ πάσχειν μέλλοντος σώματος ἑτοιμότης*: *Potiſſima cauſa generationis morborum pendet à corporis morbum ſuſcepturi præparatione* Gal. *l.* 1. *de differ. feb. c.* 4. §. 9. Quod ſpectat ad *Dyſenterias*, negat illas à ſiccitatibus fieri, niſi fuerint immodicæ, accedente quoque aëris in calore aut frigore mutatione, necnon idoneâ corporum affectorum naturâ. §. 10. Hippocratem ait artem medicam primum inchoâſſe ac informâſſe, minimè verò vniuerſam excoluiſſe ac perfeciſſe.

Symb. * Extat & apud Celſ. *l.* 2. *c.* 1. ** φθινώδεες, ſi diuiſim legatur, non videtur heic tabem ab vlcere pulmonis, vt cenſet Gal. ſignificare, ſed extenuationem corporis ab atrophia, quam facit exhauſtus ob ſqualorem ambientis aëris. Ex *Notulis* Iac. Duvallij Iſſodun. Si verò coniunctim legi præſtet, φθινώδεες ὀφθαλμίαι, etſi ferri hoc poſſe aſſentiar Galeno; magis tamen placeret pro φθινώδεες, heic reponere ὀδυνώδεες, vt alludatur ad locum *l.*6 *Epid. ſ.*7 *t.*2 apud Foëſ. πρῶτον μὲν ἐν τοῖσιν αὐχμοῖσιν ὀφθαλμίαι ἐπεδήμησαν ὀδυνώδεες: *Primum quidem per ſqualores in vulgus graſſata ſunt ophthalmiæ dolorificæ.* *** Vna cauſarum Stranguriæ ſtatuitur heic à Galeno acrimonia Vrinæ, per quam videlicet vellicatur Veſica; ſícque proritatur facultas expultrix, vt priuſquam ſatis multa collecta fuerit vrina, inſurgat ad mictionem. Ex *ſcholiolo* G. Franciſci Stempani.

Excerp. Aph. 17. *ſect.* 3.

§. 1. *Tempeſtates*, quotidianæ, vtplurimùm ſunt,

vel { *Aquiloniæ*, excrementa ex corpore abſumunt, & inſtrumentis ſubſtantiæ denſatione conſtrictis robur addunt. Sícque modò infe-

runt

Commoda eximia, quibus ſani, præſertim humidiores, tunc gau-dent.

- Animales facult. roborãt, vndeſua munia perfectiùs obeunt: nam
  - Mobiliora & expeditiora corpora reddunt.
  - Auditum, ac reliquos ſẽſus valẽtiores reddunt.
- Naturales itẽ facult. ὀύπνυσι, roborant, dum
  - ἄχροα, bene colorata corpora reddunt.

Damna, ſed parua, præ iis quæ Auſtris imputan-tur.

- Aluum ſiſtunt.
- Oculos pungunt.
- Pectoris dolores inueteratos irritant.

Auſtrina, quæ infe-runt

Damna magna ac plura tam naturali ac vitali, quàm animali functio-ni.

ni. Corpora dissoluunt. eneruant. humectant.
Auditum hebetant.
Caput grauant.
Scotodinon pariunt.
Corpora tarda & languida reddunt.

Commodum leue: Aluum humidiorem reddunt: quod etiam faciunt alia omnia calida & humida.

§. 2. Ἴλιγγος ἐν τοῖσιν ὀφθαλμοῖσι, seu *scotodinos*, est vertigo seu obuersatio tenebrosa, quâ circumagi videntur omnia, dum crassus spiritus humore permistus mouetur in capite. Estque Apoplexiæ & Epilepsiæ prodroma. §. 3. Δυσκινησία est peruersio motus, aliis palpitatio. §. 4. Actiones fiunt per solidas animalis partes, quæ reipsà & verè sunt censendæ ipsius particulæ : quæ agunt deteriùs copiâ humiditatis prægrauatæ.

Symb. * Scotodinos, de quo haud dubiè loquitur heic Hipp. Vertiginem magnitudine superat : quia in hac sola est commotio ; in illo & suffusio, & motus in gyrum, vt docet Gal. *com. ad aph.* 17 *s.* 4.

§. 1.

§. 1. Etiamsi de solis *ætatibus* loquatur heic Hipp. attamen ipsius effatum veritatem etiam habet in *naturis*, *regionibus*, aliisque omnibus, temperatis aut intemperatis. §. 2. Temperatis ætatibus, quales sunt pueritia, & adolescentia; temperatis item naturis, ac regionibus; quæ scil. omnes non mutatione, sed conuersatione suæ temperiei, quæ fit per contraria, egent, optimè esse solet Vere, quæ pars est anni temperatissima: quanquam Pueritiæ conuenientius sit æstatis principium, Adolescentiæ ipsum Ver.

Excerp. Aph. 18. sect. 3.

§. 3. Intemperatæ
- Ætates
  - Senectus, optimè habet Æstate, propter suam frigiditatẽ.
  - Florens ætas, optimè valet hyeme, quæ ipsius constitutioni est contraria.
- Naturæ
  - Biliosæ Hyeme gaudent.
  - Pituitosæ Æstate.
- Regiones
  - Frigidiores Æstate.
  - Calidiores Hyeme.

§. 4. Pessima tempora cuique ætati, naturæ, & regioni, ex lege contrariorum, erunt illa, quæ sunt optimis aduersissima: sicut media, inter vtraque posita. §. 5. Ver, quod

optimum diximus adolescentiæ, itémque naturis & regionibus temperatis, cæteris omnibus est medium, cùm neque sit ipsis optimum, neque pessimum. §. 5. Autumnus absolutè omnibus ætatibus, naturis, regionibus malus est: comparatiuè tamen minùs noxius calidis & humidis.

Symb. * Initium æstatis simile est veri: vnde fit vt heic τὸ ἦρ & ἄκρον θέρος meritò coniungat Hipp. Initium veris simile fini Hyemis, ex *com. ad aph.* 15. *s.* 1. & *ad aph* 21. *s. huius.* Initium hyemis simile fini autumni, ex *com. ad aph.* 23. *s. huius.* Quod tamen nonnisi de ὥραις ὡραίαις constitutis intelligendum.

Excerp. Aph 19. *sect.* 3. §. 1. Ratio *aph.* est, quòd aëris temperatio non sit sola morborum causa, sed & alia peccata in victu admissa: vnde fit vt quovis tempore quivis morbi suboriri possint, præsertim supposito naturarum discrimine, quod ab eadem causa variè afficitur, aliter temperata, aliter calida, aliter frigida, &c. Plures tamen nihilominùs fiunt cuiusque temporis proprij.

Symb. * Magna vis est ac propè singularis Aëris in procreandis morbis communibus: sed aliarum etiam causarum non minor in gi-

g nendis

gnendis Sporadicis.Interim aptitudo ſubjecti perpetuò heic ſupponenda.

---

§. 1. Ver complurium morborum, quorum catalogum texit, ferax heic aſſerit Hipp. Etenim non ſolùm quoſdam aliarum tempeſtatum morbos, putà autumnales, furorem, melancholiam, epilepſiam, anginas; hyemales, coryzas, branchos, tuſſes; æſtiuales etiam quoſdam, vt patet ex *aph.ſequente:* ſed etiam ſuos quoſdam proprios habet, putà ſanguinis profluuia, lepras, lichenas, alphos, eruptiones vlceroſas, phymata, arthriticos dolores. §. 2. Quæ cùm ita ſint, quî fit quòd ſuprà, *aph. 9.* Ver ſaluberrimum pronunciârit Hipp. Reſpondetur I. Saluberrimum indigitari, non quòd careat morbis, ſed quòd ferè ſalutares, periculo vacantes, ac Naturæ robore contingentes ſortiatur, ipsâ tunc vel expurgante vitioſos humores ex centro ad peripheriam corporis, à nobilioribus ſcil. locis ad ignobiliora: vel plethoram ac cacochymiam, ope ſanguinis profluentis ſubtrahente, atque ita morbos præcauente. II. Saluberrimum reuerà eſſe, reſpectu corporum euchymorum, quæ ſolet illibata conſeruare, cùm bilem æſtas, melan-

Excerp. Aph. 20 ſect. 3.

 choliam

choliam autumnus, pituitam hyems, in puriſſimo quôque corpore producere ſoleant. §.3. Eâdem itaque ratione ver ſaluberrimum dici poteſt, quâ exercitium, quod plethorica aut cacochyma corpora varios in morbos, vitæque pericula coniicit, commotis & agitatis iis, qui deliteſcebant, humoribus: Vnde rectè ajebat Hipp. *lib. 6. Epid. ſ. 5. tom. 34.* *ἀκάθαρτον ſi exerceas, vlcera exorientur.* Sic enim Vere calor aëris fundens humores, ad cutim ipſos euocat, vnde vlcera, ſcabies, &c. ſuccreſcunt non per ſe, ſed ex euentu. §. 4. Naturæ quoque operibus veris effecta ſimilia ſunt, quæ per ἄδηλον διαπνοὴν, ac per morbos variis modis corpus deſpumat ac expurgat.

Symb. * Hunc, & ſeqq. omnes *aph huius ſect.* habet quoque Celſus *l. 2. c. 1.* Porrò hoc ipſo, tribúſque proximè ſequent. *aph.* eſſentiales aëris tempeſtatum differentias ab Hipp. ſpectari, notat Ioan. Martinus, *com ad t. 1. l. de Aer. aq & loc.* ** Tot morbi veri attribuuntur, non penes generationem, ſed per apparitionem & exortum: ex *ſcholiolo* G. Franciſci Stempani.

Excerp. Aph. 21. ſect. 3. §. 1. Dum vernales aliquot morbos æſtate fieri dicit, æſtatis initium intelligit, quod ſcil.

ſcil. eandem cum Vere exeunte temperiem obtinet. §.2. Morbi æſtati proprij, omnes ex flaua bile fiunt, putà febres, vomitus, diarrhœa, ophthalmia, otalgia, aphthæ, pudendorum caries, ac ſudamina. §.2. Pudendorum caries non quauis æſtate fiunt, ſed æſtate vel nonnihil degenerante ad humidita em, aut ſtatum auſtrinum, vel ad ἀνῶμαλιαν inclinante: quia hæ partes, ob humiditatem & calidit. facilè putreſcunt. §. 3. Quando maior fuerit ille æſtatis receſſus à naturali ſtatu, vt ille qui 3. *Epid.* & *initio* 2. *Epid.* deſcribitur, non pudendorum tantùm, ſed & aliarum corporis partium putredines efficit. §.4. *Sudamina* ſunt eruptiones in ſumma cute hærentes, ipſámque exaſperantes vlcerum inſtar, propter ſudores biliofiores ac mordaciores, pruritum & ardorẽ in cute excitãtes.

Symb. * Sudamina Plinius *l.* 33. *c.* 4. nuncupat papulas ſudorum: Celſus verò interpretatur, quicquid ſudore hominem reſoluit. An ſunt πτγſαι Hipp. *l.* 2. *Epid. ſ.* 1. *t.* 8. apud Foëſ. *Tangæ*, inquit Lud. Duretus *com. ad illum locum, ſunt ſudamina quædam, vel hidrotes quidam oleoſi & viſcidi, ſimiles oleo rancido.* ** *Per æſtatem calidum alienum viribus pollet, quo fit vt tunc temporis omnia magis putreſcere ſoleant.* Ariſtot. *ſect.* 2. *Probl.* 33.

§. 1.

Excerp. Aph. 22 *sect* 3.

§. 1. Non *aliquot* duntaxat, sed *plurimos* æstiuos morbos Autumno fieri scribit, haud dubiè propter bilem æstate prognatam, quam autumnus non effundit, sed intrò reuocat à summis partibus ad internas. §. 2. Morborum autumnalium ætiologiam exprimit: Enimverò

I. *Febres* aliæ sunt
- *Quartanæ*, ex atra-bile, genitâ vel
  - ex bile flaua adusta.
  - ex sanguine crasso.
- *Erraticæ*, propter temperaturæ tunc vigētis anomaliam.

II. *Lienes magni*, ex melancholico excremento redundante.

III. *Hydrops*, à lienis vitio.

IV. *Tabes*, vel propter
- temporis
  - Frigiditatē cum siccit. cōiunctā.
  - inæqualitatem.
- Humorum vitium.

V. *Stranguria* fit, vel
- Vesicâ affectâ, à caloris & frigoris incertis, inordinatis, ac repentinis vicissitudinibus.
- A prauorum humorum ad vesicam conuersorū acrimoniâ, qui priùs tum per transpi

transpirat. tum per sudores vacuabantur.

VI. *Lienteria*, subita nimirum ac sine omni mutatione ciborum deiectio, fit per autumnum duabus de causis: Hæ verò sunt,

- Ventriculi ac intestinorum superficialis & ἀφθώδης exulceratio: cuius causæ
  - Humores mordaces, & substantiâ tenues, æstate præced. geniti.
- Retentricis virtutis imbecillitas: cuius causa
  - Ventriculi & intestinorum magna intemperies.

VII. *Ischiades* autumnales duas habent causas, putà
- Humorum malignitatem.
- Refrigerationem.

VIII. *Anginæ*, aliæ
- *autumnales*, quarũ causa Biliosi
- *vernæ*, quarũ causa Pituitosiores

humores, ad fauces decũbẽtes.

IX. *Asthmata*, quorum causæ
- Motus humorum ad interiora.
- Refrigeratio.

X. *Ileus*, seu coarctatio intestinorum, in qua excrementorum alui transitus intercipitur:

cipitur: cuius per autumnum causa

est,
- Inflammatio partis alicuius intestinorum, quam patrant humores praui, iique
  - vel
    - Geniti à tempore frigido ac inæquali.
    - Accepti ab æstate, verùm intrò compulsi.

XI. *Epilepsiæ* accessiones, quarum causa
- Repentina aëris in contrariũ mutatio:
- purà
  - Calor ferè circa meridiem vigens.
  - Frigus tum
    - Noctu / Horis
      - matut. / vespert.

XII. *Mania*, cuius causa — Malignitas humorum — tenium, ac biliosorum.

Symb. * De *Dysenteria* ab Hipp. memorata planè silet Gal. Nos *vlcerosam* heic putamus intelligendam, ab acri sero genitam, cuius feracem esse autumnum scribit Ballon. *l.* 2. *Epid & ephem. pag.* 149. Dysenteria enim *hæmatodes*, seu cruenta, vere potiùs fit; vt notat Gal. *com. in l.* 1. *de Nat. hum. t.* 34. & Ioan. Varand. *in eundem locum.*

Excerp. Aph. 23. sect. 3.

§. 1. Etsi morbos inter hyemales, nullos

ex autumnalibus posuerit, quia tamen prima pars hyemis cum autumno communicat, non videtur illos planè heic excludere voluisse, inprimis quartanas, *aph.* 25. *s.* 2. memoratas. §. 2. Hyemis proprij morbi sunt, Pleuritides & Peripneumoniæ, quæ fiunt organis respiratoriis à frigore ambientis læsis: quæ ipsa quoque cœli iniuria reliquis heic enumeratis occasionem præbet.

Symb. * Hyemem frigiditate suâ parteis omnes, neruosas potissimùm & exangues, labefacere, apud omnes in confesso est: quod præstat etiam pituitosam illuuiem intus detinendo ac coërcendo, præ qua facilè obruitur caloris natiui flammula, vnde succrescunt pituitosi affectus, tam similares, quàm organici.

Excerp. Aph. 24 *sect.* 3. §. 1. Diligentiam Hipp. commendat in partitione tam minuta ætatum, ac morborum quibus sunt obnoxiæ, vsque ad finem *huius sect.* §. 2. Primùm ergo τῶν νεογνῶν morbos hoc *aph.* enumerat: ij verò sunt:

I. *Aphthæ*, (quæ sunt partium oris tenellularum ac mollicellarum superficiales exulcerationes,) excitantur { A lactis serosi nutricum vi detergente.

II. *Vomi*

II. *Vomitiones*, quarum causa est { Lactis, quod sugunt, nimia copia.

III. *Vigiliæ*, ob varios quos persentiunt dolores: Alioqui non facilè vigilias incurrunt, cùm multus somnus ipsis maximè sit s. n.

IV. *Pauores*, per somnum infantes præsertim edaces inuadunt ac inquietant, si ventriculum ἀδιάφθαρτον, sed naturaliter imbecillum habeant, ita vt cibus in ipso corrumpatur. Quod ipsum etiam in adultis obseruasse se refert, patientibus horrificas inter dormiendum imaginationes, quum multi vitiosi humores ventriculum, præsertímque ipsius os, partem maximè sensilem, grauarent ac morderent.

V. *Vmbilici inflammationes*, ob vulnus per resectionem recèns inflictum.

VI. *Humiditates ex auribus* profluentes, dum scilicet per hanc partem cerebrum infantile expurgatur: quod cùm præ cæteris partibus, quæ omnes humidæ admodum ipsis sunt, longè humidissimum habeant, ac multis superfluis scatens humoribus per omnes meatus sese exonerare solet.

Symb. * Heic incipit altera pars huius *sect.* de Morbis scil. ætatum; vbi notandum, Hipp.

παιδίων

παιδίων quatuor gradus facere vſque ad pubertatem: primum hoc *aph.* ſecundum proximè *ſequenti*, tertium *aphor.* 27. quartum *aph.* 28. ** Verba Hipp. de humidit. aurium, ſubmonent vt adſcribam, relatum nobis aliàs fuiſſe à Carolo Sponio, Medico Lugdunæo, affini noſtro chariſſ. fœtidum pus per ſiniſtram aurem ad vndecimum vſque ætatis annum, abſque vllo dolore aut detrimento profluxiſſe Iacobo Duuallio Iſſodunenſi, Ducis ac Polemarchi de la Force Medico quondam domeſtico, ſicut ab ipſo didicerat. Cui obſeruationi non abſimilem aliam de filia ſua Laura literis mandauit Braſauolus, *com. in aph.* 23. *ſect.* 2.

---

§. 1. Secundo loco heic agit de morbis puerulorum tum dentes parturientium, tum iam ipſos enitentium: ſunt verò quatuor generum, videl. gingiuarum odaxiſmus, febres, conuulſiones, diarrhœæ. *Excerp. Aph.* 25. *ſect.* 3.

§. 2. { I. *Gingiuarum odaxiſmus*, (ſeu pruritus cum exiguo quodam dolore) contingit, dum dentes erupturiunt.

II. *Febres* ipſis oriuntur, dum actu erumpunt, *ὅταν αὐτὲς ἀνάγωσι*, propter dolores quos mouent interforandum gingiuas, inſtar paxilli

aut surculi carni impacti: vnde & vigilias,& inflammationes incurrunt.

III. *Conuulsiones*,tum ob eadem symptomata, dolorum scilicet,vigiliarum, inflammat. tum ob concoctionis & distributionis alimenti ἀποτυχίαν, partiúmque neruosarum imbecillitatem ac teneritudinem.

IV. *Diarrhœa*, ob pepseos ac anadoseos alimenti imperfectionem.

§. 3. Vltima *aph.* verba, *præsertim qui crassissimi sunt & aluo durâ*: referenda sunt ad conuulsiones, quòd isti conuulsionibus magis pateant, cùm sint plethorici, & excrementis abundent.

Symb. * Dolor ille dentientium, ὥσπερ τῶν σκολοπισθέντων, in adultis ac ætate prouectis, dum genuinos emittunt, longè adhuc esse solet vehementior. quòd in his gingiuarum caro durior ac compactior, perrumpendi facultatem dentibus non permittat.

Excerp. Aph. 26 sect. 3. §. 1. Tertio loco heic agit de morbis,qui grandiusculos inuadunt,à dentiendi tempore vsque ad annum ætatis XII. aut XIII. quorum morborum causas assignat. §. 2. *Paristhmia* sunt inflammationes interdum tunicæ communis ventriculo, gulæ, faucibus;

inter

interdum musculorum illi tunicæ ad faucium angustias substratorum: quæ inflammat. fiunt ab humiditate cerebri excrementitia, quâ scatet hæc ætatula. §. 3. *Luxatio dentis ad interiora*, fit ob inflammat. musculorum supradictorum, trahentem prorsùm vertebram colli secundam, & λόρδωζιν efficientem: quæ inflammat. ab eadem causa proficiscitur quàm paristhmia. §. 4. Quærit, cur in priori τῶ νεογόνων & dentientium ætate, de duobus istis symptomatis siluerit Hipp. cùm tamen cerebrum humidius habeant? Resp. Id fortasse fecisse, quia tam tenelli infantes priùs moriuntur, quàm vehementibus hisce symptomatis affligi queant. §. 5. *Asthma* tunc oritur, ob angustiam cauitatum pulmonis, à fluxionibus supernè delabentibus, repleto viscere. Quod etiam in recèns natis sæpe contingit, vnde facilè pereunt, quia iam imbecilli sunt ob varia alia mala suprà enumerata quibus subiiciuntur. §. 6. *Lithiasis*, siue calculus vesicæ, fit ob crudos humores ex edacitate generatos, quorum pars crassior cum vrinis ad vesicam delata, fit materia calculorum, accedente calore grandiori, tanquam causâ effectrice. §. 7. Obiicit heic: Atqui senes crudum humorem non paucum etiam aceruant, si non

ob voracitatem, at saltem ob facultatis pepticæ imbecillitatem. Ergo etiam calculum vesicæ contrahent. Resp. Etsi crudum humorem habeant, carere tamen causâ effectrice, calore scil. illo forti lapidifico, per quem crassa materia, humore omni in vaporem resoluto, desiccari solet. §.8. *Lumbrici* & *ascarides* fiunt ex putredine ciborum cum multo calore, qui calor in valde paruis ac tenellis non est satis potens: Cæterùm tria lumbricorum genera sunt: Ascarides, rotundi, & lati. §.9. *Acrochordones*, & *struma*, quas sub phymatum nomine comprehendit. fiunt ex vitiosi humoris, foràs & ad cutem vergentis copia: Ac strumæ quidem ex pituitosa & frigidiore. §.10. *Phymata* in specie sunt inflammationes adenum sponte nascentes, celerrimè in acumen abeuntes, & ad suppurationem festinantes.

Symb. * *Satyriasmos* & *Stranguriàs* omisit in suis *com.* Galenus: vnde meritò duæ istæ voces suspectæ sunt, tanquam falsò huc intrusæ à quopiam sciolo; præsertim cùm neutram quoque Celsus, neutram Philothéus agnoscat. Vid. Foësium. Si quis autem heic in re perquàm obscura coniecturæ locus, videtur qui duo ista vocabula intrusit, ad locum ex *lib. 6. Epid. s. 3. t. 14.* respexisse, vbi

Hipp.

Hipp. φήρεα & γογγρώνας nominat, duo tumorum frigidorum circa aures ac collum naſcentium genera, illos quidem oblongiores, iſtos verò rotundiores: & pro φήρεα, obſoletiore vocabulo, ſubſtituiſſe σατυριασμὺς, alterum verò γογγρώνας, à librariis ignaris miſerè transformatum fuiſſe in στραγγυρίας.

---

§. 1. Quarta ætas, cuius morbi heic delibantur, ab anno ætatis XII. XIII. aut XIV. quibus adhuc inueſtes ſunt pueri, vſque ad pubertatem extenditur, quæ modò temporiùs, modò ſeriùs, pro calidit. vel frigidit. naturarum aduenit. §. 2. Morbi huius ætatis ſunt multi ex ſupradictis, ob temperiei ſimilitudinem. §. 3. *Febribus* tamen *longioribus* conflictari ſolent, cùm iuniorum corpora *acutioribus* obnoxia fuerint, eo quòd ipſorum habitus citiſſimè alteretur, tam propter corporis humiditatem, quàm propter facultatis naturalis ἀῤῥωςίαν. §. 4. *Hæmorrhagias* patiuntur, ob ſanguinis redundantiam, non quòd copioſior tunc generetur, ſed quòd ipſius minùs abſumatur, quia augmentum corporis non ita procedit, ac antea. *Excerp. Aph. 27 ſect. 3.*

* Vbi puerorum corpora acutioribus *Symb.*

febribus corripi scribit Gal. propter facult. naturalis ἀῤῥωςίαν, Hollerius & Lacuna malunt legere ἀεργασίαν: sed refellit hos Franc. Vallesius, *libello de locis pugn. apud Gal.* & veterem lectionem commodè explicat. Quam verò expositionem Gul. Plantius *margini huius loci* alleuit, non satis capio, imò à Galeni mente alienam iudico.

Excerp. Aph. 28 *sect.* 3.

§. 1. Dum Hipp. heic πάθεα absolutè ponit, subintelligenda venit vox χρόνια: perperam enim hinc colligunt quidam, Hipp. per vocem πάθος, nonnisi diuturnum affectum significare. §. 2. Dies quadragesimus chronicorum affectuum primus est criticus, acutorum verò ex decidentia, vltimus. §. 3. A die quadragesimo numerare oportet criticas ἐφόδους morborum puerilium, septenariâ ratione, primùm quidem per menses, postea per annos, ita vt si septimus annus illos morbos non terminet, ad decimumquartum annum perueniant, qui finis est secundi septenarij annorum. §. 4. Circa pubertatem magnæ contingunt corporis mutationes, præsertim in virginibus, propter mensium eruptionem. Qui ergo morbi eâ ætate non fuerint soluti, rectè dicuntur inueterascere solere.

* Exem

* Exemplum morborum istorum pueri- *Symb.* lium diuturnorum sunto Epileptici insultus, ex *aph.* 45. *s.* 2. & *aph.* 7. *s.* 5. vbi Gal. definit Pubertatis tempus ab anno ætatis XIV. ad XXV. vltra quod tempus siqui morbi extendantur, ferè commoriuntur.

---

§. 1. Miratur Gal. quòd Hipp. à Pubertatis ætate ad iuuenilem floridámque statim transierit, prætermissâ Adolescentiâ, quæ media est inter illas duas: quanquam de ipsius qualitate facilè iudicari posse fateatur, ex ætatibus, quæ tam ante, quàm pòst, illam circumstant, cum quibus in multis communicat. *Excerp. Aph.* 29 *sect.* 3. §. 2. *Hæmorrhagia*, quæ cœperat (vt ait *aph.* 17.) in iis, qui ad pubertatem accedunt, maximè viget in adolescentibus, in viris remittitur. §. 3. Inter morbos iuuenum acutos, *febres tertianæ* & *ardentes* sæpissimè vigere solent, ob bilem flauam hac ætate luxuriantem. §. 4. *Hæmoptysis*, & *Tabes*, potiùs per accidens tunc oriuntur, propter intemperantiam, aut errores in victu, quàm primariò & ratione ætatis. §. 5. Tabes consequitur ad sanguinis sputum, dummodò istud ex aliquo pulmonum vitio oriatur. §. 6. Miratur Gal. *Epilepsiam* huic ætati at-

tribuisse Hipp. cùm sit παιδικὸν πάθος, ex ipsomet, *lib. de Aër. aq. & loc.* ac ætatis mutatione sanetur, ex *aph.* 45. *s.* 2. Si ergo quandoque per iuuentutem contingat, ab inordinata & vitiosa viuendi lege proficisci dicenda est, sicut & varij alij morbi: proindéque per accidens, non ætatis ratione oritur, vt de hæmoptoë ac tabe dictum iam fuit.

§. 7. Quæ cùm ita sint, mavult Gal. *aph. hunc* reformare *, ac sic concipere. *Iuuenibus tum alij propemodum omnes in aliis ætatibus dicti morbi fiunt, tum verò præcipuè causi & tertianæ.*

Symb. * Per νεανίσκους aut νεηνίσκους, non solam *iuuenum ætatem*, quæ excurrit à xxv. anno ad xxxv. seu finem quinti septenarij, videtur heic intellexisse Hipp. vt censet Gal. sed etiam *Adolescentiam* comprehendisse, quæ extenditur ab anno xviii. ad xxv. quemadmodum Celsus quoque intellexit, *lib.* 2. *c.* 1. hunc aph. proponens. Quæ etiam mens fuit Gul. Plantij, ac Foësij, in suis *Annotat.* qui etiam νεηνίσκων vocem magis adolescentibus quàm iuuenibus eo loco convenire affirmant, non tantùm quòd vox sit hypocoristica, sed quòd hæmoptoës, tabis, & epilepsiæ mentionem heic faciat Hippocr. qui morbi sunt potiùs adolescentiæ quàm iuuentutis.

** Eodem

** Eodem quoque ſenſu ſumitur vox μειρακίων, *aph*.13.*ſ*.1. tam pro adoleſcente quàm iuuene.

---

§. 1. De morbis agit ætatis τῶν καθεστηκότων, quæ iuuenilem excipit: quam quidem ætatem vocare poſſis virilem, maturam, conſtantem paracmaſticen, deferueſcentem, vergentem, inclinatam. Extenditur autem à xxxv. anno, ad ſequentes duos ſeptenarios. Vide ſup. *comm. ad aph*. 13. *ſ*. 1. §.2. In hac ætate minùs facilè tolerantur labores, faciliúſque offenduntur homines, quàm per iuuentutem, temperamentóque magis melancholico donantur: Analogiam quippe habet hæc ætas cum autumno: nam ſicut hic, cùm ſit frigidus, flauam bilem æſtiuis caloribus peruſtam excipit, ſic hæc ætas iuuenilem æſtati ſimillimam ſubſequitur. §.3. Miratur Gal. quòd Hipp. *Melancholiæ*, in catalogo morborum huius ætatis, non meminerit, cùm hac ipsâ ætate multi atra-bile vexentur: quo fit, vt in quibuſdam codicibus adſcriptum inueniſſe ſe fateatur iſtud morbi. §. 4. Hac ætate multos ex tabe mori notat, & ex hæmoptoë per iuuentam ſubortâ ác in tabem deſinente: aliàs enim hac ætate hæ-

Excerp. Aph 30. *ſect*. 3.

moptoën rarò incurrunt, quòd sanguinis copia non adsit. Quod ad morbos alios attinet, hi ferè sunt:

§.5.
- 1. *Asthmata.*
- 2. *Peripneumonia.*
- 3. *Pleuritides.*

Quibus magis expositi sũt hac ętate, quàm iuuenili, quia Victu, ac Laboribus Similibus vtũtur cum iuuenibus.

- 4. *Phrenitides.*
- 5. *Causi.*
- 6. *Cholera.*
- 7. *Dysenteria.*

Ex flaua bile creatæ, tam in istis, quàm in iuuenibus; etiamsi de his siluerit, morbos iuueniles recensendo.

8. *Diarrhœa diuturna*, eæque vel
- A concoctione offensante.
- Ab imperfecta alimenti distributione.
- A bile intestinum suâ acrimoniâ deradente.

9. *Febres lethargica*
- Ab humore pituitoso in cerebro aceruato: qui prioribus quidem ætatibus parcior est, in senili verò plurimus, sed qui propter ætatis frigidit. febres non accendit.

10. *Lien*

10. *Lienteria* ortæ vel
- A pituita frigida.
- Ab intemperie sola vim alui retentricem effœminante.
- Ab affectione vlcerosa.

11. *Hæmorrhoides.* 12. *Melancholia.* — Ab atra bile proficiscentes, súntque hæ ambæ veri ac proprij huius ætatis morbi.

Symb. * Meritò melancholiam morbum inter illos recensendum putauit Galenus, qui non minùs proprij sunt æui humani autumno, quàm autumnali macrocosmi constitutioni.

Excerp. Aph. 31. sect. 3. §. 1. Hipp. heic per vocem πρεσβύτῃσι, *senibus*, postremam vitæ ætatem intellexit, cùm in ipsis sermonem de ætatibus finiat, quos etiam sup. *aph.* 40. *s.* 2. σφόδρα πρεσβύτας expressiùs nuncupabat. Vnde hallucinantur, qui πρεσβύτων ætatem, ab ætate τῶν γερόντων, *senectute*, distinguunt, ac si πρεσβύτων ætas media esset inter iuuentutem & senectutem. Morbi itaque senum sunt

§. 2. 1. *Catharri tussiferi.* — Qui sæpè ipsis fiunt ab excrementis pituitosis, in cerebro ipsorũ valdè frigido genitis.

2. *Asthma*

2. *Asthmata*, eáque vel
   - A destillationibus à capite.
   - Ab intẽperie, non rarò frigidâ, instrum. spirabilium.

3. *Stranguriæ, dysuriæ, nephritides*: à multis crassisque excrementis præ caloris imbecillit. in senibus generatis: vnde
   - Renum obstructiones.
   - Lapidũ in renibus generatio, quæ fit
     - Si materia crassa & tenax ibidem hærẽs, σωώασμα, aut πωρώδεα σύστασιν, *callosam consistentiam* nacta fuerit.

4. *Articulorum dolores*, iíque vel
   - Ab excrementis ad articulos affluentibus.
   - Ab instrumentis articulos mouentibus refrigeratis.

5. *Vertigines*, vel
   - A spiritus cum multo vapore in cerebro contenti inordinata ac turbata motione.
   - Ab exhalatione vapida in cerebrum sublata ex vitiosis superuacaneis in ventriculo coaceruatis.

6. *Apoplexiæ*, quæ fiunt
   - A pituitosis excremẽtis, quibus in senili ætate cerebrum repletum est.

7. *Vlcera*

7. *Vlcera senum*, eáque { Ægrè sanabilia, propter sanguinis defectum.

8. *Pruritus totius corporis*, quòd ægrè per cutem discutiantur superuacanea pruritum excitantia,

quia {
- Cutis ipsa densatur & cogitur.
- Excrementa euadunt { Plura. Crassiora.

} Propter refrigerationem in hac ætate.

9. *Vigiliæ continuæ*, quæ senum, salubriter saltem habentium, sunt affectio, ipsis vel maximè propria. {
- Ob animi sollicitudinem.
- Ob corporis siccitatem: quia scil. {
  - Partes corporis sicciores habent.
  - Cerebrum in ipsis excrementa quidem pituitosa gignit, sed pauciora, & quæ bellè excernuntur.

NB. Senes autem multis excrementis pituitosis cerebri obruti, sunt magis somniculosi: quales solos spectans vulgus, senectutem statuit frigidam & humidam.

10. *Alui*

10. *Alui* / *Oculorum* / *Narium* — Humiditates — A cerebri superfluis excrementis, tum ad sensoria, tum ad aluum defluentibus.

11. *Amblyopia*, visus obtusus, & Βαρυηκοΐα, *auditus hebetior* — Ab imminuta facult. sensibili, non per se, sed ratione organorum.

12. *Glaucomata* propriè dicta. — A siccitate immodica instrumentorum visui seruientium. / A suffusionis specie, quam habent ipsorum oculi.

Symb. * Plurima quæ senilem ætatem circumsiliunt incommoda, venustâ admodum allegoriâ depinguntur ab Salomone, *cap.* 12. *Ecclesiastis*: cuius sensum eruditè explicant tum Franc. Vallesius *cap.* 66. *Sacra Philosoph.* tum Ioan. Riolanus filius, in *coronide Præfat.* *l.*4.-*Anthrop.* ** Enantiophanes extat apud Gal. quoad Calculi genesin, quod facilè non nemini negotium facessere posset. Suprà enim *com ad aph.* 26, negabat calculos in senibus generari quòd in ipsis caloris paupertas non possit resoluere tenuissimas partes humo

humorum craſſorum per cruditates aceruatorum. At contrà heic, ſcribit, calculos in ſenibus generari, quum tota materia cruda & viſcida per ſe, longiori morâ, in tophum concreſcit. Reſp. Duplicem lithogeneſias modum ab Hipp. agnoſci: nam priore modo fit lithiaſis, dum à calore forti reſoluitur pars humoris tenuior, reliquâ indureſcente; quo modo rarò omnino fit in ſenibus calculus, vt vult *aph.* ille 26. Poſteriore verò modo fit lithiaſis à calore imbecilliſſimo, præ quo materia craſſa & tenax magis magíſque indureſcit: quomodo in ſenibus frequenter oritur calculus, vt heic profitetur Hipp. Meliorem reſponſionem impertienti perquàm libenter aſſenſurus ſum.

FINIS EXCERPTORVM, ex Gal. Comm. in Sect. III. Aphor. Hipp.

Cùm huiuſce Voluminis molem plus iuſto turgeſcere videremus, reliquarum quatuor Sectionum Excepta nunc conſultò omiſimus, alio tempore, ſi licuerit, publicæ luci non inuidenda, præſertim ſi promulſidem hanc ſtudioſis ſapiiſſe intelligamus.